This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

3 3433 05751418 8

# BIBLIOTHECÆ ACADEMICÆ INGOLSTADIENSIS INCUNABULA TYPOGRAPHICA

SEU

LIBRI ANTE ANNUM 1500 IMPRESSI CIRCITER MILLE ET QUADRINGENTI;

QUOS

SECUNDUM ANNORUM SERIEM DISPOSUIT, DESCRIPSIT, ET NOTIS HISTORICO-LITTERARIIS ILLUSTRAVIT

**SEBASTIANUS SEEMILLER**

CANONIC. REG. POLLINGANUS, SERENISS. ELECT. PAL. BAV. CONS. ECCLES. ACT. THEOL. DOCTOR ET PROF. PUBL. ORD. BIBLIOTHECÆ ACADEM. PRÆFECTUS.

## FASCICULUS I.

QUI

LIBROS COMPLECTITUR NOTA ANNI INSIGNITOS ULTRA CENTUM ET VIGINTI, EOSQUE OMNES ANTE ANNUM 1477 IMPRESSOS.

ACCEDUNT

TOTIDEM FERE LIBRI NOTA ANNI IMPRESSA CARENTES, SED PROBABILISSIME ANTE ANNUM 1477, VEL CERTE ANTE ANNUM 1480 IMPRESSI.

*CUM ADPROBATIONE THEOLOGICÆ FACULTATIS.*

INGOLSTADII

*Vendit* JOH. WILHELMUS KRÜLL BIBLIOPOLA ACADEM.

*Impreſſit* Sebaſtianus Valentinus Haberberger Electoralis Univerſitatis Typographus. 1787.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

# PRÆFATIO.

Cognitio Librorum, qui ſub initia artis typographicæ ejusdem beneficio ſunt editi in lucem, multiplici ſeſe utilitate commendat. Primo enim ſervit ad illuſtrandas divinæ artis origines & progreſſus, vel hodie adhuc paſſim tenebris obfuſos. Quem vero (Germaniæ potiſſimum cives adpello) vel pigeat, vel non delectet magnopere, reſcire adcuratius, quibus demum acceptum referrè oporteat, & per quos transmiſſum fuerit ad poſteros præclarum illud inventum, ex quo tot commoda in univerſum genus humanum manarunt, & tanta in patriam noſtram gloria redundavit? Per Germanos quippe artifices & inventam, & totum fere per orbem propagatam fuiſſe artem typographicam, erunt, puto, hodie quidem pauciſſimi, qui in dubium vocare auſint. Jure igitur id a nobis expoſcunt majores noſtri, qui divinam hanc artem vel invenerunt, vel propagarunt, ut eorum memoriam, quantum in nobis eſt, ab oblivione vindicemus. At non minus certe, quam artis typographicæ inventores poſterorum memoria digni ſunt illi, quorum opera primo illo artis typographicæ ſæculo ſunt edita in lucem. Atqui plurimorum ex illis hodie ne nomina quidem forte noſceremus, niſi opera eorum, quibus pro genio ſæculi & viribus ſuis de ſacris aut profanis litteris bene mereri ſtuduerunt, typorum beneficio evulgata fuiſſent. Libri enim non pauci Sæculo XV. ſæpius typis excuſi ſæculis ſequentibus, mutato in melius ſcientiarum guſtu non amplius fuerunt impreſſi. Atqui tamen ex hujusmodi libris magna ex parte depromſerunt,

quæ in rem ſuam eſſe putabant, illi, qui ſæculis decimo ſexto, & decimo ſeptimo ſcientiarum reſtauratores ſunt dicti. Hi enim ſæpe, omiſſis, quæ in veterum libris aut ſuperflua, aut minus apta ad propoſitum, aut etiam inſulſe, & ignoranter dicta fuerant, optima quæque ex illis excerpſerunt, eademque meliori ordine diſpoſita, ac ſtilo concinniori elaborata ediderunt, nunquam forte ſcripturi, niſi veterum de iisdem materiis libros, tanquam exemplaria, imperfecta quidem, ante oculos habuiſſent.

Ut vero libri Sæculo XV. typorum formulis excuſi univerſim ad illuſtrandam, medii maxime ævi, hiſtoriam litterariam ſerviunt, ita imprimis hiſtoriam illuſtrant litterariam ſæculi ejusdem, quo renata ſunt inter Europæos optimarum artium, & linguarum, græcæ imprimis, & latinæ, ſtudia. Ex libris certe hoc eodem ſæculo frequentius, aut minus frequenter impreſſis diſcimus, quis tum fuerit doctorum hominum guſtus in litteris. Negari quidem non poteſt, magnam partem librorum, qui tum ſæpius ſunt typis excuſi, parum ſervire ad illuſtranda noſtræ ætatis ingenia: quin nauſeam creare lectoribus meliori guſtu imbutis, eo quod ſtilo ſint ſcripti barbaro, & inconcinno. Attamen & illud eſt concedendum, optima quæque antiquitatis monumenta, latina imprimis & græca, hæc quidem maximam partem latine verſa, jam tum fuiſſe edita in lucem. Qui annales typographicos Maittairii, Orlandii, Chevillerii, Marchandii, Meermanni, & ſimilia aliorum opera vel fugitivo oculo ſemel pervoluit, obſervaverit, neceſſe eſt, jam ante annum 1480. optima quæque veterum ſcriptorum monumenta typographicæ artis beneficio per Europam fuiſſe diſperſa. Græcorum ſcriptorum monumenta originalia ſerius quidem, nec niſi perpauca ante annum 1480. typis imprimi ceperunt. Verum id non inde venit, quod defuerint illa ætate viri græce docti, illis edendis, & corrigendis pares.

Fue-

Fuerunt enim jam antecedentibus ſæculis, ne dicam poſt medium decimi quinti, viri complures, præſertim in Italia, græce doctiſſimi, qui plura veterum græcorum ſcripta latinitate donarunt. Num iidem non pares fuiſſent ſcriptis iisdem græce edendis? Videntur potius defuiſſe typi, præcipue vero emptores, qui, cum græca non intelligerent, nullo eorum ferebantur deſiderio, contenti latinis verſionibus, quas a viris græce doctiſſimis adornatas eſſe noverant. Vergente autem ad finem Sæculo XV. jam plurimi occurrunt libri græce editi, quorum non paucos in Bibliotheca hujate Academica exſtantes ſuis locis & annis recenſebo. Omnino igitur operæ pretium eſt, immo jure a nobis expoſcitur, ut memoriam excitemus eorum, qui hoc ſæculo, quod arti typographicæ natale fuit, in reſtaurandis optimarum artium ſtudiis ſuam operam collocarunt, & optima quæque veterum monumenta typis edenda curarunt.

Editiones librorum Sæculi XV. eo potiſſimum nomine avide a nonnullis conquiruntur, & ſæpe magno pretio comparantur, quod inſtar codicum, ex quibus hauſtæ ſunt, manuſcriptorum habeantur. Negari quidem non poteſt, complures eorum, qui edendis Sæculo XV. libris ſuam operam addixerant, artis criticæ parum peritos fuiſſe & Manuſcriptorum codicum lectiones ſibi minus arridentes pro arbitrio ſæpe in pejus mutaſſe. Ut nihil dicam de mendis typographicis, quibus ſcatent editiones non nullæ antiquiores. Hæc enim a doctioribus ſaltem facile animadverti, & corrigi poſſunt. Attamen non ſunt hæc vitia omnibus, aut plerisque antiquis editionibus communia. Sunt certe inter iſtas quam plurimæ, quæ magno judicio factæ, nec minori cura a mendis typographicis immunes ſervatæ ſunt. Has inter præ aliis commendantur Udalrici Han, vulgo *Galli*, Nicolai Jenſon, Johannis de Colonia, Vindelini & Johannis Spirenſium, & qui vergente jam

ad-

ad finem Sæculo XV. Venetiis typographicam artem exercuit, Aldi Manutii editiones. Horum omnium in Bibliotheca academica exſtant monumenta typographica, & quidem ſingulorum non pauca. Occurrunt jam in primo hoc faſciculo complura.

Demum libri Sæc. XV. impreſſi a quibusdam hoc ſolo nomine habentur in pretio, quod rari ſint, & ſæpe oblato quovis pretio, haberi non poſſint. Non enim illa ætate tot ejusdem operis exemplaria excudi conſueverant, quot hodie plerumque ſolent. Inſuper pars magna veterum editionum ipſa temporis diuturnitate, ſitu & ſqualore locorum, incendiis, belli calamitatibus, quin ſæpiſſime eorum, qui bibliothecis præerant, negligentia & inſcitia periit.

Atque hæc quidem illis ſint dicta, qui ignorant, ad quos uſus ſervire poſſit præſens hæc mea lucubratio. Bibliothecarum Præfectis, omnibusque antiquioris litteraturæ amatoribus, quibus eam proprie deſtinavi, fore acceptam nullus dubito. Tantam enim librorum Sæc. XV. impreſſorum copiam in una Bibliotheca exſtantem certe deprehenderint rariſſime. Atque horum quidem omnium librorum non nudos titulos, ſed adcuratam ſingulorum exhibeo deſcriptionem, ut diſcerni librorum editiones a me deſcriptæ ab aliis ſine labore & erroris periculo poſſint. Præcipuam curam adhibui in deſcribendis libris nota anni, loci & typographi impreſſa carentibus. Horum quippe librorum editiones diverſas a doctiſſimis Bibliographis inter ſe confuſas, & alteram pro altera habitas fuiſſe non ſemel obſervavi. Atque hoc quidem inde venit, quod libros non ipſimet præ oculis habuerint, ſed aliorum tantummodo, qui ſæpe nec ipſi viderunt, de iisdem libris relationes ſecuti ſint. Quare hoc etiam nomine gratas fore meas de libris Bibliothecæ noſtræ academicæ narrationes confido, quod non niſi ea contineant, quæ propriis ipſe oculis vidi, & manibus

tracta-

tractavi. Quæ hinc inde ex fide aliorum afferui, ejusmodi ſunt, ut fidem illis mecum cordatus quivis, & præjudiciis vacuus adhibiturus ſit.

Si primum hunc faſciculum harum rerum peritioribus non diſplicuiſſe intellexero, mox eum excipiet ſecundus, libros complectens notam anni impreſſam habentes ultra ducentos, ab anno 1477 ad annum usque 1483. impreſſos. Accedent huic quoque faſciculo libri complures nota anni, loci, typographi, impreſſa carentes, ex quibus non pauci locum meruiſſent in faſciculo primo, utpote jam ante annum 1477. vel certe ante annum 1480. impreſſi. Sed defuit ſpatium. Nolui enim pluribus, quam 25. plagulis ſingulos conſtare faſciculos. Secundo faſciculo indicem adjiciam typographorum, auctorum, librorumque anonymorum, qui in geminis hisce faſciculis recenſentur. Qui ſuperſunt libri, ab anno 1484 — 1499. impreſſi, duobus faſciculis comprehendi poſſe nullus dubito. Conſtabit igitur opus hoc integrum faſciculis quatuor.

Non deerunt forte, qui origines & progreſſus noſſe cupient illius Bibliothecæ, quæ non modo tot continet monumenta typographica ſæculi XV. quot vix ulla alia Bibliotheca academica (vel certe pauciſſimæ) verum etiam recentiorum librorum tanta copia, quin & ſelectu inſtructa eſt, ut cum plerisque Bibliothecis academicis in germania de palma concertare poſſit, a non multis certe vincenda. Augetur ea indies, & per ſex annos, quibus eidem præeſſe ſummo mihi honori eſſe duco, ſexies mille circiter voluminibus, partim pretio comparatis, partim labore & induſtria conquiſitis, & advenientibus eſt aucta. Aſt horum deſideriis ſingulari, eaque multo uberiori, quam Præfationis limites paterentur, lucubratione ſatisfacere jam dudum mecum ſtatui. Quandonam vero hoc animi propoſitum executurus ſim? ſiquis forte

ex

ex me requirat, reſpondeo: a quibusdam id pendere circumſtantiis, quæ mei non ſunt arbitrii.

Poſtremo de eo etiam monitos velim lectores meos, inter libros notam anni habentes quosdam a me recenſitos fuiſſe, qui notam anni impreſſam non habent adjectam. Sunt vero ſequentes. Ad annum 1462. N. II. ad ann. 1466. liber unicus, ad ann. 1469. NN. I. VII. & VIII. ad ann. 1471. IX. XI. & XX. ad ann. 1472. N. VIII. ad ann. 1473. N. XII. & XIV. ad ann. 1475. N. I. & XXIII. Feci id quidem exemplum ſecutus aliorum Bibliographorum, qui libros vel ſuo, vel aliorum judicio ad certum annum relatos ad annum eundem recenſuerunt. Attamen id impoſterum non amplius faciam, vitandæ confuſionis cauſa. Porro deletis e numero librorum notam anni habentium hisce libris tamen illorum numerus ultra centum & viginti aſcendit, ut aſſeritur in titulo.

NO-



# NOTITIA
# HISTORICO-LITERARIA
DE
# INCUNABULIS TYPOGRAPHICIS
## BIBLIOTHECÆ ACADEM. INGOLSTADIENSIS.

## ANNO 1462.

**I. Biblia latina Moguntiæ per Johannem Fuſt, & Petrum Schoiffer impreſſa anno 1462. 2. Tomi in Fol.**

Prima hæc eſt omnium Bibliorum impreſſorum editio, quæ notam anni loci, & typographorum impreſſam habet. Libris eam rariſſimis eſſe accenſendam fatentur Bibliographi omnes. Exemplar noſtrum, ut pleraque hactenus cognita, Pergameno impreſſum eſt. Ad calcem Tomi I. colore rubro impreſſa hæc verba leguntur: *Explicit pſalteriu3.* His ſubjecta, eodemque colore impreſſa conſpicitur anni nota, nimirum: *Anno M.* (intermedia ſunt typographorum inſignia) *cccc. Lxij.* Hæc deſunt in aliis exemplaribus. Differt quoque ſubſcriptio, quæ in noſtro exemplari ad calcem legitur Tomi II. a ſubſcriptione, quam alia habent exemplaria. Et noſtri quidem exemplaris ſubſcriptio ſic habet: *Pns hoc opuſculu3 finitū, ac cōpletū. et ad euſebia3 dei induſtrie in ciuitate Maguntū per Johannem fuſt, et Petrum Schoiffher de Gernſheym Clericū dioteſ. eiuſde3 eſt conſūmatū. Anno incarnacōis dn̄ice M. cccc. Lxij. In vigilia aſſumcōis glōſe virginis marie.* Aliorum autem exemplarium ſubſcriptiones diverſæ ſunt. Cl. Maſchius in nova editione *Bibliothecæ ſacræ le-longianæ Part. II. Vol. III. cap. II. Sect. I. §. XXXIII.* hanc

hanc adfert ſubſcriptionem, quam habet exemplar horum Bibliorum exſtans in Bibliotheca Regia Berolinenſi: *Pñs hoc opuſculũ Artificioſa adinuẽtione impmendi ſeu caracterizandi. Absq; calami exaracoñ. in ciuitate Moguntũ ſeic effigiatũ. et ad euſebiã dei induſtrie per Johẽm Fuſt ciuẽ, et Petrum Schoiffher de Gernſheim Clericũ dioces ejusdem eſt conſuͣmatuȝ Anno dñi M. cccc. Lxii in vigilia aſſumpcõis virg̃ marie.* Differt vero exemplar noſtrum ab eo, quod Cl. Maſchius loc. cit. deſcripſit, non tantum in his, verum etiam in aliis præcipue in numero foliorum. Nam exemplar noſtrum foliis conſtat 481. Maſchianum vero 491. niſi forte, qui folia numeravit poſterioris exemplaris, Calculi errore lapſus eſt. Ex differentiis ejusmodi pluribus jam olim probabile admodum mihi viſum fuit, duas exiſtere a ſe diverſas cum ejusdem anni nota latinorum Bibliorum editiones, quæ ex Fauſti, & Schœfferi typographia Moguntiæ prodierint.

Sed hæc dicta ſufficiant, cum alibi ex inſtituto fuſius egerim de his Bibliis. Conferatur mea *de latinorum Bibliorum cum nota anni* 1462. *impreſſa duplici editione Moguntina exercitatio, impreſſa Ingolſtadii* 1785 & Nürnbergiſche gelehrte Zeitung den 29ten July 1785. N. 200.

## II. Biblia germanica, ſine loco, & anno, vulgo *Moguntina*, quæ anno 1462 impreſſa a multis dicuntur. * In Fol.

Biblia hæc Moguntiæ anno 1462. ex typographia Fuſti prodiiſſe, minime certis conſtat documentis. Nullum quippe hactenus detectum eſt horum Bibliorum exemplar, quod anni, loci, typographi notam typis impreſſam haberet. Unum exſtat exemplar Stuttgardiæ, cui duplex in fine adjecta eſt anni, loci, & typographorum notitia, ea vero non typis impreſſa, ſed manu colore rubro exarata. Utramque ex Cl. Panzero (a) lectoribus hic exhibendam cenſui. Prima quæ ad finem Apocalypſeos legitur, ſic habet: *Pñs biblie clariſſimum opus Johan Fuſt Moguntinus civis non atramento plumali caña neque erea ſed arte quadam perpulchra manu Petri de Gernszheim pueri mei feliciter effeci finitum. Anno M. CCCC. Lxij. In vigilia aſſumptiõis virg. Marie.* Altera

---

* Quæ de hac & ſequenti germanicorum Bibliorum editionibus ſcripſi, ſcripta jam fuerant, & prelo parata, cum in manus meas deveniſſet Cl. Gerhohi Steigenbergeri literariſch-kritiſche Abhandlung über die zwo allerälteſte gedruckte deutſche Bibeln ꝛc. ad quam utpote jam ante triennium fere promiſſam, provocavi. Ad eandem igitur lectores de horum Bibliorum loco impreſſionis, anno, & typographis certiora, quam quæ allata ſunt hactenus, ſcire cupientes remitto. Id unum prævie animadverto, argumentis illum plane novis probaſſe, Biblia, vulgo Moguntina ann. 1462, ab Henrico Eggeſtein Argentorati primum poſt ann. 1466 vel ad ſummum hoc anno fuiſſe excuſa.

(a) M. Georg Wolfgang Panzers. Schaffers bey St. Sebald in Nürnberg literariſche Nachricht von den allerälteſten gedruckten deutſchen Bibeln ꝛc. Nürnberg 1777. pag. 10 & 11.

Altera vero in ſequenti folio, quod ceteris foliis minus eſt, ac ſubtilius, exhibetur, & ejusmodi eſt: *Pñs hoc opuſculū Artificioſa adinvētione imp̄mendi, ſeu caracterizandi absque calami exaracōy in ciuitate Moguntv ſic effigiatum, et ad euſebiā dei induſtrie per Johē3 Fuſt civem et Petrum Schoiffher de Gernszheim Clericum dioteſʒ ejusdem eſt conſumatu3. Anno dni. m. CCCC. LXII. In vigilia aſſumcoīs virg'. marie.* Verum utramque hanc ſubſcriptionem a falſario additam eſſe incunctanter adfirmat eruditiſſimus Schœpflinus (*b*) hoc addens: *uno, eodemq; tempore* (anno 1462) *Fauſtus cur duo diverſi idiomatis* (latina ſcilicet notam anni 1462. & loci, ac typographorum impreſſam habentia, & hæc germanica) *Biblia edidiſſet? cur latinis modo non etiam germanicis formulam conſuetam typis impreſſam adjecturus fuiſſet? cur in ſola Wirtenbergenſis Conſiſtorii Bibliotheca tale exemplar* (*c*) *occurrit?* Addo ego: cur eadem die (in vigilia aſſumptionis B. V.) ambo illa Biblia latina nimirum N. 1. deſcripta, & hæc germanica finita fuiſſent, quin his, ut illis, nota anni, locique, ac diei impreſſa adjiceretur? Et ſane pleræque ejusmodi ſubſcriptiones antiquis librorum editionibus manu adpoſitæ falſitatis ſuſpicione laborant. Nam quædam earum, vel ipſam inventæ typographiæ Epocham nota anni adpoſita antevertunt, plures anni notam habent, quam falſam eſſe aliunde facile demonſtratur, pleræque demum certis ætatis criteriis ſunt deſtitutæ. Quare etiam Cl. Panzerus (*d*) impreſſionis annum 1462. in dubium revocat, etſi antiquam eſſe hanc Bibliorum editionem, ætate Bibliis latinis cum nota anni 1462. impreſſis ſi non priorem, certe tamen non multo poſteriorem judicet. Num vero Biblia hæc Moguntiæ e typographia Fauſti prodierint, in medio relinquit. Aſt Cl. Steigenberger in laudata paulo ante diſſertatione probatu haud ita difficile ſibi futurum adfirmat, Biblia hæc nec Moguntiæ, nec ante annum 1466. typis excuſa fuiſſe. Quam hac ſuper re promittit diſſertationem, Bibliographi omnes mecum avide exſpectabunt. Ego interim Bibliorum iſtorum deſcriptionem, quam fieri poterit, adcuratiſſimam dabo, ita quidem, ut diſcerni ea ab aliis ſine loco, & anno editionibus quam facillime poſſint.



(*b*) In vindiciis typographicis pag. 34. & 35.

(*c*) Notam anni, loci, typographi habens. Revera nullum præter illud Wirtenbergenſe, hactenus detectum eſt exemplar hanc anni, loci, typographorum notam habens ſubſcriptam, multo minus typis impreſſam. Innotuerunt autem hactenus novem exemplaria. Præter quinque enim illa, a Cl. Panzero commemorata duo exiſtunt in Bibliotheca Electorali Monacenſi, & unum in bibliotheca hujate academica. Duorum illorum Monacenſium mentionem facit vir Cl. Gerhohus Steigenberger Can. Reg. Pollinganus, qui Sereniſſ. Electori a Conſiliis Eccleſ. & a Bibliotheca eſt, in ſeinem hiſtoriſch=literariſchen Verſuch von Entſtehung, und Aufnahm der kurfürſtlichen Bibliotheck in München 1784. pag. 39. Nonum denique in Bibliotheca Garelliana Viennæ deſcriptum a Cl. viro Michaele Denis in Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliotheck pag. 33. ſeq.

(*d*) loc. cit. not. (*a*)

Formam, quam vocant, hæc Biblia folii majoris habent impreſſa Papyro quæ alba admodum, & firma, inſtar membranæ, eſt, & inſolitam habet latitudinem. Signa Chartarii varia ſunt. Omnium frequentiſſime, utpote frequentius multo, quam cetera omnia ſimul ſumpta, occurrit littera D. quam linea ſecat perpendicularis, ex parte tam ſuperiore, quam inferiore prominens, magis tamen ea (modo inferiore, modo ſuperiore) ex parte qua duas lineas transverſas, quam qua annulum habet adnexum. Signum huic prorſus ſimile, niſi quod unius annuli loco duos habeat, æri inciſum exhibet Schœpflinus in *vind. typograph. pag.* 44. adfirmatque in Aſtexani Menteliani, & Bibliorum Eggeſteinii Chartis illud comparere. Signa Chartarii alia in noſtris Bibliis occurrentia ſunt corona, quæ poſt D. illud omnium frequentiſſime occurrit, uva, & turris raro admodum occurrentes.

Plagularum, quarum altera alteri inſerta eſt, faſciculis opus integrum conſtat 42. qui tamen æquales non ſunt. Nam ſex priores faſciculi quinterniones ſunt. Septimus tantum tribus conſtat foliis. Octavus, nonus, & decimus itidem quinteriones ſunt, undecimus, & ſequentes usque ad decimum ſextum pariter ſunt quinterni. Decimus ſeptimus duernus eſt: quinternus vero decimus octavus. Decimus nonus undecim habet folia. Vigeſimus & ſequentes usque ad vigeſimum quintum itidem quinterni ſunt, ſiquidem folium faſciculi vigeſimi primi ultimum quod vacuum eſt, & Pſalterium a Proverbiis Salomonis dividit, adnumerare impreſſis foliis lubeat. Vigeſimus ſextus, ſeptimus, & octavus quaterniones ſunt: quinterniones vero: vigeſimus nonus, & ſequentes usque ad quadrageſimum. Faſciculi duo poſteriores ſexterni ſunt. Foliis igitur, non numeratis, opus integrum conſtat 404, ſi folium vacuum Pſalmos inter, & Proverbia interceptum adnumerare lubeat, vel hoc non numerato 403. Faſciculorum ordo idem prorſus eſt in exemplari, quod deſcribit Cl. Panzer in ſua Notitia de antiquiſſimis germanicorum Bibliorum editionibus, hoc ſolum diſcrimine, quod, ut in enumeratione faſciculorum ſingulorum adfirmat, faſciculus vigeſimus ſextus ſeptem tantum foliis conſtet. Verum ni faſciculus iſte integer ſit quaternio, octo conſtans foliis impreſſis, exemplar ab eo deſcriptum non 403. ut adfirmat, ſed tantum 402. conſtat foliis impreſſis, atque adeo mutilum eſſe debet. Qui ſingulorum faſciculorum folia, ut ipſe Cl. Panzerus ea adſignat, numerare voluerit, verum id eſſe comperiet. Verum errorem a ſe admiſſum ipſe vir Clariſſimus poſtea advertit, ut litteris ad me datis teſtatus eſt.

Pagina quælibet in duas diſtincta eſt columnas. Columna quævis integra lineas complectitur 60. Diſtinctionum ſigna alia non occurrunt, quam puncta & Cola, ſeu duo puncta. Poſt punctum plerumque littera occurrit major. Vocum abbrevationes exiguam legentibus moleſtiam creant, utpote non admodum frequentes, ſi d· ſcil. d cum puncto ex ſuperiore parte dextra loco der ſcriptum, & ſyllabam en, vel etiam n ſolitarium linea transverſa

indi-

indicatum (ẽ) excipias. Hæ enim abbrevationes paſſim occurrunt. - Littera *u*, ut ab *ue* diſtinquatur circellum ſibi habet impoſitum: *ue* vero per u, cui figura litteræ *e* ſimilis, ſuperimpoſita eſt, indicatur.

Deſunt ut in aliis plerisque incunabulis typographicis titulus, paginarum, & foliorum numeri, cuſtodes, ſignaturæ, litteræ initiales, capitum indices. Attamen litteras initiales alternantibus rubro, & ceruleo coloribus, & capitum ſingulorum indices, rubro ubivis colore nunc litteris romanis, nunc ubi ſpatium ſuppetebat, expreſſis vocibus, e. g. das fünfte Capitel, das achte Capitel, miniator, ut videtur, coævus adſcripſit. Idem etiam in margine ſuperiori ſingularum fere paginarum libros biblicos indicavit his, aut ſimilibus verbis: e. g. das dritte buch der konig, vel etiam *Judith*. *Eccleſiaſticus*, *Regum*, *Judicum* &c.

Ut diſtingui hæc Bibliorum germanicorum editio ab aliis, imprimis quæ ſine loco, & anno ſunt, editionibus poſſit: characteres quosdam indicabo, qui, ſaltem omnes, nulli alteri convenire poſſunt. Epiſtola S. Hieronymi ad Paulinum duo priora folia integra, & folii tertii paginam primam, ejusdemque folii paginæ averſæ, columnæ primæ triginta quatuor priores lineas occupat. Quæ hanc epiſtolam excipit S. Hieronymi Præfatio in Pentateuchum, folii tertii averſæ paginæ, quod ſupereſt, occupat ſpatium, & folii quarti, columnæ primæ triginta ſex priores lineas. Liber geneſis terminatur folio 19, pagina averſa, columna prima, linea 47. quæ integra non eſt, & hæc tantum verba complectitur: ward gelegt an eī ſtatt ī egipt liber Deuteronomii incipit fol. 53. pagina prima, columna ſecunda, linea impreſſa 28. terminatur vero idem liber fol. 63. pagina averſa, columna ſecunda, linea 53. Liber Pſalmorum terminatur faſciculi vigeſimi primi folio 9. pagina averſa, columna ſecunda, linea 56. Inter Pſalmos & Proverbia in noſtro quidem exemplari folium vacuum reperitur. Poſt epiſtolam ad Galatas faſciculo 39. folio 8. pagina prima, columna ſecunda, linea impreſſa 11 legitur epiſtola ſpuria S. Pauli ad Laodicenſes, quæ etiam reperitur in aliis germanicorum Bibliorum editionibus ſæculi XV. Ejus vero ſequens eſt exordium: aulus (Paulus) bot nit vō dē menſchē noch durch dē menſchē: wañ durch Jeſum chriſtū. Den brüdern die do ſent zu laodici ꝛc. Apocalypſis terminatur faſciculi 42. folio 7. pagina averſa, columna ſecunda, linea 20. Quod ſupereſt ſpatium hujus columnæ vacuum eſt. Ejusdem faſciculi quinque folia ultima titulos Pſalmorum complectuntur.

Quis hujus verſionis auctor fuerit, prorſus incertum, certum vero eſt, eam non ex hebraicis, græcisque fontibus, ſed ex vulgata latina verſione fuiſſe expreſſam. Interpres vero iſte, quicunque demum is fuerit, latini ſermonis hinc inde minus peritum ſe oſtendit, e. g. dum illud Math. XVI. 13. *venit Jeſus in partes Cæſareæ Philippi* ita reddit: Wann ihеſus kam in

die

vix non dimidiam typographus vacuam reliquit: at vero in Mentellianis Præfationem primam, relicto ſpatio admodum exiguo ſtatim excipit Præfatio ſecunda. Inde vero a Proverbiis Salomonis ad finem usque Threnorum Jeremiæ typographus in Bibliis Moguntinis tantum ſexaginta quatuor: argentinenſis autem typographus ſexaginta ſex impendit folia: Hinc intelligitur, cur Biblia Moguntina foliis conſtent impreſſis tantum 403. argentinenſia vero 405. Intelligitur etiam, qua ratione ſublata ambarum editionum fuerit harmonia, quæ finitis threnis Jeremiæ a libro Baruch iterum incipit, & ad finem usque, modo ſupra explicato, continuatur, raro admodum interrupta. Primus hanc utriusque editionis harmoniam obſervaſſe videtur Cl. Panzer l. cit.

Carent hæc quoque Biblia titulo, litteris initialibus, foliorum, paginarumque numeris, ſignaturis, cuſtodibus, aliisque rubricis impreſſis. Attamen litteras initiales, foliorum capitumque ſingulorum numeros rubro plerumque cæruleove colore miniator, ad curatus ſane, & artis ſuæ peritus, ubique adſcripſit.

Plagularum, quarum altera alteri inſerta eſt, faſciculis opus integrum conſtat 40. foliisque impreſſis 405. faſciculi omnes quinterni ſunt, decemque conſtant foliis impreſſis, iis ſolum exceptis, quos jam ſingulos enumerabo. Sexterni ſunt faſciculi 1. 11. 15. 20. & 30. folium faſciculi 15. ultimum, columna ejusdem folii ſecunda, linea vero 12. librum Nehemiæ terminat. Quod ſupereſt hujus folii ſpatium, vacuum eſt. Quaterni ſunt, & octo conſtant foliis impreſſis faſciculi 10. & 34. folio prioris ultimo columna 2. linea 31. ſecundus liber Regum terminatur. Faſciculus 6. undecim 25. quatuordecim, 29. novem, 35. quinque foliis impreſſis conſtant. Faſciculi 25. folium ultimum, columna ejusdem folii prima, linea vero 51. threnos Jeremiæ claudit. Spatium hujus folii reliquum vacuum eſt. Faſciculi 29. folio ultimo columna 4, linea 62. Prophetia Malachiæ terminatur. Linea, dixi, ſexageſima ſecunda. Nam folii hujus columnæ 3tia, & quarta, ſeu paginæ averſæ columnæ prima, & ſecunda lineas complectuntur ſexaginta duas. Hoc a nemine, quod ſciam, hactenus obſervatum eſt. Columnæ enim reliquæ, ſi integræ ſunt, in toto hoc opere non niſi 61. lineas habent. Faſciculi 35. folium ultimum, cujus columna quarta, & linea itidem 4ta Johannis Evangelium terminat, in noſtro quidem exemplari excipit folium vacuum. Vacuum quoque eſt, quod ſupereſt in folio eodem, ſpatium, finito Johannis evangelio. Apocalypſis terminatur faſciculi 40. folio 5, columna 4. linea 17. Quæ ſuperſunt quinternionis iſtius quinque folia Pſalmorum titulos complectuntur, ut in Bibliis Moguntinis. Atque hæc plane ſufficiunt, ut Biblia iſta diſtinqui ab aliis editionibus omnibus poſſint.

Cl. Panzer loc. cit. adfirmat, in utraque Bibliorum editione tam Moguntina, quam argentinenſi Pſalmos inveniri centum, & ſexaginta ſeptem, ſi-

qui-

quidem Pſalmorum numerus ineatur ſecundum diviſiones, quas faciunt litteræ majuſculæ adſcriptæ, vel ubi hæ deſunt, ſpatia vacua iis adſcribendis relicta. Verum hac ratione ſi Pſalmorum numerus ineatur, non centum ſexaginta ſeptem, ſed centum ſexaginta octo Pſalmi in utraque editione inveniuntur: quin in editione argentinenſi omnino centum ſexaginta novem, ſi Pſalmus, ut eum adpellat Cl. Panzer, ultimus, a noſtri vero exemplaris rubricatore Pſalmis minime adnumeratus, connumeretur, qui quidem ejusmodi eſt:

Alle werck des herren geſegent dē herrn: lobt
in un̄ erhȯcht in in den werlten.

Hæc ut intelligantur, notandum eſt, Pſalmum CXVIII. qui in Bibliis hebraicis CXIX. eſt, & alphabetico ordine ita eſt concinnatus, ut octoni ſemper verſiculi ab eadem hebraici alphabeti littera incipiant, in utraque editione in ſectiones diviſum eſſe novendecim. Quodſi igitur ſectiones iſtæ ut diſtincti totidem Pſalmi numerentur: Pſalmorum numerus ad centum ſexaginta octo adſcendere invenietur, Pſalmo illo, qui in argentinenſi editione ceteris adjectus eſt, non numerato.

## ANNO 1468.

**Inſtitutionum Juſtiniani Imperatoris libri IV. cum gloſſa. Pergameno impreſſi Moguntiæ per Petrum Schoyffer, anno 1468. in Fol.**

Hæc omnium prima eſt iſtius operis editio. Typorum formulæ, textum ipſum quod attinet, aut eædem, aut ſimillimæ ſunt illis, quibus impreſſa Biblia latina anno 1462. ex Fauſti typographia prodierunt. Textus paginæ cujusvis duas columnas fere in medio poſitas occupat. Gloſſæ typis minoribus impreſſæ in extremis quatuor marginibus conſpiciuntur. Deſunt litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri. Aſt rubricas non modo librorum, ſed & titulorum typographus rubro impreſſit colore. In fine libri quarti hæc leguntur rubro pariter colore impreſſa: *Pñs inſtitutionū pclarū opuſ Alma in vrbe magūtina inclite nacōis germanice. quā dei clementia tam alti ingenii lumine. donoq; gratuito. ceteris terrarꝫ nationibus pferre, illuſtrareq; dignatus eſt nō atramēto cōi. nō plumali caña. neq; erea. ſꝫ artificioſa quadā adinuēcōe imprimedi ſeu caracterizādi ſic effigiatū: et ad euſebiā dei induſtrie ē ɔſummatū p Petrum ſchoyffer de gernſsheym anno dñice incarnationis, Milleſimo cccc. Lxviii: viceſima quarta die menſis Maij.*

## ANNO 1469.

**I. Cornelii Taciti Editio prima ſine loci & anni Nota. Certe autem circa annum 1469. typis Venetis a Joh. de Spira excuſa in Fol min.**

Incipit ab undecimo annalium libro, (priorum enim nullus tum quidem erat cognitus) quem unacum quinque ſequentibus complectitur integrum.

 Hos

Hos excipiunt hiſtoriarum libri V. Subnexi ſunt libellus de ſitu, moribus, & populis germaniæ, & dialogus de oratoribus claris. Ad hujus calcem ſequentes leguntur verſus:

*Ceſareos mores ſcribit Cornelius. eſto*
*Iſte tibi Codex: hiſtoriæ pater eſt.*
*Inſigni quem laude feret genspoſtera: preſſit*
*Spira premens: artis gloria prima ſuæ.*

Atque ex his typographi nomen innoteſcit. Fuit nempe Johannes de Spira, qui ſplendidiſſimam procuravit editionem hiſtoriæ naturalis Plinii Venetiis ann. 1469. eodemque anno bis edidit epiſtolas Ciceronis ad familiares. Fuit quidem & alter de Spira, cui nomen Vindelinus, celeberrimus pariter eadem ætate typographus, compluribus monumentis typorum beneficio in lucem editis inclitus. Quo minus vero huic præſentem Taciti editionem poſſim attribuere, illud obſtat, quod ad finem cujusvis folii vox prima folii ſequentis integra, cuſtodis inſtar, ſit adjecta, id quod Vindelinus de Spira in nullo libro ab ſe edito obſervavit. Porro Johannes de Spira mortuus eſt anno 1470, dum Aurelii Auguſtini libris de civitate Dei imprimendis eſſet occupatus, ut ex verſibus editioni iſti a Vindelino de Spira anno 1470. demum abſolutæ in fine adjectis diſcimus:

*Qui docuit venetos exſcribi poſſe Joannes*
*Menſe fere trino centena volumina Plini,*
*Et totidem magni Ciceronis ſpira libellos,*
*Ceperat Aureli, ſubita ſed morte peremptus*
*Non potuit ceptum Venetis finire volumen*
*Vindelinus adeſt ejusdem frater, & arte*
*Non minor Adriacaque morabitur urbe.*

Recte igitur a Bibliographis fere omnibus ad annum 1469. refertur Taciti editio, a Joh. de Spira adornata. Eandem Cl. de Bure *Bibliographie inſtructive* N. 4904. ad annum 1468. retulit, eoquod primus, ipſo quidem judice fuerit liber, a Johanne de Spira impreſſus, ut ex verſu ſupra recitato, *artis gloria prima ſuæ*, putat poſſe colligi. Verum non recte hæc verba intellexit Bibliographus iſte. Primus enim liber a Joh. de Spira impreſſus fuere Epiſtolæ Ciceronis ad familiares 1469. editæ, ut patet ex verſibus huic editioni adnexis:

*Primus in Adriaca formis impreſſit ahenis*
*Urbe libros Spira genitus de ſtirpe Johannes.*
*In reliquis ſit quanta vides, ſpes, lector, habenda*
*Quom labor hic primus calami ſuperaverit artem.*

Ipſe etiam Cl. de Bure N. 2408. hunc librum primum eſſe inter libros a Joh. de Spira impreſſos adfirmavit. Non erat igitur niſi lapſus memoriæ, dum N. 4904. Tacito huic honorem attribueret. Ceterum typi, quibus impreſſum eſt hoc opus, rotundi, & perelegantes ſunt, charta munda, & firma. Annalium

lium, & hiſtoriarum libri titulis carent. Libellus de ſitu, moribus, & populis germaniæ, uti etiam dialogus de claris oratoribus ſuos habent titulos. Deſunt paginarum numeri, & ſignaturæ. Nulla quoque librorum in capita eſt diſtinctio. Litteræ initiales parvæ ſunt impreſſæ. Notatu certe digna eſt hæc editio, tum quod prima ſit omnium, tum quod codex MScptus, unde excuſa eſt, in Bibliotheca veneta hodie non amplius reperiatur, ut adfirmant Taciti editores Bipontini in Indice editionum. Quare inſtar Codicis MS. habetur, & eſt rariſſima.

## II. Lucii Apuleii opera, Romæ in domo Petri de Maximis 1469. in Fol.

Complectitur hæc editio 1) Luc. Apuleii Metamorphoſeon, ſive de Aſino aureo libros undecim. 2) Floridorum libros quatuor. 3) Orationem Apologeticam Magiæ ad Claudium Maximum Proconſulem. In indice operum Apuleii huic editioni præfixo, eoque impreſſo duæ quidem memorantur orationes Apologeticæ Magiæ, quarum prioris initium verbis: *Certus equidem* poſterioris vero his: *Nunc tempus eſt* indicatur, verum, quam ſecundam editores dixerunt orationem, non eſt niſi prioris continuatio. 4) Librum de Deo Socratis. 5) Librum de dogmate Platonis. 6) Librum de Philoſophia. 7) Librum de Coſmographia, ſive de mundo ad Fauſtinum. 8) Hermetis Trimegiſti Dialogum a Luc. Apuleio latinitate donatum. His accedit 9) Alcinoi epitoma diſciplinarum Platonis ab Epiſcopo Tropienſi Petro Balbo Piſano latine verſa, & Nicolao Cuſenſi Cardinali dicata, ut docet præfixa huic opuſculo Præfatio, ſeu dedicatio, quam typographi, vel editores in indice paulo ante laudato converſionem Epiſcopi Tropienſis ad Nicolaum Cuſ. Card. adpellarunt. Ad finem laudatæ epitomæ ſequentem typographi notitiam adjecerunt typis iisdem, qui in ipſo opere adhibiti fuere, & nigro colore impreſſam: *Lucii Apuleii platonici mădaurēſiſ philoſophi metamorphoſeoſ liber: ac nonňulla alia opuſcula eiuſdem: nec non epitoma Alcinoi in diſciplinarū Platonis deſinunt. Anno ſalutiſ M. CCCC. Lxix. Paulo ueneto regnante ſecundo anno eiuſ Ꝗnto. die uero ultima menſis februarij. Rome in domo Petri de Maximo.* Quamvis typographorum nomina in hac ſubſcriptione taceantur: aliunde tamen certum eſt, editionem hanc celeberrimis illa ætate typographis, ex germania noſtra oriundis, Conrado Schweinheim & Arnoldo Pannartz nos debere acceptam. Hi enim illa ætate per plures annos typographicam artem in domo Petri de Maximo exercuerunt, & plura litterarum monumenta typorum beneficio evulgarunt. Typi inſuper iidem plane ſunt cum typis librorum complurium, quos iidem adjectis in fine ſuis nominibus impreſſerunt. Quid multa? Apuleii a ſe editi, & exemplarium 275. impreſſorum mentionem iidem typographi fecere in *epiſtola ad Sixtum IV. R. P. Tomo V. Gloſſæ Nic. de lyra anno* 1472. a ſe impreſſo præfixa.

Ex Præfatione tum huic, tum aliis quibusdam ſæculi XV. editionibus præfixa, quæ incipit: *Beſſarion S. R. E. Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, & Conſtantinopolitanus Patriarcha &c.* manifeſti erroris convincuntur Bibliographi non pauci, qui poſt Michaelem Maittaire editionem hanc a Cardinale Beſſarione curatam, aut cum Cl. de Bure præfatione ejusdem Cardinalis inſtructam fuiſſe adfirmarunt. Nam auctor hujus præfationis, idemque operis editor a Beſſarione aperte ſe diſtinguit, dum non modo Cardinalem iſtum maximis laudibus extollit, verum etiam adfirmat, ex ſcriptis quibusdam, maxime in defenſionem Platonis ab eodem Cardinale editis occaſionem ſibi eſſe oblatam platonicos quosdam philoſophos in lucem ut ederet. Quare potiori jure auctor præfationis, ſeu verius epiſtolæ dedicatoriæ ad Paulum II. R. P. eſſe ſtatuitur Johannes Epiſcopus Alerienſis, qui typographiæ Pannartzii & Schweinheymii per plures annos correctoris ſimul, & editoris munere fungens præfuit, cui etiam hæc epiſtola in aliis editionibus ſæculi XV. expreſſe tribuitur.

Quod externam hujus editionis formam attinet, typi quidem rotundi, & perelegantes ſunt: papyrus munda, & firma, in qua amplos typographi margines reliquerunt. Deſunt cuſtodes, paginarum numeri, ſignaturæ, litteræ initiales, tituli librorum impreſſi. Littera Jod nec punctum habet, nec lineolam ſibi impoſitam. Signa diſtinctionum ſunt punctum, & duo puncta, nec non ſignum interrogationis, quod hodie uſitato ſimillimum eſt.

Rariſſimam eſſe hanc editionem, & inter Bibliothecarum theſauros reponendam, Bibliographi omnes fatentur. Idemque colligitur ex paucitate exemplarium. Non enim, niſi 275. typographi impreſſere, ut paulo ante diximus. Omnes etiam, quod ſcio, eam ut primam omnium, & originalem ex ipſis Manuſcriptis Codicibus unice hauſtam habuerunt, id quod editor in pluribus præfationis ſuæ locis haud obſcure ſignificavit. Quare haud abs re ſuſpecta mihi, quæ Cl. Franciſcus Carolus Alter in **Ueberſicht verſchiedener Ausgaben der griechiſchen, und Römiſchen Claſſiker mit Anmerkungen von Eduard Harwood D. d. Theol. Doctor. aus den engliſchen uebersezt ꝛc. 1778.** commemorat de editione Apuleii, jam ann. 1460. adornata. En ipſa ejus verba: *Apuleius de Aſino aureo Fol.* 1460. **Dieſe Ausgabe befindet ſich in der akademiſchen Bibliothek zu Königsberg.** Ex quo fonte hanc hauſerit notitiam, non commemorat. Silet etiam de loco, & typographo. Donec igitur certis teſtimoniis, aliisve indiciis Alteriana hæc editio fuerit comprobata: Romanam anni 1469. primam omnium adpellare licebit. Eſt autem hæc editio præ aliis hactenus cognitis eo nomine imprimis notatu digna, quod ſola fere correctorum, & inquiſitorum manus effugerit, ideoque integra, & incorrupta ſit. Quare eam quoque unice ſibi ſequendam duxit Iſaacus Caſaubonus, dum anno 1594. Apuleii apologiam, ſeu orationem apologeticam edidit. En magni iſtius critici de editione hac noſtra judicium: *Ea nobis unice ad manus*

*num ſemper manuſcriptorum loco fuit. Ejus ope mendas graviſſimas ſuſtulimus -- eam editionem, ut omnium minime correctorum manus expertam & proinde minus corruptam per omnia ſecuti ſumus: niſi ea manifeſte vitioſa eſſet.*

## III. Auli Gellii Noctes Atticæ. Romæ ann. 1469. In domo Petri de Maximis. Fol.

Hæc prima eſt iſtius operis editio, cujus non niſi 275. exemplaria typis mandata fuiſſe teſtantur typographi Conradus Schweinheym, & Arnoldus Pannarz in epiſtola ad Sixtum IV. R. P. quae initio Tomi V. Gloſſæ Nicolai de Lyra anno 1472. impreſſæ legitur. Inde editionis raritas cognoſcitur, & typographorum nomina innoteſcunt. Exterior editionis forma eadem eſt, quod chartæ magnitudinem, munditiam, typorumque figuram ſpectat, quæ in præcedenti editione Apuleii. Græcarum quoque litterarum forma in ambobus hisce libris plane eſt eadem. Deſunt utrinque ſignaturæ, cuſtodes, litteræ initiales, paginarum numeri. Complectitur autem hæc editio Novendecim libros Noctium atticarum. Quamvis enim viginti libros a ſe ſcriptos fuiſſe in præfatione ipſe adfirmet Gellius: non ſuperſunt tamen hodie niſi libri novendecim. Octavus enim detegi hactenus nondum potuit. Sola hujus libri in XV. capita diſtincti argumenta ad nos pervenerunt. Verum & hæc quoque an ipſius ſint Gellii, dubitatum eſt ab eruditis. Eadem non nulli editioni venetæ ann. 1500., alii aliis editionibus primum acceſſiſſe ferunt. In noſtra certe deſunt. Sexti libri initium in omnibus deeſt editionibus. Noctes atticæ cur nomen indiderit hisce libris auctor, ipſe in præfatione expoſuit hisce verbis: *Quoniam longinquis per hiemem noctibus in agro, ſicut dixi, terræ atticæ commentationes hasce ludere ac facere exorſi ſumus: idcirco eas inſcripſimus noctium eſſe atticarum.* Sunt vero iſtæ noctes atticæ obſervationes, & annotationes miſcellaneæ nullo inter ſe ordine connexæ, & ex lectione librorum ſeu græcorum, ſeu latinorum ortæ, quas partim in ſubſidium memoriæ, partim in uſum liberorum adornauit auctor. Quæ in noſtra editione continentur, hoc ſeſe ordine conſequuntur. Primo omnium in noſtro quidem exemplari quatuordecim paginis impreſſa exhibentur ſingulorum libri cujusque capitum argumenta, quæ etiam in operis contextu capitibus ſingulis ſunt præfixa, exceptis ſolum argumentis primi capitis cujusque libri, quæ forte miniatoribus adpingenda typographi reliquerunt. Teſtatur ipſe Gellius in fine præfationis, *ſe capita rerum, quæ cuique commentario* (i. e. libro) *inſunt, expoſuiſſe, ut jam ſtatim declaretur, quid quo in libro queri, invenirique poſſit.* Quare etiam a criticis peritiſſimis argumenta illa ipſi tribuuntur auctori. De quatuordecim hisce foliis ſingulorum libri cujusque capitum argumenta complectentibus Cl. de Bure *Bibliograph. Inſtructive Belles lettres* 3917. altum ſilet. Idem vero, uti etiam editores Auli Gellii Bipontini meminerunt Præfationis a Joh. Andrea Alerienſi Epiſcopo ad Paulum II.

R.

R. P. ſcriptæ plura lectu digna ad cognoſcendam editionis hujus rationem continentis. Hæc præfatio, quæ ex fide laudatorum teſtium Epiſcopum Alerienſem hujus editionis auctorem monſtrat, in noſtro exemplari deeſt. (*a*) Quatuordecim igitur memorata folia mox excipiunt Noctium Atticarum primus, & reliqui ſuo quisque ordine libri.

Poſt libri XX. Caput X. tandem auctoris ſequitur præfatio hoc inſignita titulo: *Autoris tanquam præfationis in opere totius ſumma. de noctium ordine Caput. XI.* Ad quos circa finem hujus præfationis prouocat verſus Ariſtophanis græcos, ii quidem in noſtro exemplari deſunt, relicto iis imprimendis ſpatio vacuo. Præfationi huic ſubjuncta ſunt latina diſtica novemdecim, ex quibus, præter alia, Theodorum Gazam Joh. Alerienſi in editione hac ſuppetias tuliſſe diſcimus. Tandem ad calcem operis leguntur ſequentia: *Anno Chriſti M. CCCC. Lxix. Paulo regnante. II. Anno ejuſ. V. die vero XI. menſiſ Apriliſ. In domo Petri de Maximiſ.* Editores Bipontini in Indice Editionum poſt Hambergerum in zuverläſſigen Nachrichten ꝛc. adfirmant, in fine legi verſus, quorum initium eſt: *Aſpicis illuſtris lector &c.* eosdem nempe, qui ad calcem leguntur librorum aliorum a Schweinheymio, & Pannarzo editorum. Aſt deſunt hi verſus in noſtro exemplari. Forte Hambergerus, quem ſecuti videntur Bipontini, dum ait: die Namen der Buchdrukker ſind in folgenden Verſen ausgedrukt. *Aſpicis illuſtris &c.* id ſolum voluit, hisce verſibus typographorum nomina, & patriam indigitari, non vero quod hi verſus editioni huic ſint adjecti. Videtur igitur, Hambergerum hos verſus deſumpſiſſe ex editione A. Gellii ab iisdem typographis Romæ ann. 1472. curata.

## IV. *Summa magiſtri Johannis. Aurbach. Vicarii Bambergenſis.* Auguſtæ Vind. per Guntherum Zeiner. 1469. in Fol. min.

Hunc quaſi titulum prima exhibet pagina hujus operis, quem ſtatim excipit in eadem pagina auctoris præfatio. In hac operis ſcopum, & partitionem exponit. Agere itaque in parte prima intendit de ratione, quam obſeruare oporteret animarum curatores in audiendis pro ſacro tribunali confeſſionibus: in parte ſecunda vero de ſingulis ordine ſeptem Sacramentis. Una pagina folii a corpore voluminis ſeparati indiculum exhibet ſingulorum capitulorum totius operis, quod, folio iſthoc non adnumerato, foliis conſtat 48. Litteris opus iſtud impreſſum eſt Gothicis, iis tamen elegantibus. Caret ſignaturis, cuſtodibus, paginarum numeris, litteris initialibus. Auctor in præfatione fatetur, ſe opus iſtud *ex textu juris canonici, doctorum dictis, ac aliis ....... ruditer collegiſſe.* Ad calcem ſequens legitur notitia, typis impreſſa, ex qua locum, & annum impreſſionis, uti etiam typographum diſcimus:

(*a*) Reperi eam nunc primum in alio volumine cum pluribus opuſculis diverſi argumenti compactam.

mus: *Finit libellus diuina eccleſie ſacramēta. que numero ſeptem. et aliaq̄m plurima ſecum verſans perſalubria cp viris eccleſiaſticis maxīe curatis. ſubdito4 aīabus quidē habētib,. cui titulus i capite fulgidus. a ginthero zeiner de Reutlingen artis huius ingenioſe magiſtro. in vrbe auguſtenſi impreſſus feliciter. A partu virginis ſalutifero anno curente Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono.*

## V. Summa Johannis de Janua, quæ vocatur Catholicon. Auguſtæ per Guntherum Zainer 1469. in Folio.

Auctori hujus operis nomen proprium erat Johannes Balbi, ſeu de Balbis: vulgo autem dicebatur Johannes Januenſis, ſeu de Janua, i. e. Genua, quæ ſolum ei natale erat. Fuit ordinis Prædicatorum alumnus, floruitque ſæculo XIII. Opus ipſum, de quo agimus, Lexicon eſt latinum, *ex diverſis*, ut ipſe auctor dicit, *majorum dictis, multo labore, & diligenti ſtudio Compilatum.* In contextu operis ſæpius provocat ad *Iſidorum Hiſpalenſem*, qui præter plura opera theologica viginti libros Etymologiarum, aliaque ad rem grammaticam ſpectantia conſcripſit, *Papiam natione Lombardum*, undecimi ſæculi ſcriptorem, qui elementarium, ſeu vocabularium latinum ſcripſit, ab eodemque vocabuliſtæ nomen accepit, & *Ugutium*, qui ad finem XII. aut initium XIII. ſæculi Papiæ vocabularium edidit. Quid porro Johannes noſter præſtare intenderit, ipſe expoſuit his verbis: *Primo licet principaliter intendam de proſodia, tamen quia orthographia eſt quodammodo via ad proſodiam, agam de orthographia. Secundo de proſodia. Tertio de etimologia, & diaſintaſtica, quaſi mixtim aliqua dicam. Deinde ſpecialiter de conſtructione, & ejus ſpeciebus & partibus, nec non de regimine ſubjungam. Quarto determinabo de figuris. Quinto de orthographia, proſodia, origine, & ſignificatione quarumdam dictionum, quæ ſæpe inveniuntur in Biblia ex dictis ſanctorum, & etiam poetarum ſecundum ordinem alphabeti ordinate ſubjungam.* Lexicon iſtud ſæculo XV. & initio ſæculi XVI. ſæpius eſt typis impreſſum. Editionum omnium poſtremam eruditiſſimus Hambergerus (zuverläßige Nachrichten ꝛc. 4. Thl. pag. 458.) eam judicavit, quæ anno 1520. Lugduni & Venetiis excuſa eſt. Editio omnium prima eſt Moguntinenſis anni 1460. in Fol. Hujus exemplar pergameno impreſſum exſtat in Bibliotheca Cann. Regg. Pollingæ. Præſens editio anni 1469. notam habens ordine ſecunda eſt. Georgius Wilhelmus Zapf, vir Clariſſimus (in Augsburgs Buchdruckergeſchichte 1. Thl. pag. 5.) rariſſimam eam eſſe merito adfirmat. Eruditiſſimis Bibliographis incognitam fuiſſe dicit Hambergerus loc. cit. pag. 457. Ignorarunt eam quoque Orlandi, & Cl. de Bure. Ejus certe nullam fecerunt mentionem. Ad calcem vaſtiſſimi voluminis leguntur ſequentes verſus, annum ac locum impreſſionis, item typographum pandentes. Litteræ initiales novem priorum verſuum in exemplari, quod deſcribit Cl. Zapfius loc. cit. ſitum habent horizontalem e. g. Ω < ≥ & nomen

nomen exprimunt typographi *Guntherus.* verum in noſtro exemplari eædem litteræ ſitum habent ordinarium.

*Grammatice partes et vocum proprietates.*
*Verius invenies hoc codice. ſi quoq3 queres*
*Nomen. qui libro ſcripturam impreſſit ī illo*
*Tunc cito comperies ꝑ literulas capitales*
*Hinc poteris certe cognomē noſcere aperte.*
*Ex Reutling Zainer hic dicitur eſſe magiſter.*
*Recte preſentis artis doctiſſimus ipſus.*
*Ut pateat nomen libri, qui dicitur eſſe,*
*Sumptus de variis auctoribus, atque poetis,*
*Katholicon. fertur quem collegiſſe Johañes*
*Cui nomē patriū dat janua. Juncta ſit enſis*
*Hoc complevit opus lux ultima menſis aplis.*
*Mille quadringēti, quis ſexaginta novemq3*
*Adiice. Vindelica finitur in vrbe ſerena.*
*Quam Schowēberg tenuit qui libro ꝑludia dedit.*
*Titulo cardineus preſes ubiq; coruſcus.*
*Terminat ſꝫ divus preſul ex Werdemberg altus.*
*Cum paulo ſecundo Papa. Imperante Fridrico.*
*Deo gratias.*

## VI. S. Thomæ Aquinat. Commentarius in librum IV. ſententiarum Petri Lombardi, dictus *quartum ſcriptum S. Thomæ.* Impreſſ. Moguntiæ per Petrum Schoiffer ann. 1469. in Fol. magn.

Præſens opus minuto charactere Gothicæ formæ in duabus Columnis impreſſum eſt. Caret titulo, initialibus litteris, cuſtodibus, ſignaturis, paginarum numeris. Charta magna eſt, & firma, ſed minus alba, & polita. Quævis columna lineas impreſſas continet ſexaginta: ſigna chartarii duo tantum obſervari, nimirum litteram D. quam ſtilus ſecat ex una parte in annulum, ex altera in crucem deſinens, & caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. Folia impreſſa numerari 274. — In prima vero columna, linea 38. folii 268. opus ipſum terminatur. Quæ ſuperſunt columnæ, & paginæ, continent indicem quæſtionum, quæ in hoc opere pertractantur, terminatum in prima ſolii 274. columna, linea 38. Hanc lineam, interjecto ſpatio exiguo, ſequens excipit ſubſcriptio, charactere majori, quo ſcilicet Biblia anno 1462. impreſſa ſunt, & rubro colore impreſſa:

*Preclarū hoc opus quarti ſcripti ſcī Tho-*
*me de aquino. Alma in vrbe mogūtina. in-*
*clite nacōis germaīce, quā dei clemetia tā*

dlti

*alti ingenii lu̅ie. donoq3 gratuitu. ceteris terra4 nocōib5 p̄ferre. illuſtraēq3 dignata ē. Artificioſa quadā adinuencōe imprimendi ſeu caracterizandi abſq3 vlla calami exaracōne ſic effigiatū et ad euſebiā dei induſtrie eſt cōſūmatū, p̲ petrū ſchoiffher de Gernſshem. Anno dn̄i milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono. tredecima die Iunii Sit laus deo.*

His ſunt ſubjecta typographi inſignia eodem colore expreſſa. Maittaire, teſte Hambergero in **zuverläſſig. Nachricht. Thl.** 4. *pag.* 428. hanc quidem laudat editionem, ſed num exiſteret? hæſit dubius. Silent de ea Orlandi, & Cl. de Bure, quin alii etiam plerique.

## VII. Dionis Chryſoſtomi oratio de Regno, ſine loci, anni & typographi nota. Cum præfatione, ſeu dedicatione Franciſci de Piccolomineis Cardinalis ad Maximilianum Friderici tertii filium data Romæ Kalend. Januar. ann. 1469. in 4to.

Rariſſimam eſſe hanc editionem, & a pauciſſimis viſam oportet, eo quod Cl. de Bure in *Bibliographie inſt. Belles lettres n.* 2354. vel ipſam ejus exiſtentiam in dubium revocet. Quamvis enim ejusdem a Cl. Maittaire factam eſſe mentionem fateatur, adfirmat tamen, neminem, præter Cl. Maittaire alicubi ejus meminiſſe. Attamen meminit hujus editionis Eduardus Harwood in **der Ueberſicht verſchidener Ausgaben der Römiſchen, und griechiſchen Klaſſiker** *pag.* 89. in germanica Alteri verſione, & quidem his verbis: *Dio Pruſeenſis de regno per Franciſcum de Piccolomineis e græco in latinum traductus ad Nicolaum V. Pont. Max.* 1469 4*to ſine loco, & impreſſoris nomine.* Meminit ejusdem P. Franc. Xav. Laire in *ſpecimine Hiſtorico Typographiæ Romanæ ann.* 1778. *Romæ edito* pag. 132. & 133. ac poſt eum P. Joh. Bapt. Audifredi in *catalogo Hiſtorico - Critico Romanarum editionum ſæc. XV.* Non ſatis exactam eſſe notitiam, quam hi dederunt de hoc libro, patebit ex dicendis paulo poſt, quemadmodum nec exacta ſunt ea, quæ Cl. de Bure loc. cit. de eadem habet editione. Exactiorem igitur hujus editionis certe rariſſimæ, & a pauciſſimis, ut videtur, cognitæ deſcriptionem dabo. Folium primum impreſſum exhibet dedicationem Maximiliano Friderici III. filio inſcriptam, & ſequenti titulo inſignitam: *Ad Illuſtriſſimū et ſereniſſimum dominum dominū Maximilianum diui Cæſaris Friderici tercii filium Franciſcus de Picolhomineiis Senen̄ S. Euſtachii Cardinalis.* In fine hujus dedicationis ſequens adjecta eſt anni, & loci, quo ſcripta eſt, notitia: *Ex urbe Kal. Ian̄. M. CCCC. ſexageſimo nono.* Quamvis libri iſtius eodem anno, aut omnino jam ad finem præ-

 ceden-

cedentis impreſſi nulla in dedicatione fiat mentio: recte tamen ille anno 1469. vel 1468. impreſſus eſſe judicatur. Miſſum quippe ad Maximilianum hunc fuiſſe librum jam impreſſum, quam Manuſcriptum, eſt longe vero ſimilius, ea præſertim ætate, qua libros imprimendi ars in urbe Roma jam non amplius erat aut occulta, aut omnino nova. Folio ſecundo impreſſo incipit ejus qui librum ex græco latine vertit, dedicatio ad Nicolaum V. Pont. Max. quæ finitur folii tertii pagina prima, linea decima. Noſtri exemplaris rubricator, haud longe ab impreſſi libri epocha remotus poſteriorem hanc dedicationem, & hoc ipſo latinam libri ex græco verſionem tribuit Georgio Tifernio, ſeu, ut rectius ſcribitur, Gregorio Tiphernati, græcarum litterarum, quas a Manuele Chryſolora didicit, & Pariſiis profeſſus eſt, peritiſſimo. Rectene an ſecus id factum ſit, nolim judicare. Id certum eſt, dedicationis iſtius auctorem, eumdemque libri interpretem non eſſe Cardinalem Franciſcum de Picolomineis, ut quidem P. Laire P. Audifredi, Cl. de Bure, Harwood loc. cit. & ante eos Jöcherus in gelehrt. Lexicon arbitrati ſunt. Nam nec ipſe in dedicatione ad Maximilianum hunc ſibi adſcribit laborem, nec Petri ſedem tenente Nicolao V. ea jam erat ætate, ut vertendis ex græco libris poſſet idoneus haberi. Nam obiit Nicolaus V. anno 1455., quo quidem anno Franciſcus de Picolomineis vix annum ætatis decimum ſextum exegerat, utpote, qui annos natus ſexaginta quatuor vivere deſiit XV. Kal. Nov. anno 1503. die vigeſima ſexta, poſtquam ſummus Pontifex, aſſumpto in memoriam Pii II. avunculi ſui nomine Pii III. eſſet factus. Porro interpres in dedicatione ad Nicolaum V. ſe virum monſtrat ætate maturum, multa lectione excultum, rerumque experientia pollentem. Has vero dotes juveni ſedecim annorum nemo facile attribuerit.

Dedicationem interpretis ad Nicolaum V. Pont. Max. in eadem pagina tertii folii excipit ipſa Dionis oratio ſeu ſi mavis, liber de regno. Hunc noſtri exemplaris rubricator in partes, quos libros vocat, quatuor diviſit, quorum ſingulos titulis inſignivit ſequentem in modum: *Dionis pruſaenſis liber primus - ſecundus - tertius - quartus & ultimus de regno feliciter incipit.* Idem libris ſingulis litteras initiales adpinxit. Cum his, tum ipſis titulis adſcribendis typographus ſpatium vacuum reliquit. Vnde colligitur ab ipſo editore, vel interprete librum hunc fuiſſe in quatuor partes diviſum. In fine libri nulla legitur loci, typographi, anni notitia. Attamen typis Romanis anno 1468. vel initio anni 1469. excuſum eſſe librum ex paulo ante dictis puto ſatis conſtare. Litteræ ſunt rotundæ, eæque elegantiſſimæ, elegantiores illis, quibus anno 1469. Auli Gellii noctes atticæ, & Lucii Apuleii opera Romæ e typographia Schweinhemii, et Panarzii prodierunt. Quare his quidem adſcribenda typographis haud videtur hæc editio. Accedit quod littera Jod in Dione ubivis punctum habeat ſibi impoſitum, quo caret eadem in Gellio, & Apuleio. Ceterum deſunt, præter litteras ſingulorum librorum initiales, etiam ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri. Papyrus firmitatem perga-

meni

meni vix non adæquat, eſtque mundiſſima. Atramentum eſt nigerrimum, ut ne hodie quidem nigredinis quidquam amiſiſſe videatur. Conſtat foliis impreſſis 69, & quævis pagina 23 lineas impreſſas continet.

## VIII. Strabonis libri XVII. Geographiæ a Guarino Veronenſi, & Gregorio Typhernate juſſu Nicolai V. Pont. Max. e græco in latinum verſi, editique Romæ ex typographia Schweinhemii, & Pannarzii. Sine nota anni, probabiliſſime autem ann. 1469. in Fol. max.

Initio voluminis exſtat Johannis Andreæ Epiſc. Alerienſis, qui, ut jam alibi me dixiſſe memini, in typographia Schweinheimii, & Pannarzi Correctoris, editorisque munere functus eſt, epiſtola dedicatoria ad Paulum II. Pont. Max. quæ duo implet folia. Ex hac epiſtola diſcimus, latinam verſionem Guarino Veronenſi, & Gregorio Tiphernati nos debere acceptam. Typographi Schweinheim, & Pannarz in epiſtola ad Sixtum IV. Pont. Max. Tomo V. Gloſſæ Nicolai de Lyra anno 1471. & 1472. ab ipſis excuſæ Strabonis Geographiam inter libros enumerant a ſe anno 1469. excuſos. Porro in recenſione illa librorum a ſe usque ad annum 1472. excuſorum typographos noſtros chronologicum ordinem adoptaſſe, manifeſte demonſtravit vir Clariſſimus Joh. Bapt. Audifredi in *Catalogo Hiſtorico - Critico Romanarum editionum ſæculi XV.* ad ann. 1469. N. VIII. & IX. ubi Strabonem noſtrum incunctanter inter libros hoc anno excuſos numerat. * In hac epiſtola iidem non niſi 275. exemplaria ab ipſis excuſa fuiſſe teſtantur. Patet inde raritas hujus editionis, quæ etiam typorum elegantia, imprimis autem chartæ magnitudine, & nitore maximopere ſe commendat. Epiſtolam dedicatoriam Johannis Alerienſis Epiſcopi ſtatim excipit primus, & ceteri ordine libri. Singulis interpres, ut videtur, breve argumentum, typis impreſſum, præfixit. Librorum finem & initium ſpatio vacuo inter ea, & argumentum relicto typographi diſtinxerunt. Caret hæc editio litteris initialibus, cuſtodibus, ſignaturis, paginarum numeris. Poſt librum XVII. pagina ſeparata tabulam exhibet eorum, quæ hoc volumine continentur. Ad calcem tabulæ ſequentes leguntur verſus, aliis etiam libris in eadem typographia excuſis adjecti:

 *Aſpicis*

* Quod Ciceronis epiſtolis ad familiares anno 1467 excuſis ejusdem epiſtolas ad Atticum anno primum 1470 impreſſas, & Ciceroni de oratore ann. 1469. impreſſo ejusdem libros de Philoſophia, primum anno 1471. editos immediate ſubjunxerint noſtri typographi, id quidem factum fuiſſe videtur, quod idem utriusque auctor, & ſimile fuerit argumentum. Ob eandem forte rationem Ciceronis epiſtolis ad familiares Lactantii Inſtitutiones ann. 1468. editas præmiſerunt. In ceteris exactus eſt ordo chronologicus.

*Aſpicis illuſtriſ lector quicunq3 libelloſ*
*Si cupiſ artificum nomina noſſe: lege.*
*Aſpera ridebis cognomina Teutona: forſan*
*Mitiget ars muſiſ inſcia uerba uirum.*
*Cōraduſ ſuueynheym: Arnolduſ pānartzq3 magiſtri:*
*Rome impreſſerunt talia multa ſimul.*
*Petruſ cum fratre Franciſco maximus ambo*
*Huic operi aptatam contribuere domum.*

Littera Jod nec punctum habet ſibi ſuper impoſitum, nec lineolam. Signa diſtinctionis ſunt punctum, duo puncta, & punctum interrogationis moderno ſimile.

## ANNO 1470.

### I. Ciceronis epiſtolæ ad familiares. Anno 1470. ſine nomine loci, & typographi in Fol.

Non eſt hæc prima epiſtolarum Ciceronis ad familiares editio. Hanc enim præceſſerunt 1) Romana anno 1467. in typographia Schweinhemii, & Pannarzii excuſa 2) itidem Romana ann. 1469. 3) veneta duplex. Quam utramque anno 1469. curavit Johannes de Spira. Ejuſdem fratri Vindelino de Spira præſentem quoque tribuit editionem Cl. de Bure n. 2410. propter characterum, ut inquit, ſimilitudinem cum characteribus Vindelini de Spira. In fronte primæ paginæ hic velut operis titulus litteris capitalibus impreſſus legitur: *M. Tulij Ciceronis Epiſtolarum Familiarium Liber primus Incipit Ad Lentulum Proconſulem. M. T. C. Proconſuli ſalutem Dicit.* Poſt hæc ſtatim, nullo fere ſpatio interjecto, ſequitur epiſtola ad Lentulum, quæ incipit: *Ego omni officio &c.* Libris ſingulis præfixus eſt peculiaris titulus, is vero non capitalibus, ſed iisdem, quibus cetera, litteris impreſſus, e. g. in fronte libri ſecundi hæc leguntur: *M. T. C. Epiſtolarum familiarum liber ſecundus incipit.* Ceterum deſunt in hac editione litteræ initiales ſingularum epiſtolarum, paginarum numeri, cuſtodes, ſignaturæ. Ad calcem operis ſola anni notitia habetur: *M. CCCC. LXX.*

### II. Johannis de Turrecremata Cardinalis expoſitio Pſalmorum Romæ per Udalricum Gallum (Hahn) impreſſa anno 1470. in Fol. min.

Plures quidem ſæculo XV. hujus expoſitionis factæ ſunt editiones: hac vero antiquiorem a nemine excitatam memini. Præmiſſa eſt auctoris ad Pium II. Pont. Max. Epiſtola dedicatoria: quæ incipit: *Beatiſſimo Patri, & Clementiſſimo domino Pio ſecundo &c.* & duo implet folia. Hanc folio tertio excipit opus

opus ipſum. Pſalmo primo ſequens præfixus eſt titulus: *Pſalmus primus In quo deſcribitur proceſſus in beatitudinem.* Titulos ſingulis etiam pſalmis præfixit auctor. Deſunt litteræ initiales ſingulorum pſalmorum, paginarum numeri, cuſtodes, ſignaturæ. Papyrus eſt mundiſſima, eademque firmiſſima, litteræ rotundæ perelegantes, atramentum nigerrimum. Ad calcem operis ſequens legitur notitia: *Reverendiſſimi Cardinalis ſancti* (hæc capitalibus ſunt litteris impreſſa, non item ſequentia) *Sixti Expoſitio brevis, et utilis ſuper toto pſalterio: Rome impreſſa die Quarta menſis octobris per honorabilē uirum magiſtrum Vdalricum Gallum de Bienna.* (Vienna) *Anno domini Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo. Laus Deo.* Cl. de Bure hanc editionem omnino ignoravit, citatque ut primam editionem eam, quæ Moguntiæ anno 1474. per Petrum Schoyffer curata eſt. Hambergerus in zuverläſſigen Nachrichten ꝛc. 4. Thl. pag. 792. dubitavit, an noſtra editio eſſet diverſa ab ea, quam idem typograpus Romæ anno 1476. curaverat. Revera etiam, ut in editione hac poſteriori, ita etiam in noſtra anni 1470. quinque priora folia incipiunt his verbis 1) Beatiſſimo 2) quaſi 3) pſalmus 4) legis, 5 & quia. Aſt folia impreſſa 4. poſtrema longe aliud habent initium, ac Hambergerus quidem illis aſſignat ſecundum editionem anni 1476. Nam folii quidem inter poſtrema quatuor folia primi pagina prima omnino eſt vacua, quod Typothetæ negligentia factum eſt, qui plures omiſit verſiculos, eorundemque expoſitiones. Terminatur enim præcedentis folii pagina averſa verbis illis: *alienus ſicut nunc*, quæ ſenſum abrumpunt. Aſt pagina averſa folii, de quo agimus, incipit: *Etſi nullus poſſit ſuſtinere.* Tria poſtrema folia ſequentia habent initia: *Ait. Laudate - abjectione temporalium - Canat ſponſo.* Aliter, Hambergero teſte, ſe habent iſta in editione anni 1476. nempe *laudabunt - et vere - regnabit - vita.* Quod opus ipſum attinet, teſtatur auctor in epiſtola dedicatoria, ſe *ex ſententiis - Hieronymi, Auguſtini, Remigii, & Caſſiodori, qui hunc pſalmorum librum exuberantiſſimis fluminibus profundiſſime interpretati ſunt, aliquam brevem, compendioſamque intelligentiam exſculpſiſſe, quæ præ ceteris a pluribus, & etiam pauperibus Clericis haberi poſſet, & intelligi.* Ex his de ratione operis ferri poteſt judicium.

## III. Juſtini compendium hiſtoriarum ex Trogo Pompejo excerptarum libris XLIV. comprehenſum. Venetiis per Nicolaum Jenſon anno 1470. in Fol.

Trogus Pompejus, a Juſtino in Præfat. *vir priſcæ eloquentiæ* dictus ſub Auguſto floruit. Scripſit, teſte eodem Juſtino loc. cit. libros, ſeu volumina XLIV. quibus græcas, & totius orbis hiſtorias latino ſermone complexus eſt. Ex his Juſtinus, ut ipſe ait, *per ocium, quo in urbe verſabatur, cognitione quæque digna excerpſit.* Hic vero Juſtinus, qui in manuſcriptis modo Juſtinus Frontinus, modo M. Junianus Juſtinus ſcribitur, ſub Antoninis floruiſſe perhibetur.

hibetur. Præſens ejus operis editio omnium prima habetur, quamvis non deſint, qui Romanam Udalrici Galli, quæ ſine nota anni prodiit, ea anteriorem ſtatuant, ſufficientibus tamen argumentis notam anni probantibus deſtituti. Initio ſtatim ipſius Juſtini Præfatio legitur, quam in averſæ paginæ linea 5. excipit primi libri titulus capitalibus litteris impreſſus hujus tenoris: *Juſtini Hiſtorici In Pompeii Trogi Hiſtorias Liber Primus Incipit.* Sequentium librorum tituli breviores ſunt, nimirum *Juſtini Hiſtorici liber ſecundus, tertius &c.* Plerumque vero libri romanis numeris indicantur, e. g. *Liber XVIII.* Ad finem libri XIX. leguntur ſequentia capitalibus litteris impreſſa: *Juſtini Hiſtorici In Trogi Pompeii Hiſtorias Liber Decimus Nonus Feliciter Explicit.* Poſt hæc plurium linearum ſpatio interjecto itidem capitalibus litteris impreſſa hæc leguntur: *Juſtini Hiſtorici Liber Vigeſimus Feliciter Incipit.* Libri trigeſimi Noni Titulus ex Typothetæ incuria ſic ſe habet: *Juſtini Hiſtorici Liber XXXV.* pro *XXXVIIII.* In fine libri quadrageſimi quarti, ejusdemque ultimi leguntur ſequentes verſus:

*Hiſtorias ueteres, peregrinaq3 geſta reuoluo*
*Juſtinus. lege me: ſum trogus ipſe brevis*
*Me gallus ueneta Jenſon Nicolaus in urbe*
*Formavit: Mauro principe Chriſtophoro.*

His capitalibus impreſſa litteris ſubjecta hæc ſunt:

*Juſtini Hiſtorici Clariſſimi In*
*Trogi Pompeii Hiſtorias Liber*
*XLIIII. Feliciter Explicit*
*M. CCCC. LXX.*

Typi in hac editione ſunt rotundi, eorumque ſingularis eſt elegantia, & nitor. Papyrus firmitate pergamenum fere adæquans eſt mundiſſima. Litteras ſingulorum librorum initiales a Typographo omiſſas in noſtro quidem exemplari manus peritiſſima adjecit. Cuſtodes, ſignaturæ, numeri paginarum deſunt.

## IV. Joſephi Judæi - libri XX. Antiquitatum Judaicarum, & libri VII. de Bello Judaico - Auguſtæ Vindel. per Johannem Schüsler - anno 1470. in Fol.

Hæc prima eſt omnium ſeu latinarum, ſeu græcarnm editionum Joſephi. Primus quoque idem eſt liber, qui ex typographia Johannis Schüsler prodiit. Antiquiorem certe nullum Schuslero tribuit Cl. Zapfius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte. Ignoravit hanc editionem Orlandi in *Origine & Progreſſi della ſtampa &c.* Initio hujus editionis hæc leguntur: *Joſephi hiſtoriographi viri clariſſimi prologus in libros antiquitatum vigiti incipit feliciter.* Prologum iſtum, qui terminatur in averſa pagina primi folii impreſſi, columna ſecunda (ſunt enim paginæ ſingulæ hujus editionis in duas columnas diſtinctæ) linea quinta

ta ſtatim excipiunt capitula in librum primum, hoc eſt ſummaria ſingulorum libri primi capitum. Summaria ejusmodi ſeu brevia ſingulorum capitum argumenta reliquis etiam libris ſunt præfixa. Ad calcem libri vigeſimi hæc adnotantur: *Omnes libri antiquitatum. qui ſunt ſimul viginti. verſus continent ſexaginta milia - Continet hoc opus joſephi a pma hoĩs natiuitate traditionem. uſq3 ad decimũ annũ neronis imperii*

*Verſus in Ioſephũ antiquitatũ.*
*Icſephus hic ſcribit. q3 nunqm ſcema peribit.*
*Proceſſus rerum. ſex incrementa dierum.*
*Ade peccatum. mundo genus exiliatum.*
*Indigenas arce. primi meritum patriarche*
*Vates et reges. ſacras ex ordine leges.*
*Quot ſcele4 nodis. regnum ſe junxit herodis*
*Dux cum poſtremo ſupeſſet tempore nemo*

Interjecto aliquot linearum ſpatio ſequitur *Euſebii ceſarienſis Cõmendaticia ĩ joſephũ in eo libro qui de eccleſiaſtica inſcribit hiſtoria.* Commendatitiam excipit narratio de ſeptem mirabilibus mundi: Tandem ſequens legitur ſubſcriptio: *Joſephi hiſtoriographi viri clariſſimi. libri antiquitatum numero vigĩti. per Johannem ſchůſler. Ciuem Auguſtenſem finiunt feliciter non ſcriptorum quidem arte. ſed qua noſtra tandem etas dotata eſt. impreſſoria ſc3 exarati. Anno a natiuitate currente dominica, Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo. Kalẽdas vero iulias quarto,* Folio ſequenti: *Joſephi de bello judaico prologus in libros ſeptem incipit feliciter.* Atque hic quidem prologus folium occupat integrum, paucis, quæ addi poſſent, lineis exceptis. Sequuntur deinde ipſi ordine ſuo ſeptem libri de bello judaico, in capita diuiſi. Attamen libris ſingulis præfixa non ſunt capitum ſingulorum argumenta, ut libris antiquitatum. Ad calcem libri ſeptimi leguntur

*Verſus in joſephum belli judaici*
*Judaicam guerram. gentes. urbẽ. ſacra. terram.*
*Fine ſimul triſti pro ſanguine perdita criſti*
*Joſephus iſte meus. pr edidit auctor hebreus.*

Interjecto perexiguo ſpatio tandem hæc legitur notitia: *Joſephi hiſtoriographi uiri Clariſſimi libri de bello judaico ſeptem finiunt feliciter. per Johannem ſchůſsler ciuem Auguſtenſem impreſſ: Kalendas ſeptembris decimo. Anno vero a ptu virginis ſalutifero Milleſimo qdringenteſimo ſeptuageſimo*

*Laus optimo maximo*

Litteræ ſunt gothicæ formæ ſed perelegantes, charta magna, firma, & munda. Litteræ initiales tam librorum: quam capitum deſunt, quemadmodum etiam cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Franciſcus Carolus Alter in Ueberſicht verſchiedener Ausgaben der griech. und Römiſch. Klaſſiker - von Harwood pag. 83. hujus editionis meminit his verbis: *Flavii Joſephi opera omnia fol.* 1470. *per Joh. Schuſzler ciuem Auguſtenſem.* At vero certum eſt, anno 1470.

a Schuslero tantum Joſephi libros antiquitatum judaicarum & de bello judaico, minime vero cetera etiam auctoris ejusdem opera fuiſſe typis excuſa.

## ANNO 1471.

### I. Plutarchi Apophthegmata a Franciſco Philelpho ex græco latine verſa, typisque excuſa. Venetiis per Vindelinum de Spira anno 1471. Fol. min.

In fronte operis exſtat Franciſci Philelphi ad Philippum Mariam Mediolanenſium Ducem Præfatio, quæ folium primum integrum, folii ſecundi primam paginam, averſæque paginæ primam lineam occupat. Tum ipſa ſequuntur Apophthegmata ad Trajanum cæſarem, ſeu Apophthegmatum Plutarchi Pars prima. Horum poſtremum eſt de cæſare Auguſto, & hoc habet exordium: *Aeſar* (i. e. Cæſar) *qui primus eſt Auguſtus cognominatus cum adhuc eſſet adoleſcens &c.* Partem Apophthegmatum ſecundam Franciſcus Philelphus Nicolao quinto Pont. Max. dicatam eſſe voluit, & quidem *Franciſci* (Philelphi) *prefatio ad nicolaum qũitum ſummũ pontificẽ in plutarchi cheronenſis apophthegmata laconica* parti huic ſecundæ præfixa eſt. In fine ſecundæ partis hæc leguntur

*M. CCCC. LXXI.*
*Impreſſum formis juſtoque nitore coruſcans*
*Hoc Vindelinus condidit artis opus.*

Typi hujus editionis, quæ omnium prima eſt, rotundi ſunt, & perelegantes. Papyrus firma quidem, attamen nitida eſt. Litteræ apophthegmatum initiales in prima quidem parte ubivis deſiderantur: in ſecunda vero easdem typographus capitales adjecit ubivis, præterquam in apophthegmate primo, & initio Dedicationis ad Nicolaum V. Deſunt in utraque parte cuſtodes, ſignaturæ paginarum numeri. Rariſſimam eſſe editionem iſtam Bibliographi pene omnes teſtantur.

### II. Caii Criſpi Salluſtii hiſtoria de conjuratione Catilinæ - item de Bello Jugurthino Venetiis per Vindelinum de Spira ann. 1471. in Fol. min.

Hanc editionem tres jam præceſſerunt ejusdem auctoris editiones; Veneta nimirum ex Vindelini Typographia anno 1470. altera ſine loco, anno, & typographo, quæ tamen ad annum eundem cum præcedenti refertur. Et Pariſina per Udalricum Gering, Martinum Crantz, & Michaelem Freyburger curata, ſed nota anni pariter deſtituta. Atque hæc quidem ex mente Cl. de Bure adnotare placuit, qui de tribus hisce editionibus agit paulo adcuratius n. 4860. 4861. & 4862, Quæ mihi præ oculis eſt editio, plane nitidiſſima eſt,

ſeu

ſeu chartæ munditiam, ſeu typorum elegantiam ſpectes. Incipit verbis ipſius Salluſtii *omnis* (ſic) *homines*, quæ capitalibus litteris impreſſa, & prima ſunt libri de Catilinæ conjuratione. Ad finem hujus libri nihil aliud legitur, quam ſola hæc vox in medio paginæ τελοσ. Sequentis folii prima pagina eſt vacua. Tum ſequitur liber de bello Jugurtino, ad cujus calcem leguntur ſequentia:

*Explicit* (capitalibus litteris) *M. CCCC. LXXI.*
*Qui cupis ignotum Jugurthe noſcere letum.*
*Tarpeie rupis pulſus ad ima ruit.*

Interjecto ſpatio perquam exiguo leguntur ſequentes verſus

*Quadrigenta iterum formata uolumina nuper*
*Criſpi: dedit uenetis ſpirea uindelinus.*
*Sed meliora quidem lector: mihi crede: ſecundo:*
*Et reprobata minus: antea quam dederat.*

Acceſſerunt huic editioni quædam in præcedentibus omiſſa, & ſex foliis comprehenſa. Sunt autem hæc 1) *Criſpi Saluſtij orator i* (ſic) *clariſſimi uita* 2) *ejusdem in M. T. ciceronem inuectiua* 3) *M. T. Cicerōiſ ī criſpū ſaluſtiū Reſpōſio ſeu inuectiua.* Ad finem invectivæ iſtius denuo nota anni *M. CCCCLXXI.* adjecta eſt, & nihil aliud. Vindelinus in hac editione litteras initiales parvas typis impreſſit, quas tamen ſæpe etiam omiſit. Cl. de Bure hanc editionem, licet prima non ſit, tamen rariſſimam eſſe dicit, quod facile crediderim. Non enim niſi quadringenta exemplaria ſunt impreſſa, ut patet ex verſibus paulo ante recitatis.

## III. S. Cypriani Epiſtolæ Venetiis per Vindel. de Spira anno 1471. in Fol.

Eodem anno bis prodierunt S. Cypriani epiſtolæ, Romæ nimirum ex typographia Schweinheimii, & Pannarzii, ac Venetiis ex Vindelini typographia. Quæ ex hisce editionibus ſit prior altera, nullo teſtimonio, nullo alio indicio ſatis conſtat. Habetur utraque ut originalis. Hoc certum eſt, venetam editionem eſſe Romana multo correctiorem, & adcuratiorem. Quare illa Stephanus Baluzius uſus eſt tanquam baſi in editione operum S. Cypriani, quam Baluzio defuncto abſolvit Prudentius Maran Ord. S. Ben. ex congregatione S. Mauri Pariſiis anno 1726. Quod mihi præ manibus eſt Venetæ editionis exemplar, primo omnium exhibet *tabulam ſuper epiſtolas Cipriani*, quæ incipit in folii primi averſa pagina, & terminatur in averſa pagina folii ſecundi, linea ſeptima. Folio tertio *Incipiunt epiſtolæ Cecilij Cypriani ad Cornelium Papam. Et prima de confeſſione feliciter.* Epiſtolis ſingulis præmiſſi ſunt tituli, quorum plerique argumentum deſignant. Epiſtolæ ad Quirinum, quæ omnium eſt ultima, accedunt libelli duo ad eundem contra Judæos, qui plerumque libri teſtimoniorum dicuntur, eoquod ex ſolis pene

ſcripturæ teſtimoniis Judæi convincantur. Hos libellos excipit *revelatio capitis beati Johannis Baptiſtæ*, quæ narratio certe Cyprianum auctorem non habet: immo certum eſt, poſt Pipini primum tempora fuiſſe conſcriptam utpote cujus in ea ſit ſæpius mentio. Poſt hanc vero narrationem legitur ſubſcriptio ſequens: *Loquitur lector ad Vindelinum ſpirenſem Artiſtem qui epiſtolas Beati Cipriani reddit in lucem.* Deeſt vero hæc lectoris adlocatio, ſolumque impreſſionis annus notatur: *M. CCCC. LXXI.* Deſunt in hac editione litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri.

## IV. Ovidii de Amore libri tres, & liber de Remedio amoris. Auguſtæ Vind. per Gintherum Zainer. Ann. 1471. in Fol. min.

In fronte primæ paginæ tituli loco hæc leguntur: *Publij ouidij naſonis ſulmonenſis de arte amãdi liber primus incipit felicit.* Ad finem libri primi hæc tantum: *Finis libri primi.* Secundus a tertio ſimili modo diſtinquitur. Tertius vero hanc habet ſubſcriptionem; *Explicit liber ouidij de amore..* In ſequenti pagina *Publij ouid.j naſonis ſulmonenſis dẽ remedio amoris liber incipit.* Ad hujus calcem typographus ſequentem adjecit notitiam: *Liber publij naſonis. Ouidii de remedio Amoris felicit' explicit. Impreſſus in Auguſta per Gintherũ Zainer ex Reuthlingen progenitum Anno dñi M. cccc° Lxxi°. Kaľ. Februarii* Typi gothicæ ſunt formæ, & craſſitudinis ſingularis. Verſiculi ſinguli initio litteram capitalem habent. At litteræ initiales librorum, uti etiam cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri omnino deſunt. Sunt rara admodum hujus editionis exemplaria. Hambergerus in zuverläſſigen Nachrichten ꝛc. & Harwood in Ueberſicht verſchiedener Ausgaben ꝛc. ejus non meminerunt. Incognita quoque ea fuit antiquioribus Bibliographis plerisque.

## V. Petri de Creſcentiis Ruralium Commodorum libri XII. Auguſtæ Vind. per Johannem Schuſsler ann. 1471. in Fol.

Auctor civis fuit Bononienſis, qui jam ſeptuagenarius ruri ætatem agens hoc de agricultura, & œconomia univerſa ruri potiſſimum exercenda opus, jam ante inceptum, perfecit. Italico primum ſermone conſcriptum fuiſſe adfirmat Jöcherus im gelehrten Lexicon. Verum auctor ipſe in præfatione latina latinæ huic editioni præfixa ne verbulo quidem indicat, qua primum lingua opus perſcripſerit. Sed latine primitus ſcriptum eſſe hunc librum, hodie quidem vix quisquam vocabit in dubium. Conf. Cl. Denis Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliothek pag. 457. Auctor initio ſæculi XIV. floruit. Quod præſentem attinet operis hujus editionem, videtur ea omnium prima eſſe. Antiquiorem certe a nemine excitatam inveni. Initio legitur: *Petri de Creſcen-*

*Creſcentiis ciuis Bononienſis epiſtola in librū cōmodorū ruralium. Enerabili* (venerabili) *in Xpo patri . . . . . . aimerico de placētia . . . ordis frat4 pdicato4 generali mgro. petrus de creſcentiis &c.* Teſtatur deinde auctor, ſe præſentem librum in honorem Dei & *regis Karoli* (Siciliæ, & Hieroſolymorum ſcilicet regis) *delectationē ſuiq3 ac cetero4 utilitatem inchoaſſe, et mediaſſe,* nunc vero cum ruri vitam ageret, rogatu Aimerici tandem perfeciſſe. Epiſtolam hanc immediate excipiunt *Capitula in librum pmum*, & in ceteros ordine libros, ac ſingula libri cujusque capita. Brevia hæc capitum ſingulorum argumenta terminantur folio quarto, & quidem averſæ paginæ linea 29. Paginæ ejusdem linea trigeſima auctoris ad regem Carolum II. incipit Præfatio ſeu Dedicatio, quæ paginæ ſequentis linea ſeptima terminatur. Tunc immediate incipit liber primus. Capitibus ſingulis brevia typographus argumenta præfixit. Capita tamen ipſa numeris non diſtinxit. Litteræ ſunt gothicæ quidem formæ ſed perelegantes. Litteras capitum, librorumque initiales, cuſtodes, ſignaturas, paginorum numeros typographus non adjecit. Idem vero ad calcem operis notavit ſequentia: *Petri de Creſcenciis ciuis bonon. ruraliū Cōmodorum libri duodecim finiunt feliciter p iohannē ſchüſsler ciuem auguſtenſem impreſſi. circit' xiiij. kalendas marcias. Anno vero a partu uirginis ſalubifero Milleſimo quadringenteſimo et ſeptuageſimo primo.* ꝛc.

## VI. S. Gregorii M. Pont. Max. Moralia in librum Job. Norimbergæ anno 1471. in Fol. max. ſine typographi indicatione.

Editionem hanc Bibliographi antiquiores plerique ignoraverunt. Nec exteri tantum, ſed etiam germani. Certe eruditiſſimus Hambergerus in zuverläßigen Nachrichten Thl. 3. pag. 465. Romanam hujus operis editionem anni 1475. omnium primam, ſeu antiquiſſimam eſſe adfirmat. Cl. de Bure quoque de ea ſilet. Præter Ingolſtadienſe exemplar exſtat alterum in Bibliotheca Cann. Regg. Pollingæ.

Initio voluminis *Incipit regiſtrum breve, et vtile omnium punctorum tactorū in moralibus beati Gregorij pape ſcdm ordinem alphabeti inferius annotatum.* Regiſtro præmiſſa eſt brevis de uſu ejus & ratione inſtructio. In columna paginæ primæ ſecunda (ſingulæ enim totius operis paginæ in duas columnas diſtinctæ ſunt) ipſum incipit regiſtrum, quod ſicut etiam modo dicta inſtructio, minoribus impreſſum litteris folia implet novendecim integra, & folii vigeſimi paginam primam. Averſa hujus folii pagina vacua eſt. Folium ſequens in averſa pagina (prima enim vacua eſt) hiſtoricam exhibet narrationem de libris Moralium Gregorii in Hiſpania non diu poſt mortem S. Leandri Hiſpalenſis epiſcopi, cui eos Gregorius M. dedicaverat, perditis, & Roma demum in Hiſpaniam allatis. Atque hæc quidem narratio iisdem, quibus opus ipſum litteris, majoribus ſcilicet gotthicis impreſſa eſt. Narrationem

nem hanc excipit Gregorii ad Leandrum epiſtola dedicatoria, in qua operis ſcopum, & rationem exponit, ac generalia quædam tradit de ipſo libro Job, ejus auctore, uſu, auctoritate &c. Hæc quinque foliis comprehenſa ſunt. Tum ſequitur primus & ceteri ordine ſuo libri Moralium. Ad initium ſingulorum librorum typographus ſpatium vacuum reliquit, cujus altitudo ſex ubivis lineas adæquat. Servit hoc ſpatium tum adpingendis, quas typographus omiſit, litteris initialibus, tum libris a ſe diſtinguendis. Nulli enim occurrunt tituli, quibus librorum vel initium, vel finis indicaretur. Capita librorum ſingula romanis numeris tantum indicantur. Nulli occurrunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Papyrus nitore, albedine, firmitate præſtat. Ad calcem operis legitur notitia typis impreſſa, quæ ſequentis eſt tenoris: *Immenſas omnipotēti deo patri. et filio. et ſpiritui ſancto. glorioſeqȝ genitrici vgini marie gratiarū referimus actiones. qui hoc opꝰ moralium beati gregorii pape in xxxv. libros diſtinctū impſſoria arte feliciter dedit nuremberge cōſumari Anno dñi M°. cccc. Lxxi°. die undecima menſis ſeptembris. da gloriam deo.* Diſcimus ex his locum & annum impreſſionis, minime vero typographum. Jam tum quidem Norimbergæ plures fuiſſe typographos, a non nullis aſſertum reperi. Aſt cui debeatur, non auſim decidere argumentis, ac teſtimoniis mihi ulla ex parte ſatisfacientibus deſtitutus. Sane primi Norimbergenſes typographi nomen ſuum, quin & locum, annumque occuluerunt.

## VII. Caii Plinii ſecundi Epiſtolarum Libri VIII. anno 1471. ſine loci, & typographi nota, in Fol. min.

Splendidiſſima hæc editio omnium hujus operis editionum prima eſt. Gratiſſimum oculis ſpectaculum præbet characterum, qui rotundi ſunt, nitor plane ſingularis, & chartæ, ampliſſimis inſtructæ marginibus, munditiés. Dolendum maximopere eſt, exemplar noſtrum neſcio qua manu, indigna certe, quæ librum tam elegantem attrectaret, paſſim fuiſſe fædatum, & nullius momenti adnotatiunculis onuſtum. In fronte voluminis exſtat impreſſa typis Ludovici Carbonis ad Borſium Ducem Mutinæ & Regii Marchionem aeſtenſem, Comitemque Rodigii dedicatio harum epiſtolarum, quas a ſe correctas, & impreſſoribus miſſas adfirmat. Folio ſecundo *Caii Plinii ſecundi Nouicomenſis oratoris facundiſſimi epiſtolaꝝ liber primus incipit.* Titulus huic ſimilis, minus tamen prolixus, ſingulis libris præfixus eſt. Singulæ etiam epiſtolæ ſuum habent titulum, huic e. g. ſimilem: *C. Plinius Macrino ſuo ſalutem.* Literæ initiales ſingularum epiſtolarum deſunt, quemadmodum etiam ſignaturæ, cuſtodes, paginarum tituli, & numeri. Ad calcem libri octavi hæc leguntur: *Caii Plinii ſecundi Nouicomenſis oratoris Facundiſſimi Epiſtolaꝝ liber octavus Expli.*

*M. CCCC LXXI.*

Elc-

Elegantiſſimam hanc rariſſimamque editionem Cl. de Bure poſt Maittairum tribuit Chriſtophoro Valdarfer, Ratisbonenſi Bavaro, eidem nimirum, qui anno eodem Ciceronis orationes nitidiſſimis typis impreſſas vulgavit Venetiis. Conf. de hac editione Cl. de Bure n. 2397. Sane Ludovicum Carbonem in Valdarferi typographia correctoris, editorisve munere functum eſſe, ex eo videtur recte colligi poſſe, quod ad calcem laudatæ modo editionis orationum Ciceronis adjectum ſit ejus nomen hoc modo: *M. CCCC. LXXI. Lodo. Carbo.* Cum igitur idem Ludovicus Carbo Epiſtolarum Plinii, de qua agimus editionem curaverit: recte ea Venetiis a Chriſtophoro Valdarfero typis excuſa creditur.

VIII. Bartoli de Saxoferrato, Juris conſulti ſæc. XIV. celeberrimi, lectura in libros Codicis VI. VII. VIII. IX. Neapoli per Sixtum Rieſinger impreſſa anno 1471. in Fol.

Secundum Orlandium in *origine, e Progreſſi della ſtampa* pag. 126. Sixtus Rieſinger primus omnium artem typographicam Neapoli exercuit, & hic primus eſt liber ab eodem in iſta civitate impreſſus. Typi rotundi ſunt, & perelegantes. Litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri deſunt. Pagina quævis in duas columnas diſtincta eſt. Charta nitida eſt, & firma: Ad calcem libri IX. hæc habentur impreſſa: *Explicit lectura ſuper Codice Edita ꝑ Dominum Bartholum de Saxoferrato famoſiſſimum legum doctorem Anno M. CCCC LXXI.*

*Quas cernis mir̄ ſixtus theotonicꝰ arte*
*Parthenope impreſſit cōpoſuitq3 notas.*
*Vtq̄ uel magnis numeroſa volumina hrī*
*ſūptibꝫ haud poterāt. copia larga foret.*
*Sixtus Rieſſinger.*

IX. Bartholi lectura in tres reliquos libros codicis X. XI. XII. Per Sixtum Rieſinger ſine nota anni. Sed abs dubio anno 1471.

Hæc lectura ab immediate præcedenti, cujus eſt ſupplementum, ſeparanda non eſt. Videtur enim anno eodem & paulo poſt præcedentem excuſa typis. Refertur etiam ad hunc annum ab Orlandio loc. cit. & Cl. de Bure n. 1069. Exterior utriusque forma eſt prorſus eadem. Ad calcem hæc tantum leguntur impreſſa

*Et ſic eſt finis huius lecture*
*Triū liberor4* (ſic) *codicis D. B.*

Subjectum eſt typographi nomen, & hoc quidem capitalibus litteris impreſſum.
*Sixtus Rieſſinger.*

**X. Floriani de Sto Petro de Bononia Juris conſulti lectura aurea ſuper titulo: ſi quatrupes pauperem feciſſe &c. & ſuper titulo ad legem aquiliam Neapoli per Sixtum Rieſinger anno 1471. in Fol.**

Paginæ ſingulæ in duas columnas ſunt diſtinctæ. Primæ paginæ columna prima hunc quaſi titulum rubro impreſſum colore exhibet: *Icipit aurea lectura Famoſiſſimi doctoris, et ſuo tpe Monarchi* (ſic) *ll. dni floriani de ſancto petro de Bononia ........ Quam lecturā legit Bononie M. cccc xLii. et audiebant ſub eo quaſi oēs doctores legentes Bononie et ſpecialiter dñs Ang. de aretio Et ē noviſſima lectura, et utiliſſima ſuper dictis ti. in practica et theoria.* Hunc quaſi titulum ſtatim excipit ipſa lectura. Typi ſunt rotundi, et perelegantes. Charta nitida, & firma. Deſunt litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, columnarum paginarumve numeri. Ad calcem operis ſequentia leguntur:

*Anno M. CCCC. ſeptuageſio prio*
*Petrus trota regis rector in ſcicilia* (ſic)
*Neapol' reſidens Tunc tempis regens*
*Miles ſtrēnuꝯ, legū doctor bñ dingnus*
*Hoc opus ꝑpriis fecit īpmere expēſis*
*Aioſe hec illa pclamat mente pia*
*Sixtus rieſinger huius operis magiſter.*

His denuo ſubjectum typographi nomen, ſed caracteribus capitalibus

*Sixtus Rieſſinger.*

Non memini hujus operis ab ullo Bibliographo factam eſſe mentionem.

**XI. Bartholi aureæ quæſtiones. Venetiis per Vindelin. de Spira ſine nota anni ſed circa annum 1471. in Fol. max.**

In fronte operis hic quaſi titulus primam inchoat columnam: *He ſunt auree queſtiões diſputate ꝑ Bar. de ſaxoferrato.* Opus in duabus eſt columnis impreſſum, typi rotundi & elegantiſſimi ſunt, papyrus magna, & nitidiſſima. Deſunt litteræ initiales. Cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Ad calcem hæc habentur: *Expliciunt diſputationes dñi Bar. de ſaxoferrato legū interpretis & ſunt numero xviii.*

*Impſſū formis. juſtoq3 nitore coruſcās*
*Hoc Vindelinus cōdidit artis opus*

Non memini, hujus editionis mentionem eſſe factam a Bibliographis.

XII. *Singularia Domini Lodo. pontani de urbe* ✝ *ꝯfundiſſimꝰ cuntos excedens extitit in memoria* - - Venetiis anno 1471. per Vindelinum de Spira.

Hic quaſi titulus primam primæ paginæ columnam inchoat. Externa operis forma eadem eſt cum præcedenti N. XI. In fine ſequens legitur notitia: *Expliciūt ſingularia Famoſiſſimi utriuſq3 Iuris Monarce dñi Ludouici Pontani de Roma*

*M. CCCC Lxxi.*
*Impreſſū formis juſtoq3 nitore coruſcās*
*Hoc Vindelinus condidit artis opus.*

De hoc quoque opere Bibliographi ſilent. Auctor ſæc. XV. floruit, & interfuit Baſileenſi concilio, cujus partes contra Papas tum contendentes eſt amplexus, & variis ſcriptis defendit.

XIII. Nicolai de Tudeſchis, ſiculi Catanenſis, Abbatis primum, tum Archiepiſcopi Panormitani, & S. R. E. Cardinal. Juris conſulti ſæc. XV. celeberrimi, Pars ſecunda lecturæ in ſecundum Librum Decretal. Venetiis impreſſ. per Vindelinum de Spira ann. 1471. in Fol.

Pagina quævis in duas eſt columnas diſtincta. Litteræ ſunt Gothicæ quidem, ſed perelegantes. Charta magna, eaque nitidiſſima eſt. Nullæ occurrunt litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum aut columnarum numeri. In fine operis gotthicis characteribus impreſſa hæc leguntur:

*m. cccc. Lxxi.*
*Ecce ſecunda tui partis diſcuſſa ſecunde*
*Abbatis miro pectoris ingenio.*
*Ipſe virum qui magna refert remiſcē tm̄*
*Nec Vindelinus pretereūdus erit.*
*Excit3 ut miſeros torpētes copia mille*
*Hic noua res: ſcripſit talia dicta piꝰ*

Etiam hujus editionis nullam apud Bibliographos reperi mentionem.

XIV. Bartholi prima pars lecturæ ſuper ffito novo. Venetiis per Vindelinum de Spira 1471. in Fol.

Splendidiſſima editio, ſive chartæ nitorem, ſive characterum, qui rotundi ſunt, elegantiam ſpectes. Deſunt litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum, quæ ſingulæ in duas columnas diſtinctæ ſunt, numeri. Nulla

hujus

hujus editionis apud Bibliographos, ſi recte memini, fit mentio. Orlandi, & Cl. de Bure eam certe ignorarunt. Ad calcem operis hæc habentur:

*M. CCCC. LXXI.*
*Queq3 noui dixit ſub pria legis amator*
*Iterpresq3 operis bartolus añ alios:*
*Hec Vindelini: gaudent quo ñrã magiſtro*
*Secula non nota preſſerat arte manus.*

## XV. Bartoli prima pars lecture ſuper Infortiato. Venetiis per Vindelinum de Spira 1471. in Fol.

Externa operis facies præcedenti ſimillima eſt, volumen vero, ſeu numerus paginarum tertia parte major. Primam eſſe hanc editionem ex illis diſcimus, quæ ad calcem voluminis leguntur impreſſa. Sunt autem hæc: *Explicit prima pars lecture excellentiſſimi doc. dñi Bartoli de ſaxoſerrato ſuper Inſortiato Anno dñi M. CCCC LXXI°. Menſis Februarii die IX. Deo gratias Amen.*

*Ediderat quondam præclara volumina legum*
*Interpres miro Bartolus ingenio*
*Quæ uitioſa diu corruptaq3 tempore longo*
*Redita* (ſic) *ſunt priſcis juſtificata modis*
*Antea quæ & fuerant humili deſcripta magiſtro*
*Nunc formoſa magis ænea prompta dedit*
*Quæque uidebantur cariora, & undiq3 rara*
*Jam tenui precio fertiliora manent*
*Vindeline tuum tollent ad ſidera nomen*
*Legiſte aeterno ne morieris euo*
*Poſtq3 tanta tui condiſti hæc munera cura*
*Naturæ non artis opus mirabile dictu*

## XVI. Clementis V. Pont. Max. Conſtitutiones cum Commentariis Argentorati anno 1471. per Henricum Eggeſtein in Fol.

Textus conſtitutionum in duabus columnis litteris paulo maioribus gotthicis, iisque ſculptis, non fuſis, eſt impreſſus. Margines occupant Johannis Andreæ commentaria, ſeu, ut vulgo dicitur, Apparatus typis minoribus gotthicis impreſſus. In toto opere nec tituli occurrunt impreſſi, nec litteræ initiales. Deſunt etiam cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Hic primus, aut certe ſecundus eſt liber, qui cum nota anni, loci, & typographi argentoratenſibus typis eſt excuſus. Conf. *Schöpflini origin. Typograph. pag.* 44. & 45. Ad calcem rubro colore typographus adjecit ſequentia: *Hic Clementis quinti cõſtitutionũ liber vnacũ apparatu famoſiſſimi, Juris doc. domini Jo. an* (ſic) *ſuis rubricationibus belliſſime diſtinctus Per venerabilem phië*

magi-

*magiſtrū ac etiam inclite Argentinenſis ciuitates ciuē bene meritū dñm Heinricū Eggeſteyn huiꝰ artis peritiſſimū ut innumera antehac diuini humaniq3 juris per ipſū teſtantur volumina. ſumma cū maturitate ac diligentia impreſſus eſt. Anno dñi ꝍ cccc. Lxxi. xi. kl'. decembris.* Idem opus jam ante bis ann. 1460. & 1467. & eodom anno 1471. per Joh. Fuſt, eoque defunčto per Petrum Schoiffer Moguntiæ fuit editum. Quaternionis ultimi, cujus prima quarti folii pagina, columna ſecunda laudatam paulo ante ſubſcriptionem exhibet, poſtrema quatuor folia duas continent conſtitutiones pontificias, quarum altera incipit: *Exivi de paradiſo: dixi rigabo ortum &c.* altera vero: *Execrabilis &c.*

## XVII. Prima Pars ſecundæ S. Thomæ Aquinatis. Moguntiæ anno 1471. per Petrum Schoiffer in Fol.

Secunda ſecundæ anno 1467. ex eadem typographia primum prodiit. Hujus meminit Cl. de Bure N. 382. Prima ſecundæ, de qua nunc agimus, eſt minuſculis charačteribus impreſſa. Paginæ ſingulæ in duas columnas diviſæ ſunt. Prima primæ paginæ columna inſcriptionem rubro colore, ſed iisdem, quibus cetera, caracteribus impreſſam in fronte exhibet: *Incipit prima pars ſecunde edita a fratre Thoma de Aquino.* Deſunt litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri. In fine adječta eſt tabula quæſtionum, quam excipit ſubſcriptio ſequens colore nigro impreſſa: *Preclarū hoc opus prime ſecūde ſančti thome de aquino. Alma in vrbe moguntina inclite nationis germanice. quā dei clementia tam alti ingenii lumine donoq3 gratuitu. ceteris terraꝝ nacōibꝫ ꝑferre illuſtrareq3 dignata ē. Artificioſa quadā adinuencōe imp̄mēdi ſeu caracterizandi abſq3 vlla calami exaratione ſic effigiatū. et ad euſebiā dei induſtrie eſt conſummatū ꝑ petrū ſchoiffer de Gernſhem. Anno dñi milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo p̄mo. octaua die nouembris. Sit laus deo.* Subječta ſunt Schöfferi & Fauſti inſignia rubro colore expreſſa.

## XVIII Roderici Zamorenſis ſpeculum vitæ humanæ. Auguſtæ Vindel. per Gintherum Zainer anno 1471. in Fol. min.

Primam hujus operis, cujus argumentum ex ſubſcriptione infra recitanda diſcemus, editionem Schweinhemius, & Pannarzius Romæ anno 1468 curarunt. Secunda hæc in fronte exhibet: *Ad ſanctiſſimū et. B. dñm. dñm Paulum ſecūdum pontificem maximū &c. &c.* Epiſtolam aučtoris dedicatoriam. Hanc folio ſecundo pagina averſa, linea očtava terminatam excipit Præfatio, in qua de aučtoris vita, ſtudiorum ratione, & præſentis operis inſtituto, atque œconomia agitur. Subnexa eſt tabula materiarum, quæ in duobus libris, & ſingulis eorum capitulis pertračtantur. Tandem folio očtavo, pagina prima, linea 21. *Incipit caplm p̄mū p̄mi libri &c.* Capitulis ſingulis argumenta præfixa ſunt. Litteræ initiales tam capitum, quam librorum, cuſtodes, ſigna-

ſignaturæ, paginarum numerideſunt. Characteres ſunt admodum pingues. Ad calcem operis poſt tria diſticha in laudem auctoris concinnata ſequens legitur ſubſcriptio. *Finit liber dictus ſpeculū vite humane. q3 in eo et ceſarea poteſtas. et regalis dignitas. bubulco4 etia3 genus ſibi ſpeculat ſaluberrima ſcl' ſpiritualiſq3 vite viros ſecū advehens. papam ſc3 cardinales. arciepos. clericos. et ceteros cūie miniſtros: rectā et his ſpeculādi pſcribendo normā. a Ginthero ʒainer ex Reutlingen ciui progenito. vrbe aūt cōmanenti Auguſtenſi: arte impreſſoria in mediū feliciter deditus: anno a partu virginis ſalutifero Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo primo: ydus vero Januarias tercio.* Sequuntur tandem tria folia: quibus continetur repertorium alphabeticum eorum, quæ in duobus hiſce libris pertractata ſunt.

## XIX. Pauli Oroſii hiſtoriarum libri VII. Auguſtæ Vindel. per Johannem Schüſsler 1471. in Fol. min.

Septem priora folia impreſſa ſingulorum capitum brevia continent argumenta. Deeſt vero in noſtro exemplari folium primum. Folio octavo legitur *Pauli horoſii hiſtoriogphi diſcipl'i ſancti auguſtini epi. viri hiſpani generis eloquentiſſimi aduerſū criſtiani nōis qrulos prologus i libros ſeptē.* Nono tandem folio *Pauli horoſii* &c. &c. *libri numero ſeptē incipiūt.* Libri hac, vel ſimili aut inſcriptione, aut ſubſcriptione a ſe diſtinguuntur: *Finit liber primus feliciter.* Ut legitur ad finem primi, & initium ſecundi libri. *Incipit tercius.* Atque ita habetur initio tertii, & ad finem ſecundi. Capita plerumque romanis numeris indicantur hoc modo. *Ca. XXX.* quin argumenta, quæ voluminis initio impreſſa exhibentur, repetantur denuo. Papyrus eſt mundiſſima. Litteræ initiales tam capitum, quam librorum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri omnino deſunt. In fine operis hæc leguntur impreſſa: *Beati Pauli horoſii preſbiteri in Xpiani nōis querelos libri nūo ſeptem finiunt feliciter. Per Iohannē ſchüſsler florentiſſime vrbis Auguſte conciuē impreſſi. Anno a ptu virginis Marie ſalutifero m°. qdringēteſimo et ſeptuageſimo pmo. Circit' iunii nonas ſeptiās.* Eſt hæc editio omnium prima, & judice Havercampio in Præfat. ad edit. Oroſii a ſe curatam ann. 1738. Lugd. Bat. *reliquas veteres editiones omnes bonitate præcedit, atque ex optimo codice MS. ſumma fide expreſſa eſt.*

## XX. S. Auguſtini libri XV. de trinitate ſine loco, anno, typographo in Fol. max.

Librum hunc Doctor Georgius Zingel Prof. Theol. Ingolſtadienſis anno 1478. octo florenis comparavit, ut ipſe ad calcem paginæ tertiæ manu ſua adnotavit. Oportet igitur ante hunc ſaltem annum fuiſſe typis mandatum. Cl. Michael Denis Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliotheck deſcribit exemplar

plar aliud, cui manus, ut adfirmat, coævá annum 1471 adſcripſit. Atque ex hac ratione librum iſtum inter libros anno 1471. impreſſos recenſere placuit. Eſt vero præſens editio ſine dubio omnium prima, Bibliographis omnibus, & Benedictinis, operum S. Auguſtini editoribus incognita, ut jam ante me advertit Cl. Denis loc. cit. Patet inde raritas præſentis editionis, cujus proinde uberiorem dabo notitiam, deſcriptionemque. Conſtat foliis impreſſis 105. Pagina quævis in duas columnas diſtincta eſt. Columna quævis integra lineas continet 47. Ad initium cujusque libri brevia ſingulorum capitum argumenta leguntur impreſſa. Non ſunt vero eadem ſingulis capitibus præfixa. Capita enim ſpatio inter ultimam lineam præcedentis, & primam ſequentis relicto tantum diſtinguuntur. Litteræ magnæ admodum, & pingues ſunt, charta firma quidem at crudior non nihil, & minus alba eſt. Chartarii ſignum frequentiſſime occurrens roſa eſt, minus frequenter uva occurrit. Non niſi una, alterave vice, vel certe rariſſime turrim obſervavi. Deſunt litteræ initiales tam capitum, quam librorum, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri. * Pagina prima legitur *Sentencia beati auguſtini de libro retractationum.* i. e. ex libro retractationum deſcripta, quæ columnam primam, & ſecundæ columnæ lineas 12. priores occupat. Hanc excipit *Epiſtola auguſtini aurelii yponēſis epiſcopi ad aureliū epiſcopum cartaginenſis eccleſie.* Liber primus terminatur folio 10. pagina 1. columna 3. linea 1. ſecunda linea ejusdem columnæ *Incipiunt capitula libri ſecundi.* Eadem ratione libri diſtinquuntur usque ad VIII. Ad hujus finem primo legitur *Explicit liber octauus de trinitate.* Simili modo reliqui omnes terminantur libri. Ad calcem XV. libri hæc tantum leguntur impreſſa: *Aurelii auguſtini epiſcopi liber de trinitate finit feliciter;* & nihil præterea.

## XXI. Sermones ſacri ab Anonymo conſcripti latine. Ann. 1471. Impreſſi. ſine nota loci, & typographi. in Fol.

Sermones iſti charactere rotundo elegantiſſimo, ut ex argento fuſæ videri poſſent litteræ, papiro mundiſſimæ impreſſi ſunt. Non memini litteras his ſimilis in ullo libro me obſervaſſe. Typi enim rotundi veneti, Mediolanenſes, & romani hujus ætatis, etſi elegantes ſint, ſunt tamen his notabiliter denſiores. Noſtrum exemplar initio mutilum eſt. Incipit enim in medio primi ſermonis, in quo de jejunio agitur, contextu verbis illis: *traria* (ſc. con.) *recidens cui⁹ ſubinde neceſſe eſt. ut aut peniteat aut pudeat. Et Bo.* Atque hæc quidem verba leguntur in prima linea paginæ, quæ prima eſt in

 noſtro

* Exſtat in Electorali Monacenſi Bibliotheca Bartholomæi de Chaymis confeſſionale, quod Chriſtophorus Valdarfer ſine nota anni, ſed adjecto ſuo nomine impreſſit. Porro litteræ, quibus impreſſum eſt hoc confeſſionale, ſunt ſimillimæ, aut eædem omnino cum litteris, quibus præſens S. Auguſtini opus eſt excuſum. Quare probabiliſſimum eſt, ambo opera eidem eſſe adſcribenda typographo. Inter libros nota anni deſtitutos plures occurrent iisdem litteris impreſſi.

noſtro exemplari. Sermonibus ſingulis præfixus eſt textus ſcripturæ ſacræ, qui ſermonis thema conſtituit, capitalibus litteris impreſſus. Continentur in hac editione univerſim ſermones quadraginta duo, quorum quinque priores ſunt 1) de jejunio 2) de fide 3) de caritate, 4) de ſpe 5) de Religione. Pagina quævis triginta ſex lineas complectitur. Litteræ initiales textuum Biblicorum, qui charactere capitali ſermonibus præfixi ſunt, cuſtodes, ſignaturæ, & paginarum numeri, ac tituli deſunt. Interpunctionis ſignum aliud non obſervavi, quam punctum. Quod ipſum deeſt ſæpiſſime. Nullus etiam ſermonibus ſingulis titulus eſt præfixus. Folia impreſſa numeravi 198. Sed non initio tantum, ſed etiam in medio unum, alterumve folium in noſtro quidem exemplari deſideratur. Circa finem averſæ paginæ folii penultimi nihil aliud legitur, quam *Deo gratias.* & nota anni *M. CCCC. LXXI.* In prima autem pagina folii ultimi impreſſa leguntur, quæ ad horum ſermonum œconomiam faciunt cognoſcendam, atque ea quidem hunc in finem adſcribam omnia: *Vt facilius pateat intuenti quicqd in ſerie huius libri continet᷑. paucis his declarabitur verbis. In primis XLII. ſermones in ſe continet in quorū introductione ita procedit. Quatuor in p̄mis adducit leges, ſc. nat'alem diui̇alem ꝓphalem et hūalē. In pma ponit rōnes q̄tuor nat'ales. q̄tuor auctoritates phorum. quatuor auctoritates poetarum. et q̄tuor exempla gentilium. In ſcda' ponit q̄tuor exempla ſiue notanda antiquorū patrum ueteris teſtamenti. In tertia ponit q̄tuor auctoritates ꝓphtarum* (Prophetarum) *In q̄rta ponit quatuor rōnes iuris ciuilis. Iſtis expletis in quolibet ſermone q̄tuor alias leges ponit. ſ. euangelicā apl'cam. canonicā. et eccl'aſticā. In p̄ma ponit quatuor auctoritates q̄tuor euangeliſtarū. In ſcda' quatuor auctoritates apoſtolorū. In tertia q̄tuor ratiōes q̄3 probat ex iure canonico. In ultīa vero ponit q̄tuor auctoritates q̄tuor doctorū eccl'ie uidelicet Gregorii Ambroſii Ieronimi et Auguſtini. Et iſta eſt forma ſermonum in hoc volumine contentorum. Quorum primus eſt.* Sequitur nempe index ſingulorum ſermonum. De auctore, loco impreſſionis, & typographo nihil habeo, quod dicam. Quin ne operis quidem hujus, ne dicam editionis, mentionem reperi apud Bibliographos, qui mihi ſunt præ manibus.

## ANNO 1472.

**1. Lucii Junii Moderati Columellæ libri XIII. Rerum Ruſticarum - Palladii Rutilii Tauri Æmiliani de Re Ruſtica libri XIII. Marci Catonis de Re Ruſtica liber — Marci Terentii Varronis Rerum Ruſticarum libri III. Venetiis per Nicolaum Jenſon anno 1472. in Fol.**

Jucundum præſens editio oculis ſpectaculum exhibet, ſeu chartæ nitor, ſeu typorum, qui rotundi ſunt, elegantia ſpectetur. Noſtri exemplaris ſplendorem augent litteræ initiales elegantiſſime pictæ, & deauratæ. Pretium

operis

operis illud etiam extollit; quod omnium prima hæc ſit ejusdem editio. Singulorum quatuor auctorum, quos hæc editio complectitur, lucubrationibus ſeu libris præmiſſa ſunt argumenta ſingulorum libri cujusque capitum, ita, ut, ubi plures ſunt auctoris ejusdem libri, libro primo præfixa ſint argumenta capitum, in quæ reliqui etiam diviſi ſunt libri. Ad calcem quoque ſingularum lucubrationum adjecta eſt nota, capitalibus impreſſa litteris, locum, typographum, & annum deſignans, annum, inquam, impreſſionis, qui idem omnibus fuit communis. Capitibus ſingulis præfixa denuo ſunt argumenta. Litteras initiales parvas typographus ipſe adjecit. Cuſtodes vero, ſignaturæ, paginarum numeri omnino deſunt. Liber tertius Terentii Varronis clauditur hac epigraphe, quæ ſimilis eſt ſubſcriptionibus ad calcem præcedentium auctorum adjectis, eſt que capitalibus litteris impreſſa:

*Marci Terentii Varronis, Qui Rem Ruſticam Expolivit Libri Tres. Hos Diligenter Atque Venuſte Impreſſit Nicolaus Ienſon Gallicus Genere Venetiis*
*M. CCCC. LXXII.*

**II. Libri XII. Hiſtoriæ Eccleſ. ex Socrate, Sozomeno, & Theodorito excerptæ, quorum latinam ex græco verſionem ab Epiphanio Scholaſtico adornatam Caſſiodorus in compendium redegit, & ordine digeſſit. Auguſtæ Vind. per Johannem Schüſsler. ann. 1472. in Fol. min.**

*In hoc corpore continentur tripertite hiſtorie ex Socrate Sozomeno, & Theodorico* (ſic) *in vnū collecte & nuper* (forte ex erronea typograpi, aut ejus, qui editioni præfuit, ſententia) *de græco in latinū tranſlate libri numero duodecim.* Hic operis quaſi titulus eſt, iisdem, quibus cetera, characteribus impreſſus. Hunc excipit *Prefatio ſenatoris* (Caſſiodori) *ſerui dei.* Tum e veſtigio *Incipiunt tituli tripertite hiſtorie cum opere ſuo ab Epiphanio ſcolaſtico domino preſtante tranſlati.* Sunt autem tituli tantum ſingulorum capitum primi libri. Reliquis enim ſingulis libris ſui præfiguntur tituli capitum. Deſiderantur litteræ initiales, tam capitum, quam librorum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Litteræ ſunt gotthicæ. Ad finem duodecimi libri hæc habentur. *Hiſtorie tripertite libri numero duodecim. iam domino preſtante finiunt feliciter. Non quidem cirographati ſed ipa. que a ſūmo demiſſa eſt. arte' Per Johannē ſchūſsler regie vrbis Auguſtenſis ciuem, q̄m diligēter impreſſi. Anno ſalutiſere incarnationis Chriſti Hieſu. Millesimo quadringēteſimo ſeptuageſimo ſecundo ȝ Circiter nonas februarias. Laus almipotenti. Amen.* Hæc prima eſt præſentis operis editio, quam a curioſis unicam requiri, ſibi vero nunquam viſam eſſe adfirmat Cl. de Bure. n. 4384. Patet inde pretium & raritas editionis.

III.

III. ***Repetitiões Diſputatioes n' nõ Tractatus diuerſo4 docto4 p9 enarrato4 ſũma cum diligentia p doctores famoſiſſimos emendat. Impſſe fuere opa et impendio Joannis de Colonia atq3 Vindelini d'ſpira Venetiis Anno dñi M. cccc. Lxxii. Nicolao Throno pncipe iucũdiſſimo, et duce feliciſſimo.***

Hæc notitia legitur ad calcem operis, quod paginis ſingulis in duas columnas diuiſis chartæ magnæ, & mundiſſimæ impreſſum eſt in Fol. ſine cuſtodibus, ſignaturis, & columnarum titulis. Attamen cum litteris initialibus parvis. Gotthici quidem ſunt characteres, ſed elegantes admodum. Quæ hoc volumine continentur typographi ad calcem indicarunt ſequenti adjecto catalogo:

*Sequitur nunc totius materie notificatio hoc uolumine contente. Primo Repetitio c. qm̃. contra falſam extra de pbati p. d. Lofracũ d'oriano d'brixia. Defẽſſoriũ fratris Erardi iuris doctoris.*
*De modo ſtudendi et vita doctorum et que opera ſcripſerunt.*
*Contrarietates Bar.* (Bartoli).
*Diſputationes Angeli d'puſio nũero VII. v3 haſtẽſis miles. Bononienſis feneratov. Renouata guera. Exorta Guerra. Duo ad iũicẽ litigãtes. In refulgẽti palatio Nobilis qdem genere.*
*Diſputatiões bal. v3 accuſatus d'vi turbatiua bononie cauetur.*
*Repetitio c.ↄ ſuluit. de uſuris p do. laurẽtium de Rudolphus.*
*Tractatus do. Tyndari de Teſtibus uariantibus. et quõ ad ↄcordiã reducãt⁹.*
*Tractatus ſatietatis et ſouide mercatorum, et animalium.*
*Tractat9 guarẽ tigie do. bñdicti de borzio.*
*Repeti°. d. lodouici de Roma ſuper Rca de arbitris.*
*Repetitio auc⁹ ſimiliter. e. ad. l. folia. per eundẽ. do lodouicum.*
Interjecto ſpatio perquam exiguo ſequuntur ea, quæ initio recitari verbotenus. *Repetitiões Diſputatiões* &c.

IV. **Vitæ Philoſophorum — item Alcinoi diſciplinarum Platonis Epitoma. anno 1472. ſine loci, & typographi nota in Fol. min.**

Prima pagina impreſſa *Incipit tabula ſcd'm ordinem alphabeti in vitas ph'o4 iuxta cãp demõſtra[illegible] vtutes et vicia in eiſdẽ ſignata.* Et hæc quidem tabula priora quinque folia implet. Folium ſextum continet alphabetico ordine nomina philoſophorum, & poetarum, quorum vitæ in hoc libro deſcribuntur. Complectitur autem hic liber uniuerſim vitas Philoſophorum, & Poetarum 119, eſtque in totidem capitula divisus. Capitulorum tituli ejusmodi ſunt. *De thale ph'o. I. capitulũ. de ſeneca ph'o. cap̃. c. XIX.* Ad calcem libri hæc tantum leguntur:

*Explicit uita philoſopho4.*

In

In noſtro exemplari quatuor intercedunt folia vacua. Poſt hæc *Alcinoi diſciplinarū platonis epitoma. id eſt. breviariū incipit.* Attamen ipſi huic breviario præmiſſa eſt *Epiſcopi Tropienſis* (Petri Balbi Piſani) *ad Nicolaū Cuſenſem Cardinalem conuerſio.* h. e. Dedicatio latinæ hujus libri ex græco verſionis ab illo adornatæ. Tum ſequitur ipſa Epitoma, quæ ſine ulla diſtinctione in capita, aut ſectiones quascunque impreſſa eſt. Conſtat foliis impreſſis 22. Litteræ tam hujus epitomes, quam vitæ Philoſophorum ſunt prorſus eædem. Deſunt utrinque litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri. Ad finem Epitomes hæc leguntur impreſſa: *Epitoma Alcinoi in diſciplinarū Platonis deſinit. Anno ſalutis. M. CCCC. Lxxii. die vero xxiiii. menſis Nouēbris.* Vir Cl. Michael Denis in Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliothek pag. 201. meminit tantum vitæ Philoſophorum, cujus auctorem ſtatuit Waltherum Burley, Anglum, Scoti auditorem, & Eduardi III. Magiſtrum, qui vixit adhuc ann. 1337. Tribuit vero editionem ſuam, quæ eadem eſt cum noſtra, Friderico Creuſnero, Typographo Norimbergenſi celeberrimo. Cl. de Bure n. 1267. meminit editionis libri de vita Philoſophorum & Epitomes Alcinoi anno 1472. impreſſæ. Sed libro de vita Philoſophorum præmittit librum Honorii de imagine mundi, qui in noſtro exemplari deeſt (*a*). Adfirmat quoque in fine voluminis hæc legi: *Epiſcopus Tropienſis affatur Nicolaum Cuſenſem M. CCCC. LXXII. XXIV. die Novembris.* Quamvis igitur impreſſionis annus conſentiat, ſunt tamen, in quibus Deburiana hæc editio a noſtra diſcrepat. Quæ vero habet Cl. de Bure, ex fide Maittairii tantum adfirmat.

## V. Iſidori Hiſpalenſis libri XX. Etymologiarum. Auguſtæ Vindel. per Gintherum Zainer. anno 1472. in Fol.

Notatu digna eſt editio, non modo quod prima ſit hujus operis, verum etiam quod litteris fuſis rotundis, ſeu Romanis, non ſculptis, ſit impreſſa. Pauciſſimi certe, ſi tamen ulli, ante hoc tempus reperientur libri Romanis litteris fuſis in germania excuſi. Initio voluminis argumenta exhibentur breviſſima ſingulorum libri cujusque capitum e. g. *Capitula in librum primum de diſciplina et arte. Cap. I. De ſeptem liberalibus diſciplinis. Ca. II.* &c. &c. Atque hæc quidem argumenta foliis quatuor primis continentur. Tum ſequuntur duæ iſidori ad Braulionem Cæſarauguſtanum Epiſcopum Epiſtolæ, quarum ſingulis ſubnexa eſt Braulionis reſponſoria. Accedit Iſidori tertia ad Braulionem epiſtola, in qua opus Etymologiarum ſe illi emendandum transmiſiſſe teſtatur. Epiſtolam hanc excipit breviſſima eorum, quæ in viginti Etymologiarum libris continentur, Synopſis. Tandem *Iſidori junioris* (hæc & ſtatim ſequentia ſunt capitalibus litteris impreſſa) *Hiſpalenſis Epiſcopi. Liber Etimologiarum Ad Braulionem Ceſarauguſtanum. Epiſcopum. Scriptus IncipitFæliciter.* Quæ ſequitur præſatiuncula

(*a*) Exſtat vero & hic liber in Bibliotheca noſtra, ſed ſeparatim colligatus. Recenſebo eundem inter libros nota anni deſtitutos.

cula, iisdem, quibus cetera, characteribus excuſa eſt: *En tibi ſicut pollicitus ſum miſi opus de origine quarundam rerum ex veteris lectionis recordatione collectum. Atq3 ita in qbusdam locis adnotatū. ſicuti exſtat conſcriptum ſtilo maiorum.* Libris ſingulis, quemadmodum etiam capitibus præfixi ſunt tituli. Litteræ initiales tam horum, quam illorum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Ad calcem ſequentem typographus adjecit notitiam: *Iſidori iunioris hiſpalenſis epiſcopi Ethimologiarum libri numero viginti. finiunt fæliciter. Per Gintherum zainer ex Reutlingen progenitum. literis impreſſi ahenis* (hoc eſt ære fuſis) *Anno ab incarnatione domini. Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Decima nona Die. Menſis nouēbris.*

## VI. *Hexameron Beati Ambroſii Mediolanenſis epi.* Hic quaſi titulus in fronte primæ paginæ, iisdem, quibus cetera, litteris impreſſus exhibetur - Per Joh. Schuſsler Aug. Vindel. ann. 1472. in Fol.

Eſt hæc prima hujus operis editio. Caret litteris initialibus, cuſtodibus, ſignaturis, paginarum numeris. Ad calcem voluminis hæc habentur: *Beati Ambroſii Epiſcopi mediolanenſis opuſculum quod hexameron vocitatur. iueunde explicit. Per Johannem Schuſsler imperialis vrbis Aug. ciuem qm̄ diligenter impreſſum. Anno ſalutiſere incarnationis hieſu ſaluatoris milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. circiter ydus maijas XI.*

## VII. Jacobi de Theramo conſolatio peccatorum - alias Belial - Auguſtæ Vind. per Johannem Schuſsler anno 1472.

Operi huic Belial inditus eſt titulus, quod in eo interlocutores, ſeu potius advocati gemini alter Moſes, alter Belial, hic inferni, ille Jeſu Chriſti cauſam agens, de opere redemptionis tractantes, & Salomonis aliorumque tribunalia judicum implorantes exhibeantur. Totus enim liber ita ſcriptus eſt, ut pro norma ſervire poſſit cauſam agere volentibus in judicio. Atque ita res ſummi momenti comice pertractantur. Quod præſentem attinet operis hujus editionem, videtur ea eſſe omnium prima. In fronte voluminis hic quaſi titulus legitur impreſſus. *Reuerendi patris domini Jacobi de Theramo compendiū ꝑbreue conſolatio peccatorum nuncupatum, Et apud non nullos Belial vocitatum. ad papā Vrbanū ſextum conſcriptum, Incipit feliter* (ſic) Capita ſeu ſectiones libri ſolo diſtinquuntur ſpatio vacuo inter eas relicto. In foliis 19. prioribus nullæ occurrunt litteræ initiales. In ſequentibus vero litteras initiales parvas typographus adjecit. Sunt tamen illæ in his quoque, ſed non niſi rariſſime, omiſſæ. Signaturæ vero, cuſtodes, & paginarum numeri per totum opus deſiderantur. In fine auctoris legitur epilogus, in quo adfirmat,

firmat; ſe opus iſtud Averſæ prope Neapolim anno ætatis 33. abſolviſſe, ſeu ſaltem emiſiſſe in publicum. Epilogo typographus hanc ſubnexuit Epigraphen: *Explicit lib' belial nuncupat⁹ als' pcto4 ɔſolatio Per Joh. Schuſſl' ciuē Aug'. impſſus. Año dñi M°. cccc Lxxii Julii vero Nonas vi.* Ceterum hic liber eſt poſtremus quem Schuſslerus, adjecto ſaltem ſuo nomine, excudit, eſtque admodum probabile, Schuſslerum hunc eundem eſſe, a quo, vel cujus quinque præla, aliaque artis typographicæ utenſilia Melchior Stamhamius, Abbas Monaſterii SS. Udalrici, & Afræ, anno 1472. feria tertia ante feſtum S. Afræ i. e. 5. Auguſti coemit. An Schuſslerus obierit hoc anno, an arti ſuæ nuncium remiſerit? eſt incertum. Conf. Domini Franciſci Antonii Veith, Bibliopolæ Auguſtani pereruditi, *Diatriben de origine & incrementis artis Typographicæ in urbe Auguſta Vindelica*, quæ Cl. Zapfii Annalibus Typographiæ Auguſtanæ præmiſſa eſt §. VII. & VIII.

**VIII.** ***Incipit liber dyalogorum beati Gregory ad petrū diaconum ſuum.*** **— Ita legitur in fronte voluminis ad calcem vero: *Explicit liber quartus dyalogorum Gregorii* in Fol. ſine nota anni, loci, & typographi.**

Hic liber eandem cum duobus præcedentibus compacturam habet. Eundem inter libros anno 1472. Auguſtæ in Monaſterio SS. Udalrici, & Afræ excuſos enumerat Cl. Zapfius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte; quamvis ipſe ea de re dubius hæreat. Sed jam ante ipſum Cl. Veithius in Diatribe ad N. præced. VI. citata pag. XXIV. librum hunc ex typographia monaſterii S. Udalrici prodiiſſe adfirmavit, quin tamen eundem, ut ex Cl. Zapfii verbis poſſet colligi, ad annum 1472. expreſſis ſaltem verbis retulerit. Immo vix non certum habeo, hunc librum ante annum 1473. ex hac typographia minime prodiiſſe, ſi tamen ex ea prodiit. Primo enim typographia hæc ad finem jam vergente anno 1472. primum erecta eſt, ut ad N. præced. VI. notavi. Secundo Wilhelmus Wittwer, pervetuſtus Monaſterii ad SS. Udalricum, & Afram Monachus in Catalogo MScpto Abbatum laudati Monaſterii de libris loquens in monaſterio illo impreſſis primo omnium commemorat Gregorii dialogos in vernaculum, i. e. Theodiſcam linguam translatos, nihil vero habet de iisdem dialogis latine editis. De priori vero opere adfirmat, finitum fuiſſe ann. 1473. Addidit quidem laudatus Monachus, alia etiam opuſcula, quam quæ ſc. ab ipſo commemorata fuerant, ex typographia ſanudalricana prodiiſſe. Non negaverim, haud tamen etiam adfirmaverim, inter illa fuiſſe Gregorii dialogos latinos. Wittweri teſtimonium recitavit Veithius in *Addendis, & emendandis ad Diatriben ſuam*, quæ adjecta ſunt Bibliothecæ Auguſtanæ ab ipſo editæ Alphabetho primo. Litteræ, quibus impreſſum eſt hoc opus, craſſæ admodum ſunt, videnturque eſſe ſculptæ non fuſæ. Cuſtodes, & ſignaturæ deſunt. Sed foliorum numeros typographus

in ſuperiori margine expreſſit, ita tamen ut idem numerus utrique paginæ ſit adjectus: ſic folii primi utraque pagina inſcripta eſt: *Folio* (ad initium lineæ (*I*) ad finem lineæ. Eſt igitur hic liber omnium primus inter hactenus deſcriptos, qui paginarum numeros habet impreſſos. Primus etiam, qui litteras initiales magnas, easque florentes impreſſas exhibet. Interdum tamen eas typographus omiſit, vel parvas poſuit. Omiſit autem ſemper, ubi Petrus interloquitur Diaconus: rariſſime vero, ubi Gregorius ipſe loquitur. Conſtat opus univerſim foliis numeratis Lxxxvj.

## IX. Summa Johannis von Freyburg – gezogen aus dem Dekreten Buch – Augsburg gedruckt von Johann Bämler. 1472. in Fol. min.

Initio voluminis in ſeparata pagina exhibetur imago B. Virginis Mariæ, Jeſum infantem in manibus portantis, ligno inciſa. Circum eam imaginem ſequentes leguntur verſus impreſſi typis.

O maria du gottes tempel
aller tugend ein war exempel
gar vil ſünder wären verdorben.
Hätteſt du in nit gnad erworben.
Welch' menſch dich täglich eren tůt.
der würdet vor übel wol behůt.
darumb ich mein gebet zu dir ſend
Maria hilff mir an meinē end Amen.

Tunc ſequitur index operis alphabetico ordine diſpoſitus; & foliis tredecim comprehenſus. Hunc, præmiſſo prologo, excipit ſumma ipſa. Litteræ initiales, excepta prima cujusque tituli, quæ ligno inciſa eſt, deſunt, uti etiam cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Litteræ paulo majores ſculptæ, & admodum craſſæ ſunt. Papyrus cruda, nec alba admodum eſt. In fine duplex legitur notitia, Theodiſca nimirum, & latina, utramque hic exhibebo: Hie enndet ſich Sūma Johānis, die gezogen iſt auß dem heyligen Decret bůch, vnd von latein in tewtſch gemacht, durch ein hochgelertē man Brůder Berchtold prediger ordens. Vnd die hat getrucket Johannes Bämler an freytag vor Michaelis. Jn der keyſerlichen ſtat Augſpurg. anno etc. M. *cccc*. vn in dē *Lxxij*. jare. Interjecto ſpatio perquam exiguo: *Explicit ſumma Johānis tranſlata de latino in volgare. multum vtilis ꝗ regentibus curam aīāꝝ clericis ſimplicibꝰ Nec non laycis qui ſe informare pnt ex eadē in diuerſis caſibus occurrentibus &c.*

## X. Johannis Nider die vier und zwanzig guldenen Harpfen Augsburg durch Joh. Bämler. 1472. in Fol. min.

Hic liber moralis eſt argumenti. Traduntur in eo vitae chriſtianæ præcepta exemplis antiquorum Patrum. Auctor fuit ordinis Prædicatorum alumnus, Norimbergæ circa medium ſæculi XV. defunctus, ibidemque ſepultus. Diviſum eſt opus in viginti quatuor capita, ſeu collationes, quas citharas aureas adpellat, vel auctor, vel editor. Averſa primi folii pagina exhibetur das Regiſter der vier und zweinczig guldin (ſic) harpffē. Terminatur regiſtrum ſequentis folii pagina prima: Averſa ejusdem folii pagina exhibet latinam operis commendationem ab argumento, & auctore deſumptam, quæ rubro impreſſa eſt colore. Tandem præmiſſa brevi introductione ipſum opus incipit. Litteras initiales magnas viginti quatuor capitum ligno inciſas typographus ipſe adiiciendas curavit. At litteræ initiales minorum cujusque capitis ſectionum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Ad calcem operis ſequens impreſſa typis legitur notitia: **Hie enndē ſich dje vier vñ zweinczig guldin harpffen, die gezogen ſeind auß collaıoib9.pat4, das iſt auß d' heyligē altuåter bůch. Vnd die hat getrůcket Johannes Bämler In der keyſerlichen ſtat augſpurg an freytag vor weyhennåchten. anno etc. In dem** *Lxxij.* **jare.**

## XI. Oldradi de laude Conſilia. Romæ per Adamum Rot. ann. 1472. in Fol.

Præmiſſa eſt tabula quæſtionum, quæ in hoc opere pertractantur, foliis quinque, & parte ſexti comprehenſa. Tam hæc tabula, quam ipſæ quæſtiones, ſeu conſilia in duabus columnis charactere rotundo magnæ, & nitidiſſimæ chartæ impreſſa ſunt. Litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri deſunt. In fine impreſſa legitur ſequens notitia: *Finis conſilio4 eximii utriuſq3 iuris profeſſoris Oldradi de Laude Rome impreſſorum ꝑ magiſtrū Adam Rot Meten. dioceſis Anno ſalutis M. cccc Lxxii. ſub Sixto IIII. Pontifice maximo.*

## XII. Averrois commentaria in libros Ariſtotelis de anima latine Patavii ann. 1472. per Laurentium Canozium in Fol.

Textus Ariſtotelis latinis maioribus, iisque non nihil craſſioribus litteris impreſſus: Averrois autem Commentaria textui immediate ſubnexa minutis characteribus impreſſa ſunt. Deeſt titulus, deſunt quoque litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, numeri paginarum. Totum opus in duabus eſt columnis impreſſum. Ad calcem hæc exſtat notitia: *Noue tranſlationi libroru3 anime: et ueteri ab Aueroi hiſpano cordubenſi commentate: ſummi philoſophi Ariſtotelis*



lis

*lis ex ſtragyra* (ſic) *gretie oppido Nicomachi medicine artis profeſſoris filij: deo ſauēte maxio finis impoſitus eſt. Nobilis vicentini Joanniſ philippi Aureliani et fratrum impenſa. opera vero atq3 ingenio Laurentij Canozij Lendenarienſis impreſſe Pataui. Anno Chriſti optimi M. cccc. ii. et Lxx. Decimo Kalendas Decembris.* Singularis eſt ſcriptio ii & Lxx. pro Lxxij.

## XIII. Nicolai Abbatis ſiculi, & poſthac Archiepiſcopi Panormitani Pars Prima in ſecundum librum Decretalium. Venetiis per Vindelinum de Spira anno 1472. in Fol.

Hæc Commentaria in ſecundum librum Decretalium ſunt gothico charactere pereleganti, chartæ nitidiſſimæ in duabus columnis impreſſa. Noſtrum exemplar quam optime conſervatum jucundum oculis ſpectaculum præbet. Litteras initiales parvas typograpus ipſe adjecit. Cuſtodes vero, paginarum numeri, & ſignaturæ deſunt. Ad calcem vaſtiſſimi voluminis hæc impreſſa leguntur: *Raphael Zouēzoniꝰ. P. viro opti. Vindelino Spirenſi S. P. D.*

*Abbatis pꝰ pma: notis q̄ fulget ahenis*
*Eſt Vindelini preſſa labore mei.*
*Cuiꝰ ego īgeniū de vertice palladis ortū*
*Crediderīȝ. veniā tu mihi ſpira dabis.*
*Anno Dñi milleſimo q̄drigēteſimo*
*ſeptuageſimo ſecundo. die viij. Julij.*

## XIV. *Contemplaciones deuotiſſime per reuerendiſſimū dñm dñm Johēm de turrecremata cardinalē quond' ſancti ſixti edite atq3 in parietibus circuitus Marie minerue nedum litteraꝝ caracteribꝰ ueꝝ eciā ymaginum figuris ornatiſſime deſcripte atq3 depicte īcipiūt feliciter Anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo die uero uigeſima q̄rta mēſis decembris ſedente ſixto quarto pontifice maximo* - in Fol. min.

Opuſculum iſtud, foliis conſtans ſedecim, in duabus columnis impreſſum eſt. In fronte primæ primi folii columnæ verbotenus leguntur ea, quæ tituli loco recitavi. Repetuntur eadem ad calcem opuſculi, hoc ſolum diſcrimine, quod loco *incipiunt*, legatur *finiunt*, & loco *pontifice maximo*, *pont. magxo.* Hambergerus in zuverläßigen Nachrichten Thl. 4. pag. 794. dubitavit, an ad annum 1472. hujus libelli impreſſio eſſet referenda, eoquod idem non ſolum annus, ſed etiam eadem dies tam initio operis, quam in fine ejusdem adnotetur, putatque adeo, annum & diem aſſignatos poſſe ſcripti codicis epocham deſignare. Una enim die octo folia imprimi potuiſſe non putat veroſimile. Verum ſi imprimi una die octo folia non potuerunt, puto etiam deſcribi

ſcribi non potuiſſe. Videtur ergo potius aſſerendum, ex errore typographi eundem diem initio & in fine fuiſſe adnotatum. Deſunt litteræ initiales, cuſtodes, & paginarum numeri. Quaterniones vero gemini ſignati ſunt litteris a & b. Interpunctionis ſignum unicum occurrit, nempe punctum. De typographo, & loco impreſſionis non habeo, quæ proferam. Idem opuſculum jam ante, nimirum anno 1467 ab Udalrico Hahn Romæ impreſſum eſt, adjectis etiam figuris, quæ hic deſcribuntur. Exſtat & alia ejusdem editio ab eodem typographo curata anno 1473.

## ANNO 1473.

### I. Liber VI. Decretalium Bonifacii VIII. cum gloſſa ſeu potius ampliſſimis commentariis Johannis Andreæ Moguntiæ impreſſus ann. 1473. per Petrum Schoiffer in Fol.

Primam hujus operis editionem Petrus Schoiffer cum Johanne Fuſto jam anno 1465 procuravit. Præſens hæc ſecunda eſt. Textus ipſe duas columnas, commentaria, minoribus typis impreſſa, margines occupant. Tituli ſunt rubro colore impreſſi. Litteræ init., cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Ad calcem hæc leguntur impreſſa colore rubro: *Sexti decretaliū opus p̄clarū in nobili vrbe Maguncia! quā imp̄mendi arte ingenioſa gratuitoq3 dono glorioſus Deus plus ceteris terrarū nationibus p̄ferre illuſtrareq3 dignatus! nō atramento e plumali ereaq3 penna | cannave | ſ3 adinuentione quadā p̄pulcra per venerandū virū Petrū Schoiffer de Gernſshem feliciter eſt. Conſummatum. Anno Domini. M. cccc. Lxxiij. ad nonas aprilias.* His ſubjecta ſunt Fauſti & Schoifferi inſignia, colore rubro expreſſa.

### II. Euſebius Pamphili de Præparatione evangelica. Latine in Fol. 1473. ſine nota loci & typographi.

Præmiſſa eſt interpretis Georgii Trapezuntii ad Papam Nicolaum V. epiſtola dedicatoria. Hanc verſa prima pagina excipit primus liber de præparatione evangelica. Librorum capitumque titulos non ipſe typographus adjecit, ſed in noſtro quidem exemplari rubricator plerumque adſcripſit. Deſunt etiam litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, numeri paginarum. Typi rotundi ſunt & perelegantes. Charta alba admodum & munda. Chartarii ſignum eſt libra, quae tamen ſæpe deeſt. In fine operis hi verſus leguntur:

*Artis hic: & Fidei ſplendet mirabile numen:*
*Quod fama auctores: auget honore Deos.*
*Quid magis artificem peteret dux: Chriſtus & Auctor!*
*Tres facit æternos ingenioſa manus.*

His

His verſibus ſubjecta eſt anni nota *MCCCCLXXIII*, & nomen ſeu typographi, ſeu Bibliopolæ, ſeu correctoris, ſeu demum auctoris carminum, quæ modo recitavi, *Leonhardus Aurl.*

## III. Auguſtini Triumphi, vulgo de Ancona ord. Erem. S. Aug. Summa de eccleſiaſtica poteſtate. Auguſtæ Vind. 1473. ſine nota typographi. in Fol.

Typi, quibus impreſſum eſt hoc opus, ſunt iidem, quos Schüſslerus, Auguſtanus, Typographus adhibuit, dum anno 1472. Jacobi de Theramo conſolationem peccatorum imprimeret. Teſte Cl. Zapfio in *Annal. Typographicis Auguſt.* unum ex tribus hujus operis exemplaribus, quæ exſtant in Bibliotheca Carthuſianorum Buxheimenſi, Schuſsleri nomen habet adſcriptum. Quod ſi igitur vera eſſet conjectura Cl. Veithii, Schüſslerum nempe noſtrum eundem eſſe cum Schüſslero, a quo Abbas Monaſterii SS. Udalrici & Afræ Melchior Stamhamius quinque præla, aliaque utenſilia typographicæ artis anno 1472. die V. Auguſti coemit: alteri conjecturæ locus daretur, hunc ſcilicet librum in Monaſterio SS. Udalrici & Afræ typis a Schüſslero coemptis fuiſſe impreſſum, quamvis nullus eorum, qui de libris in hoc monaſterio impreſſis mentionem fecere, hujus operis meminerit. Conf. Cl. Veithii *Diatriben de origine & incrementis artis typographicæ in urbe Auguſta Vindelica* §. VII. & VIII. & dicta a me ſupra ad annum 1472. n. VII. Præmittitur operi index quæſtionum, quæ in eo pertractantur, decem foliis comprehenſus. Folium undecimum vacuum eſt. Folio autem duodecimo *Incipit Summa Auguſtini de Ancona de ſūma poteſtate eccleſiaſtica.* Litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri ubique deſunt. Charta munda eſt & alba. Chartarii ſignum eſt caput bovinum, cujus inter cornua ſtilus exurgit in polygonum deſinens, ab ore autem crux deſcendit. Ad calcem operis leguntur ſequentia: *Explicit ſumma de eccleſiaſtica poteſtate edita a fratre Auguſtino de Ancona ordinis fratrum hemita4 ſancti Auguſtini. Auguſtæ impreſſa & finita pdie nōs Marcii. Anno incarnatois Xpi. M. cccc Lxxiij.* Editio hæc omnium hujus operis editionum prima eſt. Aliam recenſebo ad annum 1479.

## IV. Albertus Magnus de Myſterio Miſſæ. Ulmæ. ann. 1473. per Johannem Zeiner de Reutlingen. in Fol. min.

In fronte operis exhibetur foliis quatuor tabula materiarum. Folio quinto ipſum *Opus de miſterio miſſe. Domini frīs Alberti Magni: quondam Epiſcopi Ratisponenſis Incipit feliciter.* Litteras initiales magnas ligno inciſas ab initio fere usque ad medium typographus ipſe plerumque adjecit. Inde vero usque ad finem in noſtro quidem exemplari manu adſcriptæ ſunt. Deſunt quoque cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. In fine hæc leguntur: *Opus*

*de*

*de miſterio miſſe dñi Alberti, mag̃ auctoritate radians! In quo nichil traditur aut docetur, quod non ſcripturaꝝ dignis teſtimoniis comprobet'! In opido imperiali Vlm! per Johannem zeyner de Reütlingen ſũma cum diligentia impreſſum. Anno a Nativitate domĩ Mº. cccc Lxxiij. die xxix. menſis Maij felicit' finit.* Johannem hunc Zeinerum Ulmenſem typographum quodam cognationis gradu Güntherum Zeinerum, celebrem in urbe Auguſta vindelica typographum attigiſſe, tum patriæ, tum nominis, tum temporis ipſius ratio perſuadet. Quonam vero? id prorſus incertum eſt.

## V. Guillielmi Durandi ſpeculum judiciale. Argentorati 1473. per Georgium Huſner & Johannem Beckenhub. In fol. max.

Rariſſimam eſſe oportet hanc editionem, & Bibliographis, plerisque ſaltim, prorſus incognitam. Nam ipſe eruditiſſimus Schöpflinus nullam ejus notitiam habuiſſe videtur. Certe in *vindiciis typographicis*, ubi cap. X. §. 11. Opera ab Huſnero typis excuſa recenſet, nullam præſentis operis facit mentionem: Beckenhubii autem, qui unacum Huſnero ejusdem editionem procuravit, ne nomen quidem noverat. Nulla enim illius inter typographos Argentinenſes mentio fit apud Schöpflinum. Deſcriptionem igitur hujus editionis paulo uberiorem dabo. In fronte primæ paginæ primæ itidem columnæ hæc leguntur verba, majuſculis litteris impreſſa: *In nomine domini. & glorioſe virginis matris ejus. ſpeculum judiciale. a magiſtro Guillermo* (ſic) *Duranti editum incipit feliciter.* Hæc verba immediate excipit auctoris epiſtola dedicatoria ad Ottobonum Diaconum Cardinalem S. Adriani, quæ terminatur folii tertii pagina prima, columna prima, linea ſexta. Diviſum eſt opus in quatuor partes, ſeu libros. Libri ſinguli in particulas, particulæ in capitula dividuntur. Horum argumenta vel tituli potius libris ſingulis ſunt præmiſſi. Deſunt quidem cuſtodes, ſignaturæ, litteræ initiales, at paginarum numeri romano charactere impreſſi ſunt; ita, ut in margine ſuperiori primæ cujusvis folii paginæ & libri indicentur, & folium hoc modo e. g. LI. I (i. e. Liber primus) FO. LXV., i. e. folium ſexageſimum quintum. Sunt autem folia in ſingulis libris ſeorſim numerata! ita, ut primus liber unacum dedicatoria epiſtola foliis numeratis conſtet CXXXII. Secundus CLXXXVIII. Tertius tantum XIX. Quartus CXLVIII. Conſtat igitur opus integrum univerſim foliis impreſſis 487. Litteræ ſculptæ quidem, ſed admodum elegantes ſunt rotundæ magis quam oblongæ, & ſatis pinques. Charta alba, munda, & pergameni inſtar firma eſt. Chartarii ſignum omnium frequentiſſime occurrens eſt littera D, quam ſtilus ſecat ex una parte in crucem deſinens. Occurrunt tamen, licet rariſſime, alia quoque ſigna, nempe turris, & caput Bovinum. Ad libri calcem quarti ſequens legitur notitia: *Prelucidũ hoc opus ſpeculi judicialis. juris interp̃tis optimi. Mg̃ri Guillermi Duranti. nõ calamo ut priſci q̃deꝫ. nec penne tractu quo ip̃i fruimur. Verum exſculptis ere l̃ris. dino* (pro divino) *ſuggeſta ſpira-*

*ſpiramie. impmēdi arte tranſpictū. ac in ſuis paḡphis & vſiculis bn̄ diſtinctū. quocis deniq3 & remiſſionib3 exactiſſima lucubracōe reuiſū & correctū. ad honorem cunctipotētis. ↄſūmatū eſt & pfectū. in celebri Argentinor4 vrbe factorib3 Jeorio* (Georgio) *huſſner ciue inibi. & Johanne Bekenhub clerico Moguntino anno dn̄i M. CCCC LXXIII. Menſis novembris die xxij.* Inter libros nota loci, anni, & typographi deſtitutos occurrent additiones ad hoc ſpeculum Johannis Andreæ, excuſæ iisdem typis.

## VI. Petri Comeſtoris Hiſtoria ſcholaſtica. Auguſtæ Vindel. per Ginth. Zainer ann. 1473. in Fol.

Auctor operis Petrus Trecenſis Eccleſiæ presbyter primum & Decanus, poſtea Pariſienſis Univerſitatis Cancellarius, demum Canonicus Regularis in Abbatia S. Victoris Pariſiis, ubi etiam circa annum 1178 vitæ curſum abſolvit, comeſtoris nomine adpellatus eſt, *quod*, ut quidem Johannes Trithemius opinatus eſt, *ſcripturarum auctoritates in ſuis ſermonibus & opuſculis crebrius allegando quaſi in ventrem memoriæ manducarit.* Præſens opus compendium eſt hiſtoriæ Biblicæ a mundi origine usque ad Aſcenſionem Chriſti in cœlum, in quo adornando auctor libros hiſtoricos veteris & novi Teſtamenti, quorum etiam ordinem ſecutus eſt, baſis loco ſuppoſuit. Inſperſit tamen hinc inde plura ex Joſepho, aliisque ſcriptoribus profanis, ſuasque adjecit obſervationes. Opus iſtud ſæculo XV ad finem vergente ſæpius eſt typis excuſum, exſtantque plures ſine nota anni editiones in Bibliotheca hujate academica. Atque hæc quidem de auctore, & ipſo opere. Nunc de præſenti editione eſt diſſerendum. Præmiſſa ſunt ſex folia, quibus capitum ſingulorum argumenta breviſſima exhibentur. In fronte folii ſeptimi pagina prima, columna prima brevis exſtat auctoris epiſtola dedicatoria ad Wilhelmum Senonenſem Archiepiſcopum. Tunc præmiſſa brevi introductione ipſa ſequitur hiſtoria ſecundum ſeriem librorum S. Scripturæ hiſtoricorum concinnata, & duabus columnis impreſſa. In margine ſuperiori cujusvis paginæ non modo liber biblicus, cujus recenſetur hiſtoria, indicatur, e. g. Geneſis, Leviticus, verum etiam foliorum numeri Romano charactere ſunt impreſſi. Foliorum inquam, numeri, non paginarum, ita nimirum, ut ambæ cujusvis folii paginæ eundem habeant numerum. Sic utraque tertii folii pagina adpreſſum habet numerum III. Signaturæ & cuſtodes deſunt. Papyrus eſt firmiſſima inſtar pergameni, alba tamen & munda. Chartarii ſignum omnium frequentiſſime occurrens eſt uva; minus frequenter roſa conſpicitur. Litteras initiales ligno inciſas, easque magnas typographus ipſe adjecit. Ad calcem operis folio nimirum CCXIIII ſequens exſtat notitia typis impreſſa: *Finit hyſtoria que & vulgato vocabulo ſcolaſtica. a Petro ↄmeſtoris edita. Per Gintherum vero ʒainer litteris eneis impreſſa. Anno a partu Virginis ſalutifero Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tercio.*

## VII. S. Auguſtini de ciuitate Dei libri XXII. cum commentariis Thomæ Valois & Nicolai Triveth Ord. Prædicat. Moguntiæ per Petrum Schoiffer ann. 1473. in Fol.

Opus ipſum ſine commentariis jam ante ſæpius, e. g. Romæ anno 1467 & 1468 per Conradum Schweynheym & Arnoldum Pannartz, Venetiis per Vindelinum de Spira anno 1470 &c. fuit editum. At noſtra hæc editio prima eſt cum commentariis Trivethi, & Valeſii, inter illas nimirum editiones, quæ notam anni impreſſam typis exhibent. Quare eam Cl. de Bure *Bibliographie inſtructiv. Theologie n.* 326. rariſſimam vocat, & a curioſis magnopere deſiderari teſtatur. Porro hæc editio duabus quodammodo conſtat partibus, textu nimirum, & commentariis, qui ſeorſim & minoribus typis impreſſi operi ſubjuncti ſunt. In fronte operis exhibetur *Sententia beati Auguſtini Epiſcopi ex libro retractaconū ipius de libris de ciuitate dei.* Atque hæc quidem verba ſunt rubro impreſſa colore. In ſecunda primæ paginæ columna circa medium *Incipiunt capitula libri pmi de ciuitate dei beati Auguſtini epiſcopi;* qualia ceteris etiam libris ſingulis præmittuntur. Litteræ initiales, paginarum numeri, cuſtodes, ſignaturæ omnino deſunt. Ad calcem libri XXII. hæc leguntur rubro impreſſa colore: *Textus ſancti Auguſtini de ciuitate dei magūtie impſſus explic̄ feliciter.* His verbis ſubjecta ſunt typographi inſignia, & a ſiniſtris eorum vox *anno*, a dextris vero nota anni *LXXIII*, omiſſo millenario, & quatuor centenariis: tandem hoc verſu opus clauditur: *Finitio libro ſit laus & gloria criſto.* In ſequenti folio *Sacre pagine pfeſſo4 ordinis pdicato4 Thome valois & nicolai triueth in libros btī auguſtini de ciuitate dei comētaria felicit' inchoāt.* Et hæc quidem commentaria, ut jam inſinuavi, ſunt typis longe minoribus, quam textus ipſe, ſed in duabus pariter columnis impreſſa. Commentariis adnexus eſt index alphabeticus materiarum. Tandem rubro colore, & typis iisdem, quibus ipſe textus ſancti Auguſtini, impreſſa ſequens legitur uberior notitia: *Igitur Aurelii Auguſtini ciuitatis orthodoxe ſideris preſulgidi de ciuitate dei opus preclariſſimum, binis ſacre pagine pfeſſoribꝫ eximiis id comentātibꝫ. rubricis tabulaq3 diſcretum pcelſa in urbe mogūtina partium alemanie. nō calami per fraſim. Characterū autē apicibꝫ artificioſe elemētatum. Ad laudē trinitatis indiuidue ciuitaits dei preſidis operoſe eſt conſūmatū. p Petrum ſchoiffer de gernſsheim. Anno domini. ꝏ. cccc. Lxxiij. die V. menſis ſeptembris. Preſidibus eccleſie catholice. Sixto tercō pontifice ſumo ſedi aūt mogūtine Adolſo ſēdo preſule magnifico. Tenēte aūt ac gubernāte Xpianiſmi monarchia3 Impatore ſereniſſimo frederico tercio ceſare ſemp auguſto.* His verbis denuo ſubjuncta ſunt typographi inſignia.

**VIII. Epiſtolæ & evangelia dominicis & feſtis per annum diebus in miſſa legi ſolita. Theodiſce. in Fol. ann. 1473. ſine nota loci & typographi.**

Singulis epiſtolis, & evangeliis eorum initia ſecundum latinam verſionem vulgatam ſunt præmiſſa. Tum Epiſtolæ & evangelia exhibentur integra theodiſce. Evangeliis dominicalibus, & dierum feſtorum ſubjuncta eſt *gloſa* (ſic ubique legitur) ſeu brevis eorumdem expoſitio pariter theodiſca. Epiſtolarum dominicalium & feſtivarum litteræ initiales ligno inciſæ ſunt. Evangeliis vero dominicalibus & feſtivis figuræ quadratæ ligno inciſæ præmittuntur, argumento illorum convenientes. Litteræ ſunt craſſæ admodum gothicæ. Signa interpunctionum alia non occurrunt, quam punctum, & comma. In margine ſuperiori foliorum numeri conſpiciuntur impreſſi, ita quidem ut ambæ folii cujusque paginæ eundem habeant numerum. Porro illud eſt obſervatione dignum, quod numeri foliorum centum quinquaginta ſex priorum ſint characteribus romanis expreſſi. e. g. cLVI. foliorum autem centum octoginta quatuor poſteriorum numeri ſint arabici. e. g. 1. 2. 3. &c. In fine hæc leguntur. *Ewangelia cum epiſtolis annexiſq3 gloſis ſiniunt feliciter. Anno incartionis domini millesimo. quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio. ipſo die cinerum. Cui laus & gloria. &c.*

**IX. Bartholus ſuper 2da parte Digeſti Vet. Venetiis per Vindel. de Spira anno 1473. in Fol.**

Elegantiſſima hæc editio litteras habet initiales parvas. Caret vero titulo, ſignaturis, cuſtodibus, paginarum numeris. Charta eſt mundiſſima & firma tamen, margines ampliſſimi, nec eo etiam excepto, qui geminas cujusvis paginæ columnas dividit. Litteræ ſunt rotundæ. Annus impreſſionis ad calcem operis indicatur, nimirum *M. cccc. Lxxiij.* Huic ſubjecti leguntur ſequentes verſus.

*Nō ſatt ē ſpire: ḡtiſſima carmina pæbo*
*Muſa4 cantus: hiſtoriaſq3 premi.*
*Oīs h3 ſua uota liber. n̄ ceſſat ab āte*
*Has preſſit leges iuſtiniane tuas*
*Spira tua ē ꝟ.t⁹ italas jā nota ꝑ urbes*
*Ore tuū nomen poſteritatis erit.*

**X. Bartholus ſuper 2da parte digeſti Novi. Venetiis 1473. per Vindel. de Spira. in Fol.**

Litteræ, quibus impreſſum eſt hoc opus, non ſunt rotundæ, ſed gothicæ. Quod reliqua attinet, exterior hujus editionis forma omnino convenit cum præcedentis operis externa forma. Ad calcem hæc habes impreſſa:

*Finis*

*Finis 2e ptis eximij legum doctoris*
*domini Bartholi. ſup. ff. nouo.*
*M. cccc. Lxxiij.*
*Si correcta voles digeſta evolue legū.*
*Hec eme: que nulla carpe pte potes.*
*Perlege: nō puo ſunt emēdata labore.*
*Nil niſi correctū vēdē ſpira jubet.*

**XI. Ariſtotelis libri Metaphyſicæ cum commentariis Averrois Cordubenſis. latine in fol. Patavii per Laurentium Canozium 1473.**

Textus Ariſtotelis latinus charactere craſſo admodum gothico, Averoïs commentaria vero, textui immediate ſubjuncta, minutis litteris ſunt impreſſa. Deſunt tituli, cuſtodes, ſignaturæ, litteræ initiales, paginarum numeri. Ad calcem operis exſtat impreſſa ſequens notitia: *Noue tranſlationi librorum methaphyſice & veteri ab Aueroi cordubenſi commentate: ſumi philoſophi Ari: ex Stagyra gretie oppido Nicomachi medicine artis profeſſoris filii: deo fauente maximo finis impoſitus eſt. Nobilis Vincentini Joannis philippi Aureliani & fratrum impenſa. Opera vero atq3 igenio Laurentii Canozii Lendenarieſis. Impreſſa Patavii Anno Chriſti optimi MCCCCIII & LXX.*

**XII. Joh. Aſtexani Ord. Min. Summa de caſibus conſcientiæ. Sine nota loci, typographi, & anni impreſſa. Sed probabiliſſime anno 1473. in Fol. maj.**

Hujus operis plures exſtant editiones nota anni, loci, typographi impreſſa carentes. Noſtram hanc vir Clariſſ. Mich. Denis in Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliothek ad annum 1473 referre non dubitavit, eo quod in exemplari, quod deſcribit, manus coæva anni hujus notam ter adſcripſerit, & quidem diverſis in locis. Noſtri exemplaris antiquus poſſeſſor doctor Georgius Zingel in inferiori margine folii 113 ſua manu adnotavit, ſe *librum* iſtum *año* 1474 *pro* 14 *florenis Rhenenſibus minus* 4 Pf dl *emiſſe.* Caret titulo, ſignaturis, cuſtodibus, litteris initialibus, paginarum numeris. Paginæ ſingulæ in duas columnas diuiſæ ſunt. In fronte operis exſtat Dedicatoria auctoris epiſtola *Venerando in Xpo pri & dño. dño Johanni Gayetano de vrbe — dyacono Cardiali &c.* Quæ data eſt *Anno dñi Milleſimo. CCCXVII.* Hanc excipit epiſtola Cardinalis ejusdem ad auctorem reſponſoria. Tum ſequitur Præfatio auctoris, in qua rationem reddit ſuſcepti operis, auctores nominat, ex quorum ſcriptis profecerat, atque ipſius operis in octo libros diviſionem inſinuat. Primi folii columna ſecunda titulos complectitur, in quos primus

 liber

liber diviſus eſt. Atque ejusmodi tituli ſingulis etiam libris ſunt præfixi. Primus liber terminatur folio 56, averſæ paginæ columna ſecunda, linea 54. Inſuper vero hæc adjecta ſunt verba. *Explicit liber primus de preceptis.* Liber quintus terminatur folio 230, paginæ averſæ columna ſecunda, linea 16, quæ his conſtat verbis, *Et ſic eſt finis hui⁹ libri quīti.* In eadem columna impreſſi leguntur tituli 31 priores libri ſexti. Columna quævis integra lineis impreſſis 62 conſtat. Ad calcem libri octavi, qui terminatur folio 402 paginæ averſæ columna prima, linea 60, hæc leguntur: *ſequit' de ūbo 4 ſignificacoībꝫ ti.* ℞ 1. i. e. titulus 41. In columna hujus paginæ ſecunda, quam vacuam reliquit typographus, miniator, unius ex 2 exemplaribus, quæ poſſidemus! tabulam adſcripſit abbreviaturarum, quas typographus in hac editione adhibuit. Tum in noſtro quidem utroque exemplari folium reperitur vacuum. Aſt folio ſequenti 404 incipit tabula ſeu index alphabeticus vocabulorum in corpore juris contentorum, quæ occurrunt frequentius. Adjecta quoque ſingulis eſt interpretatio. Terminatur hæc tabula folio 414 pagina prima, columna ſecunda, linea 58. In averſa pagina incipit index titulorum juris canonici, qui in hoc opere explicantur. Hunc excipit index alphabeticus omnium titulorum utriusque juris, qui citantur & explicantur in eodem, terminatus folio 423. pagina prima, columna prima. Tandem ſequenti folio incipit index univerſalis totius operis ordine alphabetico diſpoſitus, qui quidem folia implet novem integra, & decimi folii columnam primam, & partem fere quartam ſecundæ. Atque hæc, puto ſufficiunt, ut editio iſthæc ab aliis ſine loco & anno editionibus poſſit facile diſcerni.

## XIII. *Coram Paulo ſecundo Pon. Max. In ede diui marci ī Paraſceue. MCCCCLXVIII. oratio Bartholomei de Maraſchis ꝑpoſiti Mātuani. & ejusdē Pon. Max depoſitarii. nunc magiſtri domus Sixti Pape quarti.*

Hœc verbotenus leguntur in fronte primæ paginæ. Tunc ipſa ſtatim incipit oratio verbis ex Joh. XI, 50. depromptis: *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat;* quæ thema orationis conſtituunt. Litteris impreſſum eſt hoc opuſculum, octo conſtans foliis, rotundis perelegantibus, & papyro mundiſſimæ, ſed minus firmæ. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. In fine ſolum annus notatur *MCCCCLXXIII.* quem quidem impreſſionis annum eſſe vix poterit in dubium vocari. Annus quippe, quo habita eſt oratio, in titulo jam fuerat indicatus. Quod attinet locum impreſſionis, & typographum, non dubito, quin Romæ in domo Philippi de Lignamine Meſſanenſis, qui in opuſculo n. XV. recenſendo ſe ſanctiſſimi Domini, Sixti quarti nimirum, familiarem dicit; typorum formulis fuerit impreſſa. Iidem enim prorſus ſunt typi, eadem charta utriusque opuſculi.

XIV.

XIV. *Preclari Theologi magiſtri Johannis de Trevio ex ordine minor4 oratio de Animarum immortalitate habita apud Sixtum quartum Pont. Max. Anno ſalutis. MCCCCLXXIII. Nonis Decembris.*

Hæc verbotenus leguntur in fronte primæ paginæ hujus opuſculi, quod ſex foliis comprehenditur. Exterior forma eſt prorſus eadem cum immediate ſequenti. Quare non dubito, quin ex eadem quoque prodierit typographia circa finem hujus anni 1473; etſi ne hic quidem annus in fine notetur. In noſtro exemplari medium inter Præcedens, & proxime ſequens opuſculum locum obtinet.

XV. *Præcla. Theologi magiſtri Johannis Treuiēnſis ordinis mino4 oratio de veri meſſie advētu habita apud Sixtū quartū Pōtificem Maximum: dominica ſecunda aduentus: Anno redēptioīs M cccc Lxxij. octauo idus decēbris.*

Hæc verbotenus leguntur in fronte primæ paginæ. Externam formam hujus opuſculi eſſe eandem cum duobus præcedentibus, jam iterato monui. Conſtat foliis decem. In fine hæc legitur notitia. *Impreſſus eſt bic ſermo in domo Johannis Philippi de lignamine meſſañ. S. D. N. Familiaris. Anno ejus ſcdo.* Cum Sixtus IV. jam anno 1471. V. Idus Auguſti ſummus Pontifex creatus, & præſens opuſculum anno Pontificatus eiusdem ſecundo editum fuerit: dubium eſt, an ad annum 1472 vel ad annum 1473 referenda ſit hæc editio? Poſſet enim omnino ad annum 1473 referri, ſi modo ante V. diem Idus Auguſti facta fuiſſe dicatur. Ante hunc enim diem annus Pontificatus Sixti IV. adhuc agebatur ſecundus. Sequens certe opuſculum, quod ex eadem prodiit typographia, in fine expreſſis verbis anno 1473 *Pontificis Sixti IV. anno ſecundo* editum notatur.

XVI. Franciſci (Roborei) ordinis Minorum S. Petri ad vincula Cardinalis, poſtea Papæ Sixti IV, Tractatus contra quosdam nullam propoſitionem de futuris contingentibus fore veram tenentes. Impreſſus Romæ in domo Joh. Philippi de Lignamine ann. 1473.

In averſa primi folii pagina legitur Joh. Philippi de lignamine, qui hoc opuſculum typorum formulis exſcribendum curavit, ad auctorem, qui jam ſub Sixti IV nomine ſummus erat Pontifex, Dedicatio, ex qua diſcimus, jam ante eundem auctoris ejusdem libellos de ſanguine Chriſti & de poten-

tia

tia Dei edendos curaſſe. Præſens opuſculum, cujus exterior forma cum tribus præcedentibus eſt prorſus eadem, foliis novem impreſſis conſtat. Decimum vacuum eſt. Ad calcem noni folii hæc leguntur: *MCCCCLXXIII. Pontificis Maximi Sixti quarti anno eius ſecundo.* Et nihil inſuper. Sed editor ex tribus praecedentibus opuſculis, ac præſentis dedicatione, ubi ſe Joh. Philippum de lignamine adpellauit, ſatis noſcitur.

## ANNO 1474.

### I. Petri Berthorii Reductorium Morale. Argentinæ ann. 1474. per C. W. h. e. Cephaleum Wolfium in Fol.

Eſt Moralis explanatio hiſtoriarum & figurarum totius ſcripturæ ſacræ, quæ quidem auctori notatu digniores viſæ ſunt. Secutus eſt auctor ordinem librorum ſcripturæ ſacræ. Floruit ſæculo decimo quarto, fuitque ex ordine Benedictinorum in Gallia. Berchorium, non Berthorium, ab aliis adpellatum reperi. Opus præſens ſculptis, non fuſis, litteris, in duabus columnis impreſſum eſt. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, litteræ initiales, paginarum numeri. Chartarii ſignum eſt corona regia. Præmittitur, in noſtro quidem exemplari, index generalis ſingulorum totius operis capitum brevia eorundem argumenta complectens, & octo foliis comprehenſus. Tum ſequuntur indices alphabetici particulares in ſingulos ſcripturæ libros, qui folia implent viginti novem. Indici in Apocalypſin hæc ſubjuncta leguntur impreſſa: *Finit feliciter tabula in Apocalypſim & conſequenter omēs tabule libri reductorii in libros moralis biblie ex anno domice incarncoīs Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo q̄rto a die veneris nonis octobrium luce menſis ſeptima. Laus Deo.* Demum hi verſus:

*Libri auctor claret, porro quis recta regiſtra*
*Addit ei: ſcire haud op⁹ eſt deus hunc beet ora*
*AMEN.*

In ſequenti folio præmiſſa auctoris præfatione opus ipſum incipit, in quo adornando auctor librorum biblicorum & ſingulorum libri cujusvis capitum ordinem eſt ſecutus. Ad calcem operis hæc habes impreſſa characteribus iisdem, quibus opus ipſum impreſſum eſt: *Finit Apocalipſi Inſup & integer Reductorii moralis ſedecimus liber figura4 biblie venerabilis domīi & frīs petri berthorii fact⁹ auinione, paryſius* (ſic) *correctus, & jam Cyrographata ex ſcriptura: litteras reductus adpreſſas diligenti correcture adūtencia & puncture per C. W. ciuem Argentinēſem Ex annis domīce incarnacōis Milleſimo quadrigenteſimo ſeptuageſimo tertio elapſis, finitus Anno ſequenti: ydibus ſeptembrium ſeptimis. Luce mercurii: In Natiuitatis vigilia glorioſiſſime Theothocos noſtre ſimul & Xpīthocos virgīs Marie Ad quam (pias)* (ſic) *libri a lectoribus comēndas: impſſores: ſimulque coadjutores humiliter petunt, ut ſimul omnes ꝑ eam (gracia3 fluentem) que Canna eſt gratie: ab ompotenti nanciſcentes ſaluemur. Amen.* —

*Laus*

*Laus deo ejusq3 matri*
*Marie. Amen.*

Litteris C. W. Cephaleum Wolphium indigitari adfirmat celeberrimus *Schöpflinus* in *vindic. typograph.* pag. 48. Verum capite X. ubi typographos Argentinenſes ex inſtituto recenſet, meminit tantum Wolfgangi Kæpfel, qui græca adpellatione Cephaleum ſe dixerit, & una cum Petro Brubach anno 1534 Homeri Odyſſeam ediderit. Quodſi noſtri operis typographus idem ſit cum Cephaleo hoc: oportet eum per annos ſexaginta artem exercuiſſe typographicam. Si vero alius cur de eo nihil omnino memoriæ prodidit Schöpflinus, præterquam quod pag. 48 adfirmet per litteras C. W. Cephaleum Wolphium indicari, qui vulgo Wolfgang Kæpfel fuerit adpellatus? Noſtri exemplaris Rubricator per litteras C. W. Conradum Wolfach intelligendum eſſe, in margine adnotavit. Verum de hoc viro Schöpflinus typographos argentinenſes recenſens, nihil habet. Res ergo eſt dubia.

## II. Ariſtoteles de generatione & corruptione. Cum Commentariis Auerois. Patavii ann. 1474 per Laurentium Canozium.

Exterior forma eſt eadem cum Ariſtotelis libris Metaphyſicæ de quibus ad annum 1473. N. XI. In fine minutis characteribus, quibus Auerois commentaria ſunt impreſſa, hæc leguntur: *Noue Trāſlationi librorum de generatione & corruptione ab Aueroi Cordubēſi cōmentate: Summi philoſophi Ariſtotel' ex Stagyra grecie oppido Nicomachi Medicine artis pſeſſoris filii, deo optimo maxiōque ſauente finis īpoſitus ē. Nōbilis uicētini Joannis philippi Aureliani & fratrum impēſa. Opera vero: atque ingenio Laurentii Canozii Lendenarienſis. Impreſſe Pataui Anno Chriſti optimi. M. CCCCIIII. & LXX. quarto decimo kalendas Julii.*

## III. Ariſtotelis de Meteoris Libri 4. cum commentariis Auerois in librum quartum. Patavii. 1474. per Laurent. Canozium. in Fol.

Forma exterior eſt eadem cum proxime præcedenti. In fine craſſis admodum litteris, iisdem nimirum, quibus textus Ariſtotelis impreſſus eſt, impreſſa leguntur ſequentia: *Noue trāſlatiōi libro4 methēoro4 & veteri ſ3 q̄rtus lib4 ſolus ab Aueroi Cordubenſi ɔmētate. Summi philoſophi Ariſtotel' ex ſtagyra grecie oppido: Nicomachi medice artis pſeſſoris filii: deo optīo maxīoque favente finis īpoītus. Nobil' ūicētini Joannis philippi Aureliani & frat4 īpenſa. Opera vero atq3 ingenio Laurētii Canozii Lendenarieſis Impreſſe Pataui Anno Chriſti optimi M. CCCC. q̄rto & LXX. octano Kalēdas Julii.*

## IV. Tractatus de Adpellationibus Joh. Antonii de ſancto Georgio. Comi impreſſus ann. 1474. per Ambroſ. de Orcho & Dionyſium de parauеſino. in Fol.

In prima primæ paginæ columna capitalibus litteris hæc leguntur impreſſa: *Incipiunt Rubrice Tractatus Appellationum Qui Tractatus Congiarum Numcupatus eſt Quia Scholaribus Suis ab Ipſo Auctore Pro Congiario Et Refectione Laborum Quos In Quotidianis Lectionibus Patiebantur Tractatus Eſt.* Porro rubricæ iſtæ folia implent ſedecim. Tum ipſe incipit tractatus de Adpellationibus in duabus columnis impreſſus. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Litteras initiales parvas typographi ipſi adjecerunt. Charta eſt inſolitæ firmitatis, fere ut pergamenum. Chartarii ſignum eſt caput bouinum, cujus inter cornua duplex ſtylus exſurgit, cui impoſita eſt corona. Ad calcem varia leguntur de operis auctore, impreſſoribus &c. quæ omnia huc adſcribam: *Pridie. 2. Sexto die nonas Julias in feſto-diue margarite uirginis.* 1473. *expetitus* (i. e. ab auctore completus) *eſt hic titulus appellationū. Ad laudem ſūmi & eterni dei. Amen.* Interjecto exiguo ſpatio ſequuntur hæc: *completa p Dominum Johannem Antoniuȝ de ſancto georgio de placentia ppoſitum eccleſie ſācti Ambroſii Maioris' Mediolani Juris utriusqȝ doctoreȝ & comiteȝ ordinarias Juris canonici legentem de mane infelici* (ſic) *ſtudio papienſi ſub illuſtriſſimo Duce Galeaȝ Maria Vice comite duce Mediolani &c.* Interjecto rurſum exiguo ſpatio leguntur ſequentia: *Comi impreſſa per magiſtros Ambroxium de Orcho & Dionyſium de parauеſino Quinto Idus auguſtas.* His demum ſubjecta eſt anni nota: *MCCCC° LXXIIII°*, & capitalibus litteris: *Deo gratias. Amen.* De origine typographiæ in urbe Como, quæ eſt in Ducatu Mediolanenſi, nihil habet Orlandus in libro: *Origine e progreſſi della ſtampa*: nihil quoque de typographo Ambroſio de Orcho. Dionyſio vero Paraveſino ſeu Paravicino duos attribuit libros Mediolani anno 1476 & 1478 impreſſos.

## V. Andreas Siculus, alias Barbatia ſuper titulis quibusdam decretalium. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. de Geretsheim ann. 1474. in Fol.

Opus iſtud pariter in duabus columnis impreſſum eſt papyro mundiſſimæ ſine ſignaturis, cuſtodibus, & paginarum numeris. Litteras vero initiales parvas typographi adjecerunt. Chartarii ſigna ſunt varia, ſcilicet ſagittæ duæ ſe invicem biſecantes, libra circulo incluſa, Littera R pariter incluſa circulo, nec non & alia, mihi quidem non ſatis cognita. Titulus ultimus, de quo hoc in opere tractatur, inſcriptus eſt: *De officio ordinarii.* Ad hujus calcem leguntur ſequentia: *Hic fec̄ finē año: M. cccc. Lxv. & ulterius nō ſcripſit ſup iſto ti. do. Andreas ſicul⁹ alias barbatia, iuris utriusque doc. excel.* Tum exiguo

guo ſpatio interjecto ſequitur: *Eqb⁹ ſcript | ſca extat impſſio opa & ipēdio Johañis de colonia nec nō Johañis de gherretſhē ſibi ɔſocii venetiis. Anno a natali Chriſtano. M. cccc Lxxiiij. Nicolao marcello pncipe iucūdiſſimo & Duce feliciſſimo.*

## VI. Pandectæ Medicinæ. A Matthæo Moreto editæ, & Bononiæ per Johannem Vurſter impreſſæ ann. 1474. in Fol.

Eſt Lexicon medicum res varias ad Medicinam & Hiſtoriam naturalem ſpectantes complectens. Auctor operis, quem Matthæus Moretus in epiſtola dedicatoria ad Franciſcum de Gonzaga Cardinal. & legatum Mantuanum ac Bononienſem, Matthæum Siluaticum nuncupatum fuiſſe adfirmat, ex antiquis potiſſimum de re medica, & hiſtoria naturali ſcriptoribus, quæ in rem ſuam eſſe arbitratus eſt, diligenter excerpſit, & ordine alphabetico diſpoſuit. Externa operis facies jucundum oculis ſpectaculum præbet. Impreſſum quippe eſt chartæ magnæ, & albæ, litteris rotundis & elegantiſſimis. Typographus præterea amplos reliquit margines. Deſunt litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, & paginarum numeri. Ad calcem hæc habes impreſſa: *Opus pandectarum medicine emēdatū per eximium artiū & medicine doctorē dominū & magiſtrū Matheum moretū brixianū Bononie in medicina & aſtronomia legēntē & impreſſum p magiſtrū Johannem Vurſter de Kampidona Anno Domini M: CCCC: LXXIIII.* Accedit in pagina ſequentis folii prima Regiſtrum chartarum, & nihil præterea.

## VII. Caldrini Repertorium Juris utriusque. Anno 1474. impreſſum. Sine nota loci & typographi. In Fol.

Hoc ampliſſimæ molis volumen Papyro impreſſum eſt firmiſſimæ litteris ſculptis majoribus, eſt que ordine alphabetico concinnatum. Chartarii ſigna frequentiſſime occurrentia ſunt caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurpit in ſtellam deſinens, & littera D, quam ſtilus, ex una parte in crucem deſinens, ſecat. Litteræ initiales, ubi vox in ordine alphabeti prima vice occurrit, plerumque deſunt: Signaturæ autem, cuſtodes, & paginarum numeri deſunt omnino. Ad calcem operis hæc tantum leguntur impreſſa: *Diuini ac humani iuris. res tam ſupnas q̈ ſubtñas bñ diſponētis repertoriū diſertiſſimi doctoris Caldrini p impſſum pmo yd9 decemb'. M. CCCCLxxiiij. felicit' Explicit.* De loco impreſſionis & typographo nolim hariolari.

## VIII. Decretales Gregorii IX. cum gloſſa ordinaria. Romæ ann. 1474 per Georgium Laur. in Fol.

Textus ipſe litteris majoribus impreſſus duas columnas, gloſſa vero charactere rotundo minore impreſſa margines occupat. Deſunt litteræ initiales,

ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri. Charta munda eſt & alba. Chartarii ſigna varia obſervavi. Ad calcem operis hæc leguntur impreſſa: *Preſenſ huiꝰ decretaliū clariſſimū opus gloſis cū ordinariis ꝑ uenerabilē ui4 mgrm̄ Georgiū laur d Herbipoli Rome impſſu3. Anno doñi. M. cccc. Lxxiiij. die vero ſabbati qnta mēſis nouēbris Pontificatꝰ S. in Xp̄o pr̄is & domini nr̄i domini Sixti diuina ꝓūdentia pape quarti Anno eius quarto finit feliciter.* Subnexa eſt Alphonſi de Soto conteſtatio, quod in edendo hoc opere omnem adhibuerit diligentiam, & in locis dubiis tria contulerit exemplaria.

IX. ***Repetitio ſolennis Rubricæ: De Fide Inſtrumentorum. Edita per excellentiſſimū uirum: & juris utriusque monarchā: diuū dominū Andream barbaciā ſiculū Meſſanenſem.*** **Hæc verbotenus leguntur in prima primæ paginæ columna inſtar tituli. Bononiæ ann. 1474. ſine nomine typographi.**

Opus iſtud eſt rotundo charactere impreſſum ſine cuſtodibus, ſignaturis, paginarum numeris. Litteras initiales parvas typographus ipſe adjecit. In fine idem hæc adnotavit: *clariſſimi iuris utriuſq3 Monarcæ ac Sereniſſimi Regis Aragonū &c. Nobilis Conſiliarii. D. Andreæ Barbatiæ ſiculi: de fide iſtru. ſolennis Repetitō Bonoie eſt ipreſſa calēdis Februar. M. CCCC. LXXIIII.*

X. **Solennis Repetitio Capituli: *Veſtra.* Antonii de Butrio J. U. D. Bononiæ ann. 1474. per Hugonem Rugerium Regienſem in Fol.**

Hoc viginti tantum foliorum opuſculum charactere rotundo admodum nitido impreſſum caret ſignaturis, titulo, cuſtodibus, paginarum numeris. Deeſt quoque littera initialis *V* initio opuſculi ponenda. In fine ſequentem notitiam typographus adjecit: *Explicit ſolemnis repetitio capituli veſtra celeberrimi iuris utriusq3 doctoris Domini Antonii de butrio exemplata. ac ſumpta de proprio exemplari originali ipſius d. Antonii Bononiæ Impreſſum. per me Vgone3 Rugeriu3 Regienſem. M. CCCCLxxiiij. idicione ſeptima die decima quarta menſſis Nouenbis' hora quinta decima. Laus Deo Amen.*

XI. **Petri de Anchorano Repetitio Capituli, *Poſtulaſti de foro competente.* Bononiæ ann. 1474. per Hugonem Rugerium. in Fol.**

Externa hujus opuſculi forma prorſus convenit cum proxime præcedenti. Quare ex eadem typographia utrumque prodiiſſe, non eſt dubium. Conſtat foliis duodecim. In fine hæc habes impreſſa: *Explicit ſolemnis repetitio*

*capi-*

*capituli Poſtulaſti de foro competenti celeberrimi juris utriuſq3 doctoris Domini Petri de ancharno exemplata ac ſumpta de ꝑprio exemplari originali ipius d. petri Bononie impreſſū M. CCCCLXXIIII. inditione. ſeptima die ꝟo ſabbati XXVIIII. menſis octob'.*

## XII. Bartholomæi Cepolæ Veronenſ. J. U. D. Tractatus de imperatore Militum deligendo. Romæ impreſſus ann. 1474. in Fol.

In fronte primæ paginæ primæ itidem columnæ hæc leguntur: *Bartholomei cepolæ Veronenſis Juris utriusq3 doctoris & Aduocati Conſiſtorialis Ad inſignem equitem & clariſſimum Juriſconſultum dominū Zachariam Triuiſanum virum Patricium de Impatore Militum deligēdo Prohemium feliciter incipit.* Occaſionem, ſingulare hoc argumentum pertractandi, auctor inde arripuit, quod Bartholomæus Colionus genere nobilis & militari ſcientia clarus in veneta republica ſtipendium militare merens moleſte ferret, ſupremum veneti exercitus ducem creatum fuiſſe gentilem Leoniſſam, nolletque eidem ſubeſſe. Gravis inde orta eſt controverſia, quam ſenatus ita ſopivit, ut omnes loco ſuo contentos reddiderit, quemadmodum præſentis operis auctor in prohemio adfirmat. In hoc igitur tractatu auctor agit de dotibus, prærogativis, obligationibus ſupremi belliducis, de modo electionis faciundæ, de aliorum belliducum erga illum obligationibus. Conſtat Tractatus integer foliis viginti ſex, quorum quævis pagina in duas columnas diviſa eſt. Characteres ſunt rotundi romani. Litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri deſunt. In fine adnexæ ſunt concluſiones quadraginta ſex ex dictis in tractatu reſultantes. Ad harum calcem vero ſequens notitia typis impreſſa legitur: *Explicit ſolennis Tractatus de re militari cū concluſionib⁊ ejusdē in fine. additus* (ſic) *editus per famoſiſſimum utriuſq3 iuris doctore3 dominum Bartholomeum Cepolla Veronenſ. Impreſſuſq3 Rome anno dñi M. CCCCLXXIIII. Regnante Sixto quarto pontifice maximo Pontificatus ſui Anno quarto finituſq3 die ultima menſ. octobris anno die & loco ut ſupra.*

## XIII. Bartholomæi Cepolæ Libellus de Contractibus Emptionum & locationum cum pacto de non retrovertendo ſimulatis, ad Hermolaum Barbarum venetum J. U. D. Romæ 1474. in Fol.

Opus præſens ex eadem typographia ſine dubio prodiit ex qua immediate præcedens. Sane exterior ejus forma eſt prorſus eadem. Conſtat etiam totidem foliis nimirum viginti ſex impreſſis. In fine impreſſa leguntur ſequentia: *Explicit ſollemnis* (ſic) *tractatus de ſimulatione contractus editus per*



*famo-*

*famoſiſſimū utriuſq3 juris doctor3 dum̄ Bartholomeum cepolla ueronenſ. impreſſuſq3 Rome. Anno dn̄i M. cccc Lxxiiij. Finituſq3 die prima menſ. ſeptembris. Anno die & loco ut ſupra.*

**XIV.** Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium Libri novem. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Mañthen de Gherretlheim, in Fol. min. ann 1474.

In averſa primi folii pagina leguntur Valerii Maximi *Dictorum Et Factorum Memorabilium Rubricæ*, quæ folii quoque ſecundi utramque implent paginam. Folio tertio demum præmiſſo prologo auctoris opus ipſum incipit. Impreſſum eſt litteris rotundis perelegantibus. Litteras initiales parvas, & ſignaturas typographus ipſe adjecit. Cuſtodes vero, & paginarum numeri deſunt. Editio hæc Eduardo Hardwoodo, & ejusdem interpreti Carolo Altero (Ueberſicht verſchiedener Ausgaben der griechiſchen und römiſchen Claſſiker Wien 1778. pag. 256. ſeqq.) fuit incognita. Ad Calcem haec habes impreſſa: *Extat hic finis Valerii maximi peroptime emendati: ꝙ cura diligentiq3 pviſione Impreſſoribus Venetiis expoſitus fuit per Johannem de colonia agripinenſi ac Johannē Māthen de Gherrethſhem: ꝗuna fideliter uiventes eoſdē ip̄reſſores ad hoc duxerūt. M. CCCCLXXIIII.*

**XV.** Franciſci de Platea ord. min. opus de Reſtitutionibus, uſuris, & excommunicationibus. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen de Gerrethſheim 1474. in 4to.

Præmiſſa eſt tabula ſeu index materiarum foliis impreſſis ſedecim conſtans. Litteras initiales parvas majorum ſectionum typographus ipſe adjecit. Signaturæ vero, cuſtodes, & paginarum numeri deſunt. Characteres ſunt Gotthici, & pagina quævis in duas columnas diviſa eſt. Ad calcem impreſſa leguntur ſequentia: *Adeſt hic finis opis reſtitutionum ꝑ utilis Reuerēdiſſimi i Xp̄o patr |fratr| Frāciſci de platea bononiēſ ordinis mino4: cui⁹ impreſſio venetiis extat facta ductu & impenſa Johañis Colonie Agripinenſ: ac Johañis māthen de gherretſhem: ꝗvna fideliter circa hoc ſegerūt. Anno M°. cccc. Lxxiiij. die XXV. Martii.*

**XVI.** Ludolphi Carthuſiani vita Chriſti ſecundum ſeriem 4 evangeliorum deſcripta Impreſſa ann. 1474. ſine nota loci & typographi. in Fol.

Præmiſſus eſt auctoris Prologus, qui terminatur folio tertio, columna quarta, ſeu verſæ paginæ columna ſecunda linea 15. Huic ſubjuncta eſt oratio

tio

tio ad Chriſtum. Atque ejusmodi orationes ſingulis capitibus totius operis ſunt annexæ, argumento in capite pertractato convenientes. Litteris impreſſum eſt hoc opus ſculptis. Deſunt Litteræ initiales capitum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Tam primæ quam ſecundæ parti adnexa eſt tabula capitulorum. Ad calcem ſecundæ partis ante tabulam capitulorum immediate poſt orationem capiti octuageſimo nono adjectam leguntur impreſſa ſequentia: *Et ſic eſt finis hujus operis vita Chriſti nuncupati & a quodā Religioſo ſratre Ludolpho ordinis Carthuſienſ. Montis Beate virginis extra ciuitatē Argeñ. monacho magnoq3 & precellenti theologo cōpilati cui deus in premium præſentis laboris & omnium p eum beneſactorū & malorum ſuſtent4 requē & ſempiternū gaudiū miſericorditer impendere dignetur. Impreſſum anno dñi* 1.ℵ∧ℵ. (i.e. 1474.) Cl. de Bure *Bibliographie Theolog*. n. 109. hanc editionem adfirmat eſſe primariam, & admodum raram. Creditur adornata in Monaſterio Carthuſianorum Beatæ Virginis prope Argentinam. Cl. Michael Denis (Merkwürdigk. der garell. Bibliothek Seite 75. in Notis) editionem hanc vocavit in dubium licet a Cl. de Bure excitatam. Eam igitur vere exiſtere jam non amplius, puto, dubitabit.

## XVII. Liber VI. Decretalium cum gloſſis Johannis Andreæ. Romæ per Udalricum Gallum anno 1474. in Fol.

In averſa primi folii pagina *Incipiunt* ℞*ice* (Rubricæ) *libri Sexti decretalium*, quæ terminantur in averſa tertii folii pagina. Folio quarto ipſum opus incipit, ita adornatum, ut textus ipſe decretalium litteris majoribus gothicis impreſſus duas columnas in medio, glóſſæ veræ, romano charactere rotundo impreſſæ, margines occupent. Deſunt litteræ initiales, cuſtodes, paginarum numeri, ſignaturæ. In fine charactere miſſali, quem vocant, impreſſa leguntur ſequentia: *Preſens hujus ſexti libri decretalium preclarum opus cum gloſis Jo. An. iuris canoici luminis. Alma in urbe Roma totius mundi regina ac digniſſima Imperatrice. que ſicut preceteris urbibus dignitate preeſt ita ingenioſis uiris eſt referta. Non atramento plumali. nec calamo. neque ſtilo ereo. ſed artificioſa quadam adinventione imprimendi ſeu caracterizandi ſic effigiatum. ad dei laude3 induſtrieq3 eſt cōſummatum per inſigne3 uirū magiſtrū Udalricum Gallū almanu3. Anno dñi. M. CCCC. LXXIIII. Die vero XXIIII. Decembris.*

## XVIII. Summæ S. Antonini Pars 2da Venetiis per Franciſcum de Heilbrun, & Nicolaum de Francofordia. ann. 1474. in Fol. min.

Impreſſum eſt hoc opus charactere gothico pereleganti in duabus columnis. Charta eſt nitidiſſima: Deſunt litteræ initiales titulorum & capitum, cuſtodes, ſignaturæ, numeri paginarum. Ad calcem operis hæc tantum leguntur

guntur

guntur impreſſa. *Impreſſum ē hoc opus uenetiis p̄ Franciſcum de Hailbrun. & Nicolaū de Frankfordia ſocios. M. CCCC. LXXIIII.*

*Laus Deo.*

Poſt hæc adjecta eſt tabula articulorum, & capitum, quæ folium integrum, & alterius folii primam paginam implet. An typographi noſtri ceteras etiam partes ſummæ Antoninianæ ediderint, mihi quidem incompertum eſt. Illud autem conſtat, alios quoque typographos illa ætate operis iſtius unam tantum, alteramve partem edidiſſe.

## XIX. Inventarium ſeu Index Alphabeticus ſpeculi Judicialis a Guilelmo Durando editi. Impreſ. Romæ per Udalricum Gallum, & Simonem Nicolai. ann. 1474. in Fol. max.

Opus præſens in duabus columnis charactere rotundo romano impreſſum eſt. Litteras initiales parvas, ubi littera aliqua prima vice occurrit, typographi adjecerunt plerumque. Sola littera *a* in primis quinque vocibus eſt impreſſa. Signaturæ, paginarum numeri, cuſtodes deſunt. In fine typographi hæc adjecerunt: *Finitur inuentarium ſpeculi iudicialis. Rome impreſſum. per viros egregios Udalricum gallum almanū & Symonem nicolai lucenſem mercatorem ſub Sixto quarto pontifice maximo. Anno domini M. cccc. Lxxiiij. die vero viceſima ſecunda menſis Maii.*

## XX. S. Thomæ aquinatis Expoſitio libri Job. Impreſſ. per Conradum Fyner anno 1474. in Fol. ſine nota loci.

In fronte primæ paginæ hæc leguntur: *Poſtilla fratris thome de aquino In iob feliciter incipit.* Sequitur autem immediate auctoris in opus præſens præfatio, quæ terminatur in averſa primi folii pagina, linea 16. tum ſequitur *capitulū primū.* Atque hac ratione initia ſingulorum capitum indicantur, quin eorumdem præfigantur ſummaria. Characteres ſunt gothici, & hi quidem admodum graciles. Charta firma quidem, ſed minus alba: chartarii ſignum eſt caput bovis, cujus inter cornua duplex ſtilus exurgit, in crucem deſinens. Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Ad calcem operis hæc habes impreſſa. *Explicit poſtilla in job fratris thome de aquino Año millesimo quadringenteſimo ſeptuageſimo qrto. per diſcretum Conradum fyner d' gerhuſzen artiſ impreſſorie magiſtrum.* Orlandi in *origine della ſtampa* pag. 172. Conrado Fyner duos tantum adſcribit libros Eſslingæ, civitate imperiali in ducatu Wurtembergico ſita, excuſos, nempe *Petri Nigri germani Ord. Præd. Tractatum de Judæorum perfidia* anno 1475, & ejusdem *Tractatum de Conditionibus veri Meſſiæ* anno 1477. impreſſos. Inde probabilis eſt conjectura, Poſtillam, quam modo indicavi, Eſslingæ excuſam pariter fuiſſe.

**XXI.** ***Thurecehſis: (ſic) Phiſici: Tractatus: De: Cometis: Incipit.*** **— in 4. anno 1474. ſine nota loci & typographi.**

Quæ modo recitavi, verbotenus leguntur capitalibus impreſſa litteris in fronte primæ primi folii impreſſi paginæ. Auctor, de quo non habeo, quæ dicam, opus ſuum in duas partes diviſit, In prima agit de cometis, earum generatione, figura, influxu &c. generatim! at *Secunda: Pars: Eſt: Sermo: Particularis: De: Cometa: Apparente: Anno: Domini: M. CCCC. LXXII.* Hæc verba capitalibus impreſſa litteris in fronte folii vigeſimi impreſſi leguntur. Fuit auctor eorum ex numero, qui multum tribuerunt cometarum influxui. Conſtat opus integrum tribus plagularum faſciculis, quorum primus & tertius, ſexterni ſunt, ſecundus autem quinternus. Primi faſciculi primum, & tertii ultimum folia ſunt vacua. In prima folii penultimi pagina ad calcem operis litteris capitalibus hæc leguntur impreſſa:

*Sit: Laus: Deo:*

*Anno: Domini: M. CCCC. LXXIIII: Hans: Aurl.*

Verbis *Hans. Aurl.* vel typographi, vel correctoris, vel bibliopolæ vel editoris nomen videtur deſignari, quemadmodum etiam verbis Leonhardus Aurl. in libro ad ann. 1473. N. II. deſcripto. Quis vero uterque fuerit, necdum mihi innotuit. Ceterum characteres, quibus impreſſum eſt hoc opus, ſunt rotundi, charta ſatis firma, & alba. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones. Litteræ vero initiales deſunt tantum initio operis, nec non initio capitum, ſeu articulorum primæ partis, ubi agitur 1) de generibus cometarum 2) de generatione cometarum. Et in tribus hiſce locis typograpus ſpatium ſatis amplum miniatori reliquit: In ceteris vero ipſe majuſculas, vel capitales adpoſuit. Non memini, hujus operis a quoquam Bibliographo factam eſſe mentionem.

**XXII. Angeli de Ubaldis Peruſini, Juriſconſulti celeberrimi, 1) Lectura ſuper authenticis. 2) Ejusdem Tractatus de Inventario. 3) Nicolai de Ubaldis Peruſini Tractatus de ſucceſſionibus ab inteſtato primum generalis, tum ſpecialis de ſucceſſionibus ab inteſtato clericorum regularium, & ſæcularium. Romæ ann. 1474. in Fol. magn.**

Omnia hæc opera juridica ſunt eodem charactere, romano nimirum, eoque minus pingui impreſſa. Charta etiam in omnibus eadem eſt. Quamvis igitur duo priora opera ſeparari a reliquis poſſiſit, & forte paulo ante hæc ſeparatim fuerint vendita: videntur tamen ex eadem typographia non diu alterum poſt alterum prodiiſſe. Lecturæ ſuper authenticis præmiſſa eſt editoris, neſcio cujus, præfatio, ex qua colligitur, primam hanc eſſe iſtius operis

ris

ris editionem. Legitur hæc præfatio in averſa pagina primi folii. In fronte autem primæ columnæ folii ſecundi *Opus ac Lectura Autentico4 Preſtantiſſimi doctoris domini Angeli de Vbaldis de peruſio. Juris Ceſarei ac Romani Interpretis optimi. Et primo collatio prima incipit feliciter.* Lectura hæc foliis impreſſis 93 comprehenſa eſt. Tractatus vero de inventario non niſi quatuor implet folia. Ad hujus calcem ſequens legitur ſubſcriptio: *Lectura dñi Angeli de Vbaldis de Peruſio ſuper Autenticis & ſup tractatu de inuentario p dñm Bar. Bononie compilata Impreſſaq3. ī. ſcripta Rome apud ſanctum Euſtachium in domo dño4 Antonii & Raphaelis de Vulterris ſcript4 aplico4. Finiunt feliciter.* Accedit folium, quo nihil aliud continetur, quam *Regiſtrum hujus operis*, hoc eſt, indiculus quaternionum, & quinternionum. Tractatui generali de ſucceſſionibus ab inteſtato in averſa primi folii pagina præmiſſa eſt auctoris præfatio, ſeu dedicatio ad Cardinalem de Urſini, Epiſcopum Tuſculanum, ſcripta anno 1472, die 16. Maii. Duo folia immediate ſequentia tabulam continent materiarum. Quarto demum folio opus ipſum ſine ullo titulo incipit, idemque terminatur in prima pagina folii trigeſimi, hanc habens ſubſcriptionem: *Hanc ſūmulā ſiue tractatū de ſucceſſionibus ab inteſtato q̄ breuiſſime potui edidi Ego Nicolaus de Vbaldis de peruſio Vtriuſq3 iuris doctor Et ſacri palatii apl'ici cauſarum Auditor ſub anno dñi. M. cccc. Lxxj. die penultima ſeptembris Regnante Siſto IIII. Pontifice maximo Pontificatus ſui Anno p̄mo ſubmittens opus ipſū correctioni. V. R. D. Et cuiuſcunq3 alterius melius ſentientis.* Averſa hujus folii pagina eſt vacua. In ſequentis autem folii prima columna incipit tractatus ſpecialis *De ſucceſſionibus ab inteſtato Clericorū Regulariū & Secularium.* Hæc verba immediate excipit auctoris *Prohemium*, in quo teſtatur, ſe in ſuo tractatu generali, anno ſuperiori, nimirum 1471, edito nimis ſuccincte pertractaſſe ea, quæ Clericos concernunt. Quare facile adductum fuiſſe, ut hunc ſingularem de hac materia tractatum ederet. Poſt Prohemium immediate ſequitur *Tabula*, ſc. materiarum, terminata in auerſa folii ejusdem pagina, columna ſecunda. Ipſe tractatus foliis impreſſis ſex tantum comprehenditur, & ad calcem hanc habet ſubſcriptionem: *Solennis Tractatus cum excellenti additiōe editus per R. P. ac clariſſimum utriuſq3 Juris doctorem | dñm Nicolaum de Vbaldis de Peruſio | Sacri palatii apoſtolici cauſſarum Auditorem Explicit. Impreſſuſq3 Rome Anno dñi. M cccc Lxxiiij. Regnante Sixto quarto Pontifice maximo | Pontificatus ſui Anno Quarto. Finituſq3 die. XI. Mēſis Septembris. Anno die & loco ubi ſupra.* Ceterum deſunt in omnibus hisce operibus cuſtodes, ſignaturæ, litteræ initiales ſectionum majorum, paginarum numeri, & inſcriptiones. Charta eſt plane præſtantiſſima.

AN-

## ANNO 1475.

### I. Biblia latina ſine loco, anno; & typographo in Fol. — Sed certe circa annum 1475 impreſſa.

Horum Bibliorum exemplar anno 1475 octo florenorum Rhenenſium pretio comparavit Georgius Zingel ex Schlierſtat artium & theologiæ Doctor, Profeſſor, univerſitatis Procancellarius, & Canonicus Aichſtadianus, ut ipſemet ad calcem primæ paginæ manu ſua, & his verbis adnotavit: *Iſte liber eſt magr̄i Georgij czingel d' ſlierſtat quē ꝯpauit ꝑ* 8 *fl* *rēnſ, año* 1475 (1ꝸΛꝗ) Oportet igitur ante annum 1475 vel hoc ſaltem anno impreſſa eſſe hæc Biblia Aliud eorumdem exemplar deſcribit cl. Maſch in nova editione *Bibliothecae ſanct. Jacobi Le Long* Part. II. Vol. III. Cap. II. Sect. I. § XVI.

Papyro impreſſa ſunt hæc Biblia & firmæ admodum, & albæ. Foliorum tum longitudo: tum latitudo eadem fere eſt, quæ in Bibliis Moguntinis N. II. ad ann. 1462. deſcriptis, forte æqualis omnino futura, niſi Bibliopegus recentior nimium illa præcidiſſet. Chartarii ſignum eſt littera D, quam linea ſecat perpendicularis ex utraque parte prominens, figura ſimilis illi, quæ etiam in Bibliis Moguntinis occurrit ſupra deſcripta. Non tamen hæc æqualis ubique magnitudinis ſed nunc major, nunc minor eſt. Una tantum vice caput bovinum obſervavi. Paginæ ſingulœ in duas diuiſæ ſunt columnas, quarum quælibet integra lineas habet 48, quamvis non deſint, quæ lineas 49 habent. Deſunt ſignaturæ, cuſtodes, columnarum tituli, & numeri paginarum impreſſi. At vero litteræ initiales tam librorum, quam capitum, & præfationum libris præfixarum ligno inciſæ ſunt, partim majores, partim minores. Librorum & præfationum iisdem præfixarum, tituli ſeu rubricæ, quæ vocantur, colore rubro, capitum vero rubricæ nigro colore impreſſæ ſunt. Littera i loco puncti ſupra ſe accentum acutum habet. Tituli Pſalmorum ſingulis Pſalmis præfixi ſunt: deſunt vero numeri Pſalmorum impreſſi, qui in noſtro quidem exemplari nequidem a miniatore adjecti ſunt. Conſtat opus integrum foliis impreſſis 467, non 468, ut habet cl. Maſchius. Liber exodi incipit fol. 22. (non fol. 23.) ut idem Maſchius habet, (*a*) columna 2, quæ lineas primi capitis triginta tres continet. Harum duæ ultimæ ſic ſe habent:

 *opibꝫ*

(a) Forte tamen Maſchii exemplar ante folium, quod ipſimet primum eſt, & epiſtolam S. Hieronymi ad Paulinum inchoat, folium habet vacuum. Hoc ſane adnumerato foliis opus integrum conſtat 468, & liber exodi incipit fol. 23. Videtur ſane typographus folium initio vacuum reliquiſſe. Nam qui in ultimo folio, pag. averſa legitur impreſſus index librorum Biblicorum, folium quoddam vacuum ſupponit. Secundum hunc quippe indicem liber geneſis incipere debet fol. 4. Liber Exodi fol. 23, & ſic deinceps. At vero folio vacuo non numerato liber Geneſis incipit fol. 3. pag. averſ. col. 2. lin. 39. Verum ego folia impreſſa numeravi, & ideo, e. g. qoud mihi eſt folium CCXXXIV, hoc idem in indice eſt folium CCXXXV. & ſic deinceps.

opibꝰ ꝑmebāt. Dixit aūt rex egipti obſte
tricibꝰ hebreo4: q̄ 4 una vocabat ſephora.

Deuteronomium terminatur fol. 73, paginæ averſæ columna prima, linea 18. Pſalmorum, quibus unus tantum præfixus eſt Prologus S. Hieronymi: *Pſalterium Romæ dudum poſitus &c.* initium eſt fol. CCX. columna 1. linea 9. finis vero CCXXXIV. paginæ averſæ columna 2. linea 38. Apocalypſis terminatur folio 461. paginæ averſæ columna 1. linea 47. Partem lineæ 48 hæc verba, in medio lineæ poſita, occupant:

*Et ſic eſt finis.*

Poſt Apocalypſim ſequuntur ſex adhuc folia impreſſa, quorum priora quatuor continent Menandri Monachi ad Jacobum de Iſenaco Epiſtolam, librorum Biblicorum ſummam quandam & compendium exhibentem, cum ſubjunctis verſibus, qui in pluribus deinceps latinorum Bibliorum ſæc. XV. editionibus occurrunt, quos ideo integros hic exhibere volui:

*Qui memor eſſe cupit librorum bibliothecæ*
*Diſcat opus præſens ſi retinere velit.*
*Maxima de minimis ex partibus accipe totum*
*Invenies quod amas ſi ſtudioſus eris.*
*Ecce Iheſu Chriſte claudo pietate libellum*
*Sit benedictus Deus & homo de virgine natus*
*Credentes verbis ſacris ſalvare paratus.*

Duo poſtrema folia continent imprimis canones Evangeliſtarum tribus prioribus paginis, & pagina ultima indicem librorum Biblicorum, cum nota folii, quo liber quisque incipit. Evangeliſtarum canones etiam in margine ſingulorum Evangeliorum minoribus litteris exhibentur, ſuis quique locis.

Conſentit, teſte viro clariſſimo Maſchio, hæc editio quoad litteras florentes, typos, & externam formam cum editione, quæ notam anni 1475 adſcriptam habet, & a Cl. Maſchio loc. cit. §. XXV. deſcribitur. Si poſterioris hujus editionis cum typi, tum imprimis litteræ initiales conferantur cum editione Bernardi Richelii Baſileenſis typographi anno 1477 facta, & a Maſchio loc. cit. §. XLIV. deſcripta teſte eodem Maſchio utraque Biblia ex una eademque typographia prodiiſſe vel ipſe conſpectus unumquemque docebit. Quod ſi hæc omnia ita ſe habeant: habemus nos primam Richelii Baſileenſis typographi editionem, anni tamen, locique nota impreſſa carentem. Secunda enim notam ſaltem anii 1475, tertia non anni tantum (1477) ſed & loci, & typographi notam habet.

## II. Bartholomæi Cepolæ tractatus de ſervitutibus urbanorum prediorum. Romæ apud S. Marcum 1475. in Fol.

Præmiſſa eſt in noſtro quidem exemplari tabula materiarum, quæ in hoc libro pertractantur, quatuor foliis comprehenſa. Tum incipit opus in dua-

bus

bus columnis romano charactere impreſſum. Litteras initiales parvas typographus adjecit. Signaturæ vero, paginarum numeri, & cuſtodes deſunt. In fine operis hæc leguntur impreſſa: *Explicit Tractatus de ſervitutibus urbanorum prediorum Excellentiſſimi utriusque juris domini Bartholomei Cepolla veronenſ. Impreſſus Rome apud Sanctum Marcū Anno a Nativitate domini & eodem Jubileo M. CCCCLXXV. die Nona Menſis Septembris. Sedente Sixto quarto Pontifice Maximo. Pontificatus ſui anno Quinto.*

**III. Iuvenalis Satyræ cum commentario Domitii Calderini nec non ejusdem Calderini defenſione commentariorum ſuorum in Martialem adverſus Brotheum. Venetiis per Jacobum Rubeum natione Gallicum. ann. 1475. in Fol. min.**

Præmiſſa eſt *Domitii Calderini Veronenſis Secretarii Apoſtolici In Commentarios Juvenalis ad clariſſimum Virum Julianum Medicen Petri Coſmi Filium Florentinum* epiſtola, quæ terminatur folii ſecundi pagina prima linea vigeſima quinta. In averſa folii ejusdem pagina exſtat *Juvenalis Vita Ex Antiquorum Monumentis.* Folio demum tertio præmiſſa in prima ejusdem pagina præfatione in ſequentes commentarios ipſi incipiunt commentarii, textum in externis tribus paginarum marginibus ambientes. Porro textus charactere rotundo romano pereleganti, commentarii vero romanis quidem etiam litteris, ſed paulo minoribus ſunt impreſſi. Littera initialis cujusvis Satyræ deeſt; prima vero ceterorum verſuum ſingulorum littera capitalis eſt. Signaturæ, cuſtodes, paginarum numeri deſunt. In fine Satyrarum characteribus iisdem quibus impreſſæ ſunt Satyræ, impreſſa leguntur ſequentia: *Junii Juvenalis Aquinatis Satyrarum Libri Impreſſi, Venetiis Diligentiſſime Arte Et Ingenio Jacobi de Rubeis Natione Gallici VIII. KL. Maias Anno Chriſti M. CCCCLXXV. Invictiſſimo Et Inclyto Duce Petro Mocenigo.* Ad calcem commentariorum in ejusdem paginæ inferiori margine hæc leguntur impreſſa: *Domitij Calderini Veronenſis Secretarii Apoſtolici In Satyras Juvenalis Ad Clariſſimum Vir℞ Julianum Medicen Laurentij Fratrem Petri Coſmi Filium Florentinum Editi Romæ: Quom Ibi Publice Profiteretur K. Septembris MCCCCLXXV.* Tum ſequitur Calderini Defenſio Commentariorum ſuorum in Martialem adverſus Brotheum typis iisdem, quibus Satyræ, impreſſa & decem foliis comprehenſa. In prima decimi folii pagina ad calcem hæc denuo leguntur impreſſa: *Domitii Calderini veronēſis Cōmētarii in Juvenalē cū defenſiōē cōmētario℞ Martialis & Recrimīatiōē aduerſus Brotheū gramāticū. Ad Julianum Medicen Florentinum. Editi Romæ. K. Septēbris: MCCCCLXXIIII.* Tres iſtas ſubſcriptiones non niſi truncatas, & inter ſe confuſas, quaſi unica eſſet ſubſcriptio, in medium attulit cl. de Bure *Bibliographie Belles Lettres* n. 2834. Idem vero recte advertit, Bibliographos non paucos ex terminis, qui in duabus poſterioribus ſubſcriptionibus occurrunt (*Editi Romæ ann.* 1474.) non



recte

recte ſuſpicatos fuiſſe, Calderini in Juvenalem commentarios jam ante hanc editionemvenetam Romæ anno 1474 fuiſſe typis excuſos. Sane per verba, *editi Romæ anno* 1474, nihil aliud videtur innui, quam Calderinum hos commentarios abſolviſſe, & in lucem edere publicam ſtatuiſſe, cum Romæ anno 1474 verſaretur, &, ut ſecunda ſubſcriptio expreſſis verbis ſonat, ibidem publice profiteretur. Quare non eſt a vero aliena Cl. de Bure aſſertio, venetam hanc editionem commentariorum Calderini eſſe omnium primam.

IV. Laurentii Vallæ Elegantiarum Linguæ latinæ compendium a Bono Accurſio Piſano concinnatum. Impreſſum Mediolani per Philippum de Lauagnia ann. 1475. in 4to.

In averſa primi folii pagina exſtat Boni Accurſii Epiſtola dedicatoria ad Cichum Simonetam ducalem Secretarium. In hujus enim liberorum gratiam Bonus Accurſius præſens compendium adornaverat, ut ipſe teſtatur in hac epiſtola. Folio ſecundo ſtatim incipiunt *Laurentii Vallenſis Viri Clariſſimi Elegantiæ Ad Breve Quoddam Ac Perutile Redactæ Compendium.* Atque hæc capitalibus ſunt litteris impreſſa: ipſe vero textus charactere rotundo, eoque elegantiſſimo impreſſus eſt. Litteras initiales parvas typographus ipſe adjecit. At vero cuſtodes, ſignaturæ, & paginarum numeri deſunt. Conſtat opus integrum foliis impreſſis ſeptuaginta ſeptem. In auerſa poſtremi folii pagina hæc leguntur impreſſa: *Mediolani Impreſſum per Magiſtrum Philippum de lauagnia Mediolanenſem.* 1475. *die* 27. *Junij.*

V. *Auguſtini Dati Senenſis Iſagogicus libellus in eloquētiæ præcepta ad Andream Chriſtophori filium*, (Hæc verbotenus leguntur in fronte ſecundi folii) quem typis imprimendum curavit Bonus Accurſius Piſanus Mediolani per Philippum de Lauagnia anno 1475. in 4to.

In averſa primi folii pagina exſtat Boni Accurſiii, qui opus typis imprimendum curavit, Epiſtola dedicatoria ad Cichum Simonetam primum ducalem Secretarium. Externa hujus opuſculi, quod foliis conſtat impreſſis quadraginta tantum, forma eadem prorſus eſt cum proxime præcedenti. In prima ultimi folii pagina hæc leguntur: *Mediolani. Impreſſum per Magiſtrum Philippum de Lauagnia.* 1475. *die* 18. *Martii.*

VI. Aurea Biblia Antonii Ampigolli Ord. Eremit. S. Auguſtini. Ulmæ ann. 1475. per Joh. Zeiner. in Fol.

Eſt lexicon alphabeticum Morale, cui nomen Aurea Biblia ideo videtur inditum, quod vitanda & agenda maximam partem exemplis & figuris ex

S.

S. Scriptura depromptis inculcentur. Auctor opus inſcripſit Confratribus ſuis Auguſtinianis in Conventu Neapolitano exiſtentibus, ut ipſe in Præfatione operi præfixa teſtatur. Opus diviſum eſt in capitula, ſeu titulos centum triginta novem, quamvis typographus non niſi capitula centum triginta octo notaverit. Error inde manavit, quod numerum capitulo vigeſimo, in quo agitur de *Auxilio Dei*, adjicere neglexerit, eundemque numerum Capitulo de *Baptiſmo*, quod revera eſt ordine vigeſimum primum, addiderit. Atque hic quidem error per totum opus deinceps eſt continuatus. In ſuperiori margine capitulorum, non foliorum, numeri notantur. Deſunt quoque cuſtodes, & ſignaturæ. At litteras initiales magnas, easque ligno inciſas typographus ipſe adjecit. Ceterum characteres gotthici quidem ſunt, ſed tamen admodum elegantes. Ad calcem capituli poſtremi, quod eſt de zelo indiſcreto, leguntur ſequentia typis impreſſa: *Vigore infiniti entis explicit lib'. bon⁹. & perutilis Aurea Biblia. ve. ac. no. te. appellatꝰ. Vlm diligent' p Johãnez zeiner de Reutlingen artificialit' effigiatꝰ. Anno legis grē ꝯ. cccc. Lxxv. die altera poſt viti & modeſti martirum cui ſit honor & Gloria in ſecula ſeculoꝝ. amen. &c.*

## VII. Jacobi de Cluſa Charthuſiani Tractatus de Apparitionibus animarum poſt exitum earum a corporibus. Burgdorfii 1475. ſine nomine typographi. in Fol.

In fronte primæ paginæ hæc leguntur: *Tractatus de apparitionibus animarum poſt exitum eaꝝ a corporibꝰ & de earundem receptaculis. editꝰ in erdſordia ab excellentiſſimo viro Jacobo de Cluſa ordinis cartuſieñs. ſacre pagine profeſſore doctiſſimo.* Auctor hujus opuſculi, quod viginti ſex tantum foliis impreſſis conſtat, ſingulare argumentum majore libertate tractavit, quam pro temporis illius genio id ab aliis factum eſt. Habet tamen multas fabulas, & ſubleſtæ fidei hiſtorias. Cum plures circa medium Sæc. XV. fuerint ex ordine Chartuſianorum Jacobi, iique Erfordiæ degentes, non ſatis liquet, quis illorum præſentis operis auctor ſit dicendus. De loco etiam impreſſionis Burgdorf non omnino certa habentur documenta. Probabiliſſimum eſt, Burgdorfum Bernenſis in Helvetia ditionis oppidum deſignari. Verum cum præter librum hunc nullus hactenus eodem in oppido certo impreſſus innotuerit, typographi quoque latet nomen. Plura de loco & typographo, nec non operis auctore & argumento diſſeruit cl. Aug. Frid. Pfeiffer in Beyträgen zur Kenntniß alter Bücher, und Handſchriften. 1. St. n. XII. Litteræ ſunt oblongæ & pingues admodum, eæque ſculptæ, ut videtur, non fuſæ. Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Diſtinctionis ſignum unicum ubique occurrit, nempe punctum. In prima folii vigeſimi ſexti, ejusque ultimi pagina primum hæc leguntur: *Explicit Tractatus eximii doctoris Jacobi de cluſa ordinis cartuſienſis de apparitionib⁹ & receptaculis animꝝ exutarũ.*

im-

*impreſſus in opido Burgdorf Anno dñi milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto.* His ſubnexus eſt *ordo folio4.* h. e. indiculus primarum cujusvis plagulæ vocum, Bibliopegam in ordinandis plagularum faſciculis dirigens.

## VIII. Valerii Maximi Dictorum Factorumque memorabilium libri novem. Impreſſi Mediolani ann. 1475. per Antonium Zarottum in Fol.

In prima operis pagina legitur Boni Accurſii Piſani ad Cicchum Simonetam primum ducalem ſecretarium epiſtola dedicatoria, in qua Valerium Maximum a ſe *emendatiſſime correctum, & quidquid erat aliorum ignorantia inſertum exemptum fuiſſe* adfirmat. Hanc in eadem pagina excipit Boni Accurſii explanatio quorumdam locorum, quæ in ipſa Valerii Maximi præfatione in opus præſens occurrunt. In ſequenti folio incipiunt: *Valerii Maximi* (capitalibus litteris) *Dictorum Et Factorum Memorabilium Rubricae;* quæ terminantur folii tertii pagina prima linea 22. Averſa pagina vacua eſt. Folio quarto demum ipſum opus incipit. Impreſſum eſt charactere rotundo elegantiſſimo. Litteras initiales parvas inde a libri primi capituli quarti exemplo ſecundo, quod eſt *De Marco & Flamma capitis*, usque ad finem operis typographi ipſi adjecerunt. In præcedentibus autem deſunt. Deſunt etiam ubivis ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri. Ad calcem noni libri capitalibus litteris, & numeris Romanis impreſſa hæc leguntur:

*M. CCCC. LXXV. VII.*
*KL. Novembres.*
*Mediolani.*
*An. Impreſſit. ZA.*

Per *An. ZA.* intelligendum eſſe Antonium Zarottum celeberrimum Mediolani illa ætate typographum nemo, ut opinor, vocabit in dubium. Accedit index alphabeticus copioſiſſimus materiarum foliis 22. comprehenſus, cui præmiſſa eſt inſtructio ad expeditum ejusdem uſum. Orlandi, Hamberger, Harwood, hujusque interpres Alter hanc editionem non excitarunt. Cl. de Bure eam indicavit tantum. Editores Valerii Maximi Bipontini de ea pariter ſiluerunt.

## IX. S. Auguſtini Liber, Quinquaginta adpellatus, ſeu verius S. Auguſtini quinquaginta Homiliæ de variis materiis Auguſtæ Vind. per Anton. Sorg. anno 1475. in Fol.

Præmiſſum eſt regiſtrum, ſeu index Homiliarum, quæ hoc opere continentur, utramque primi folii implens paginam. Folio ſecundo *Incipit liber beati Auguſtini epiſcopi, qui vocatur quinq̄ginta De eo quod ſcriptum eſt. Quis eſt homo, qui vult vitā & cupit videre dies bonos* (In eadem linea interjecto ſpa-

ſpatio vacuc) *Omelia prima.* Litteras initiales parvas typographus ipſe adjecit. Cuſtodes vero, paginarum numeri, & ſignaturæ deſunt. Litteræ ſunt gotthicæ quidem, ſed perelegantes. Præter punctum, duo puncta, & interrogationis ſignum occurrit etiam, licet rarius comma. Ad calcem Homiliæ ultimæ, in qua oſtenditur, *Quam vtilis & neceſſaria ſit penitentia*, hæc leguntur impreſſa: *Anno dñi. M. cccc. Lxxv. circit' kal' Februarij Impreſſus eſt liber iſte ad honorem dei. P Anthoniū Sorg In Auguſta.*

## X. Alberti Trotti, Juris Canonici Profeſſoris Ferrarienſis liber de vero, & perfecto Clerico Ferrariæ impreſſus ann. 1475. per Severinum Ferrarienſem. in 4to.

Præmiſſa eſt in noſtro quidem exemplari tabula quæſtionum & dubiorum, quæ tanguntur, & deciduntur in hoc opere. Tabula hæc ſeptem foliis impreſſis comprehenditur, & ad calcem folii ultimi hæc inſuper impreſſa continet: *Explicit tabula ſeu ordo queſtionūque tanguntur ī hoc opuſculo: intitulato de vero & perfecto clerico: edito per clariſſimum juris utriusq3 interpretē Dominū Albertum Trottum de Ferraria ī ſtudio ferrarienſi: ibidemq3 impreſſo. Per Severinum ferrarienſem. Anno dnīce natiuitatis. M. CCCC. LXXV. die. 23 Decembris.*

*Laus Deo.*

Patet, Bibliopegi aut inſcitia, aut incuria hanc tabulam operi præpoſitam fuiſſe, cum illi ſubjungenda fuiſſet. Diviſum eſt opuſculum in duos libros, quorum prior de vero, poſterior de perfecto agit clerico. Opuſculo auctor præmiſit epiſtolam dedicatoriam ad Jacobum Zenum Patavinum epiſcopum. In fronte primi libri rubro colore, & capitalibus impreſſa litteris hæc leguntur: *De vero & perfecto Clerico Que: Et Quot:, Concurrere oporteat In Eo.* Litteræ, quibus impreſſum eſt hoc opus, ſunt rotundæ, eæque minutæ admodum. Litteras initiales typographus ipſe plerumque adjecit, easque magnas. Deſunt vero cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Ad calcem operis hœc tantum capitalibus impreſſa litteris leguntur.

*Sever. Ferrar.*

*F. F. V.*

Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* opuſculi hujus aliam citat editionem Ferrarienſem ab eodem typographo factam anno 1476. De noſtra vero ann. 1475. ſilet omnino.

## XI. Johannis Nider ord. Præd. Præceptorium divinæ legis, ſive Expoſitio Decalogi, per Ant. Sorg Auguſtæ anno 1475. in Fol.

Præmiſſum eſt huic operi duplex regiſtrum, & primum quidem alphabeticum materiarum, alterum vero capitulorum cujusque libri ſeu præcepti.

Pri-

Primum terminatur folio impreſſo 27, pagina prima, linea 31: alterum vero folio 28, pagina averſa, linea 20. Folio ſequenti *Incipit Prologus in expoſitionem decalogi ſm fratrē Johānem Nyder ſacre theologie pfeſſorem ordinis predicatorum.* Prologus iſte non niſi ſedecim lineas implet. Quare eadem in pagina circa medium *Incipit preceptorium diuine legis. Capitulum primum.* Initiales litteras parvas ipſe typographus adjecit. Idem quoque in ſuperiori margine paginæ ſiniſtræ præceptum, e. g. *Præceptum primum*, paginæ vero dextræ capitulum. e. g. *capitulum ſextum*, notavit. Cuſtodes, paginarum numeri, & ſignaturæ deſunt. In fine hæc leguntur impreſſa: *Fratris Johannis Nyder: diuine legis preceptoriū feliciter finit. Nō quidem Cyrographo ſed ipſaque de ſurſum demiſſa eſt arte p Anthoniū Sorg ciuē Auguſtenſem Impreſſum. In laudem dei & edificationem eccleſie. Anno ſalutiſere incarnacionis dñi nri iheſu Xpi. M. CCCC. L. XXV. IX. kalendas Junias. Laus almipotenti.*

## XII. Catonis Ethica, ſeu dyſtica de Moribus ad filium ampliſſimis Commentariis illuſtrata, vel potius onerata a Philippino de Pergamo. Impreſſa Auguſtæ Vind. anno 1475. per Anton. Sorg. in Fol.

Auctor horum dyſticorum, ſeu ſententiarum moralium non eſt Marcus Portius Cato Cenſorius, ſed Dionyſius Cato, qui ante Conſtantinum M. immo jam ſub Antoninis floruit. Porro hæc diſtica jam inde a temporibus Caroli Magni puerorum in manibus verſabantur, & ſcholaſticæ inſtitutioni habebantur idonea, quamvis non nulla illorum ægre admodum cum doctrina chriſtiana conciliari poſſe videantur. Conf. Hamberger zuverläßige Nachrichten ꝛc. Thl. 2. pag. 327 ſeqq. Ipſa Catonis diſtica paucis potuiſſent paginis imprimi. Aſt qui commentaria in hac quidem editione adjecit, præter pauca ad ſenſum diſticorum evoluendum idonea tam multa inſeruit aliena & ad prædictum ſcopum nihil, aut parum certe conducentia, ut præſens editio in vaſtiſſimæ molis volumen plagularum 241½ excreverit. Primo itaque introductionem præmiſit in opus præſens, eidemque regiſtrum adnexuit locos quosdam communes in ipſo opere uberius explicatos alphabetico ordine complectens. Atque hæc quidem introductio cum regiſtro foliis comprehenſa eſt 56 impreſſis. In ſequentis folii prima pagina incipit dedicatio hujus operis Johanni Galeazio vice comiti Mediolanenſi facta, in cujus contextu demum auctor, frater Philippinus de Pergamo, Prior monaſterii S. Mariæ de Treſſonibus, ſuum manifeſtat nomen. Finitur hæc dedicatio folio 59. pagina prima, linea 32. Tandem in eadem pagina incipit Catonis Procemium ad filium: *Nunc te fili cariſſime docebo q° pacto mores tui animi cōponas.* Atque hoc quidem procemium auctori uberrimam evagandi materiam præbuit. Implevit enim plagulas vix non 32: ſeu folia 64. Tandem incipit primum præceptum proſaicum: *Itaque deo ſupplica*, in idemque auctoris

com-

commentaria immediate ſubjuncta. Præcepta metrica, quorum primum eſt: *Si deus eſt animus ut nobis carmina dicūt. Hic tibi præcipue ſit pura mente colendus*, in quatuor partes ſeu libros diviſa ſunt. Ad calcem operis hæc leguntur impreſſa: *ob prime omnium rerum cauſe preconia: militantiſq3 eccleſie eruditoē3, Cathonis magni auctoris moraliſſimi ethica pregnantiſſima torquēdo Auguſte impoſita. In qua Facultatū pluriū gaza recondita eſt uberrima. Ex qua ſiquide3 quisquis opuſculi p̄ſentis lector attent⁹, excerpe ampliſſime fructificatoīs palmit.s poterit: ſummi ac immortalis opificis preſidio finit felici⁹ Incarnatoīs ſaluberrime añō. M. CCCC. LXXV: die craſtina feſti omnium ſanctorum*: His ſubjuncta: *Laus ſupno artifici mundum pugillo continenti eiuſq3 glorioſe ac intemerate genitrici.* Typi iidem ſunt, quibus Antonius Sorg tum hoc anno (vid. n. IX. & XI.) tum alias quoque uſus eſt. Quare eidem hoc opus attribuere non dubitavi. Litteras initiales parvas ipſe adjecit typographus. Signaturæ vero, cuſtodes, & paginarum numeri deſunt. Ceterum hæc eſt omnium prima hujus operis editio, & vel ideo rarioribus libris accenſenda. De ea non nihil uberius agit cl. Hummel in der Neuen Bibliothek von ſeltenen und ſehr ſeltenen Büchern. achten St. pag. 409 — 418.

## XIII. Das Buch der Natur. Augsburg gedruckt von Hanns Bämler. 1475. in Fol.

Duo prima folia regiſtrum complectuntur duodecim capitulorum in quæ diviſum eſt opus præſens. In averſa tertii folii pagina figuram videre eſt ligno inciſam, quæ hominem repræſentat nudum, cui a dextris & a ſiniſtris duo alii adſtant veſtiti, ille quidem vaſculum, hic vero librum manu tenens apertum. In prima quarti folii pagina leguntur ſequentia rubro impreſſa colore quæ hic adſcribam integra, cum ad dijudicandum libri argumentum, & hiſtoriam illius litterariam ſpectent dilucidandam: Hyenach volget das puch der Natur, das Innhaltet zu dem erſten von eygenſchafft und natur des menſchen, darnach von der natur vñ eygenſchafft des himels, der tier des gefügels (ſic), der Kräuter, der ſteyn, und vō vil and' natürlichē dingen, und an diſen puch hat ein hochgelerter mā bey fünffzehē jare colligiert vñ gearbeyt, vñ für ſich geñumē die hernach benanten götlich vñ natürlich lerer Poeten vñ ander bewert Doctores der ertzney. Als Auguſtinū, Ambroſium. Ariſtotelen, Baſilium, Yſidorum, Plinivm, Galyenū, Avicennū etc. vñ vil and' meiſter vñ lerer, auß den vñ andern hat er dicz nachgeſchribē pūch allenthalbē zuſamē geleſen vñ außgezogē, welches pūch meiſter Cunrat von Megenberg von latein in teüſch Traßferirt vñ geſchriebē hat vnd iſt gar eyn nützliche kurzweylige materi, darinnē eyn yeglicher menſch vil ſelczſamer ſachen vnterrichtet mag werde. Zu dē erſtē vō d' natur des menſchen. In eadem pagina incipit primum capitulum de hominis natura. Capitulo cuivis præfixa eſt figura

ligno inciſa, & in noſtro quidem exemplari coloribus illuſtrata, capituli argumento conveniens. Typi ſunt germanici craſſi admodum & oblongi. Litteras initiales majores ligno inciſas typographus adjiciendas curavit. Deſunt vero cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. In fine capituli duodecimi hæc leguntur impreſſa colore nigro, ut ipſe textus operis: **Hie endet ſich das pûch der Natur. Das hat getruckt vñ vollbracht hanns Bämler zu Augſpurg an montag vor aller heyligen tag Anno etc. in den** *LXXV*. **jar. Deo gracias.**

## XIV. Regimen Sanitatis. Theodiſce. Von Ordnung der Geſundheit. Augsburg gedruckt vom Bämler. 1475. in Fol.

Typi, & cetera, quæ ad externam libri formam ſpectant, ſunt eadem omnino, cum opere proxime præcedenti. Initio occurrit regiſtrum, quod primi folii utramque implet paginam. Opus iſtud in 4 partes, ſeu libros diviſum eſt. In 1ma parte agitur de quatuor anni tempeſtatibus, menſibus ſingulis, nec non de 4 temperamentis. In 2da regulæ præſcribuntur in uſu ciborum, potus, & ſomni obſervandæ: agitur quoque de venæ ſectione. In parte 3tia, quid graſſante peſte in uſu cibi & potus, nec non venæ ſectione ſit obſervandum, docetur. In 4ta demum parte tractatur de ſignis hominis ſani & morbidi. Ad calcem operis ſequens legitur notitia: **das nützliche bûch von Ordnung der Geſundheit hat getruckt vñ volendet Hañs Bämler zû Augſpurg, an montage Nach Sant Martins des heyligen Biſchoffs tag Nach gots geburt duſent vierhundt' und inn dem fünff und ſybenczigſten jare. etc.**

## XV. Joannis de Imola in Clementinas commentarii. Per Jacobum de Rubeis impreſſi venetiis anno 1475. in Fol.

Præſens opus charactere gothico minori in duabus columnis impreſſum eſt, papyro, quæ tum firmitate, tum albedine & nitore præſtans eſt. Chartarii ſigna oppido varia obſervavi. Sed ceteris omnibus ſimul ſumptis multo frequentius occurrunt duæ ſagittæ, quæ ſe invicem ſecant medias. Litteras parvas initiales typographus ipſe adjecit. Signaturæ vero, cuſtodes, paginarum numeri deſunt. In fine operis hæc habes impreſſa eodem quo cetera, Charactere: *clariſſimi ac utriuſq3 juriſ interpretis famoſiſſimi Johannis de Imola opus preclaru3 i clemētinas, uenetiis impreſſū, ſummo artificio: ac induſtria ingenioſiſſimi uiri Jacobi de Rubeis natione gallici. Anno domini. M. ccccLxxv. Inclyto Uenetiarum Duce Petro mocenigo.*

*Deo gracias. Amen.*

## XVI. Deciſiones Rotæ Roman. cum Novæ. Tūm antiquæ. Impreſſ. Romæ per Georgium Laur de Herbipoli. 1475 in Fol.

In fronte operis leguntur Rubricæ Deciſionum Novarum foliis novem comprehenſæ. In averſa noni folii pagina præſentis collectionis auctor Guilielmus Horboch Alemannus, Decretorum Doctor, & Auditor Rotæ ſe ipſum manifeſtat. Tum ſequuntur ipſæ deciſiones novæ charactere rotundo perceleganti in duabus columnis firmiſſimæ quidem, albæ tamen, & nitidæ papyro impreſſæ. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & littera initialis *I* vocis *Item*, quæ in fronte ſingularum deciſionum legitur. In fine novarum deciſionum hæc habes impreſſa: *Praeſens deciſionū rote nouarum opus clariſſimū impreſſuȝ Rome per venerabilē uirū mgrm̄ Georgium Laur. de Herbipoli. Anno Jubilei. M. CCCCLXXV. die vero lune XXI. menſis Auguſti. Pont. S. in Xp̄o patris & dn̄i nrī dn̄i Sixti diuina ꝓuidentia pape quarti. anno ejus quarto finit feliciter.* In prima ſequentis folii pagina prima cujusvis plagulæ verba notantur, quæ Bibliopegum in ordinandis plagularum faſciculis dirigerent. Averſa hujus folii pagina eſt vacua. In ſequenti demum folio *Incipiunt Deciſiones* hæc ſunt capitalibus litteris in fronte primæ columnæ impreſſa) *Siue Concluſiones Antique Dominorum De Rota.* Exterior forma eadem eſt ac deciſionum novarum, niſi quod Deciſiones antiquæ incipiant voce *Nota*, *loco Item.* In fine harum deciſionum hæc leguntur impreſſa: *Deciſiones ſiue concluſiones Antique R. P. & Dominorum ſacri palacii apoſtolici Auditorum ordinate ſcd'm Rūcas decretalium & cum ſummariis ſuis impreſſe Rome per honorabilem virum Magiſtrū Georgium Laur de Herbipoli. Anno Jubilei Milleſimo. cccc. LXXV. die vero lune XXIII. Menſis Octobris. Pontificatus. S. in Chriſto patris & domī noſtri dnī Sixti diuina providentia pape quarti Anno ejus quinto finiunt feliciter.* In eadem columna legitur Regiſtrum primarum cujusvis plagulæ vocum. In averſa autem pagina *ſequuntur ſummaria deciſionum Antiquarum Rotæ*, quæ quidem præter hanc paginam etiam ſequentia ſeptem implent folia. Ceterum hæc prima eſſe videtur deciſionum Rotæ editio, quam cl. de Bure abs dubio ignoravit, utpote qui (*Bibliographie Inſtructiue. Jurisprudence* n. 933.) ſolam citat editionem Moguntinam an. 1477. quæ & ipſa in noſtra exſtat Bibliotheca.

## XVII. Johannis Andreæ Quæſtiones Mercuriales de Regulis juris in ſexto Decretalium. Anno 1475. in Fol. ſine nota loci & typographi.

Mercuriales adpellantur hæ quæſtiones, quod die mercurii easdem auctor ſæculo XIV. in diverſis Italiæ academiis, diutiſſime vero in Bononienſi, Canonum Profeſſor celeberrimus Pater juris Canonici, & omnium juris canonici interpretum facile Princeps habitus publice conſueverit explanare. Ceterum opus iſtud in duabus columnis Cartæ firmæ quidem, ſed minus albæ



ac

ac nitidæ eſt impreſſum. Chartarii ſignum aliud non obſervavi, quam coronam. Litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri omnino deſunt. Editionem hac antiquiorem a nemine excitatam memini. In ſecunda primæ ultimi folii paginæ columna hæc tantum leguntur: *Expliciũt Mercuriales queſtiones ſuper regulis iuri⁹ Johannis andree utriuſq3 iuris. doctoris famoſiſſimi Anno ſaluti⁹ ꝯ. CCCCLXXV. &c.* In averſa poſtremi hujus folii pagina præſentis operis commendatio, ab Hieronymo de Caſtellanis, J. U. Doctore, adornata legitur, lineis comprehenſa viginti quatuor. Ex eadem diſcimus Hieronymum iſtum correctionem hujus operis in hac editione in ſe ſuſcepiſſe.

## XVIII. Juſtiniani Imp. Codicis repetitæ Prælectionis Libri IX cum gloſſa. Norimbergæ impreſſi per Andream Friſner, & Joannem Senſenſchmid. ann. 1475. in Folio Magno.

Initio ſtatim occurrit index alphabeticus materiarum, lectori librum, & titulum rubro charactere minori demonſtrans. Poſt hunc indicem ad calcem averſæ tertii folii paginæ exſtat Epiſtola Andreæ Rumel, Norimbergenſis, J. U. Doctoris ad Johannem Senſenſchmid typographum, a quo rogatus ille operis correctionem in ſe ſuſcepit, hancque etiam epiſtolam in ipſius commendationem curavit præfigendam. Porro Rumelius modeſte admodum de ſuo loquitur labore. Confidenter tamen ad alios provocat codices, lectoremque rogat, ut non niſi facta aliorum codicum collatione de hac editione ſententiam ferant. Se quidem nulli labori, typographum nullis ſumptibus peperciſſe, ut opus præſens quam emendatiſſime prodiret in publicum. Folio quarto ipſe incipit textus, ſeu conſtitutio prævia Imperatoris ad Senatum de novo codice faciendo. Textus in duabus columnis charactere gothico majori, pinguiori eo quidem & eleganti impreſſus eſt. Gloſſæ, charactere minori impreſſæ, externos quatuor margines occupant. Tituli librorum & conſtitutionum ſunt rubro colore & charactere eodem, quo textus ipſe, impreſſi. Singulis quoque libris præfixa eſt figura ligno inciſa, argumento illorum reſpondens. Initiales vero librorum litteræ, quemadmodum etiam cuſtodes, ſignaturæ, & paginarum numeri deſunt. Libri cujusvis numerus in ſuperiori margine breviter adnotatus eſt; e. g. LVI, ita, ut littera L in paginæ ſiniſtræ, numerus vero, e. g. VI. in dextræ paginæ ſuperiori margine collocentur. Ad calcem operis rubro colore hæc leguntur impreſſa: *Codicis domini Juſtiniani ꝑncipis ſãctiſſimi repetite prelectioĩs nonus explicit feliciter.*

*Deo gratias.*

*Anno domini Milleſimo quadringẽteſimo ſeptuageſimo quinto die viceſimo q̃rto Junij. Sub imperio diui frederici principis invictiſſimi anno imperii eius viceſimo quarto Inſculptũ ẽ h⁹ opus ĩ Nuremberga oppido germanie celebratiſſimo juſſu Andree friſner Bunſidelenſis & Joannis ſenſẽſchmid ciuis Nurembergẽſis.* His ſubjecta ſunt

ſunt typographorum inſignia rubro pariter colore expreſſa. Eodem anno hoc opus Moguntiæ excudit Petrus Schoyffer VII kal. Februarii. Meminit hujus editionis Hambergerus. zuverläßige Nachrichten ꝛc. Thl. 2. pag. 376. De noſtra vero editione ſilet.

## XIX. Baldi de Ubaldis de Peruſio commentarius de uſu feudorum — item de Pace Conſtantiæ. Parmæ 1475. per Stephanum Corallum. in Fol. max.

Præſens celeberrimi ſæculo XIV. Juris conſulti opus chartæ magnæ, ac firmiſſimæ, nitidæ tamen, in duabus columnis charactere gothico eſt impreſſum, & ampliſſimos habet margines. Præmiſſus eſt index materiarum eo ordine concinnatus, quo ſe invicem conſequuntur. Atque hic quidem index novem foliis abſolvitur. Folio decimo tandem *clariſſimi ac famoſiſſimi utriqꝫ iuris illuminatoris doini Baldi de puſio ſuper uſibus feudorum commentum Incipit feliciter.* Commentum iſtud finitur folio 150, averſæ paginæ columna prima, linea 29. In eadem adhuc columna incipit commentum de pace conſtantiæ. Litteras initiales ſectionum majorum, quæ rubricæ vocantur, typographus ipſe, ſed parvas, adjecit. Cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. In fine operis hæc ſeguntur impreſſa: *Explicit Baldus d'ugubaldis de Peruſio ſuper uſibus feudorū: & pace cōſtantie, juris utriuſque illuminator excellentiſſim⁹: & adeo emendatiſſiūs: ut ſi ɔferatur cum his qui Romeꝫ īpreſſi ſūt procul dubio illi non baldi: ſed cujuſdā inepti gloſator! uidebitur propter corruptiouem* (ſic) *Tex. & additionum quingentis in locis ſuis defectionem.* Interjecto duarum, triumve linearum ſpatio hæc ſequuntur: *Impreſſum Parme per Stephanum Corallum de Lugduno. Regnante inuictiſſimo Mediolani duce Galeaceo Maria quinto anno domini milleſimo quadragenteſimo* (ſic) *ſeptuageſimo q̄to.* Idem Corallus jam anno 1473. Baldi opera juridica edidit.

## XX. Lectura Bartoli ſuper ſecunda parte Infortiati: Venetiis per Joh. de Colonia 1475. Fol.

Iſtud opus in duabus columnis chartæ nitidiſſimæ ſimul, ac firmiſſimæ charactere rotundo pereleganti impreſſum eſt. Litteras initiales parvas, & ſignaturas typographus ipſe adjecit. Cuſtodes vero, & paginarum nūmeri deſunt. Chartarii ſigna oppido varia obſervavi, e. g. libram, ancoram, (utramque circulo incluſam) forficem, columnam, cui impoſita eſt corona, pluraque alia. Plagularum faſciculi univerſim ſunt 32, ſcilicet a — y & aa — kk. omnes ſunt quinterni, exceptis g. h. m. q. t. dd. gg. qui quaterni, & ii. kk. qui ſexterni ſunt. Conſtat igitur totum volumen foliis 310. Sed duo folia: primum ſcilicet faſciculi *a*, & ultimum faſciculi *kk.* ſunt vacua: folio undecimo faſciculi kk, pagina prima, columna ſecunda, linea 35 opus terminatur.

*Hiſtorias qcunq3 ſuo cum tempore quæris:*
*Hoc tibi non amplo codice lector habes*
*Condidit Euſebius tecumq3 Hieronyme Proſper*
*Matthæi pars eſt ultima Palmerij.*
*Omnibus ut pateant: tabulis impſſit ahenis*
*Utile Lavania gente Philippus opus.*
*Hactenus hoc toto rarum fuit orbe volumen:*
*Q vix qui ferret toedia, ſcriptor erat.*
*Nunc ope Lavaniæ numeroſa volumina noſtri*
*Aere perexiguo qualibet urbe legit.*

Typis impreſſum eſt opus iſtud rotundis perelegantibus, & papyro firmiſſimæ ac nitidiſſimæ ſine litteris initialibus, ſignaturis, cuſtodibus, paginarum numeris. Poſt annum 328 hæc adnotantur, *Hucuſq3 hiſtoriā ſcribit Euſebius pamphili martiris cōtubernalis: cui nos* (ſunt hæc interpretis, ejusdemque continuatoris Hieronymi) *iſta ſubiecimus.* Porro hæ additiones ſeu continuationes quinque implent folia & paginam unam. Ad calcem legitur: *Beati Hieronymi iter ptatio in Euſebium de temporibus finit.*

*Proſper cetera deinceps adiicere curauit.* Proſperi continuationes ſex implent folia, non tamen integra. Nam circa finem averſæ ſexti folii paginæ hæc inſuper leguntur: *Quæ ſequuntur ex Mathæi palmerij florētini viri qdē diligentiſſimi libro de tpribus adverbum tranſumpta ſunt cujus ſane libri antecedentia eo cōſilio ſcribenda eſſe non putavi: q fere oia ex hoꝝ libroꝝ ſup ioib⁹ ſint excerpta Ne vero plurima ad legentis toediū geminentur: illa conſultō ſubticui. Hæc quæ nō i merito poterant a lectore deſyderari: opere pcium fore ratus ſum: ſi ad continuandā in præſentem uſq3 diem hiſtoriam apponerentur.* Opus clauditur ſine ulla ſubſcriptione ad ann. 1448. Poſtremum vero, quod memoria dignum Palmerio viſum eſt, his verbis enunciatur. *Mediolanenſes Laudem* (Laudum vel Lodi, civitatem in ducatu mediolanenſi ſitam) *receperunt.*

## XXIV. Pauli Caſtrenſis Conſilia juridica a Bartholomæo Cepolla in Academia Patavina Juris civilis Profeſſore ordinario collecta & redacta in ordinem. Impreſſa, ut videtur, Paduæ anno 1475. in Fol. ſine nota typographi.

Præmiſſa ſunt alphabetico ordine in duabus columnis vocabula materias hoc in opere pertractatas lectori quodammodo ſignificantia. In averſa ſecundi folii pagina incipit index materiarum ſecundum eorumdem vocabulorum ordinem concinnatus, qui terminatur folii 24 pagina averſa, columna ſecunda, linea 27. Folio 25. ipſa incipiunt conſilia in duabus columnis charactere gothico impreſſa. Papyrus eſt firmiſſima, inſtar pergameni, & eadem nitidiſſima, & vel hodie adhuc, miræ albedinis. Margines ſunt ampliſſimi.

Ut

Ut adeo exterior forma hujus editionis jucundiſſimum oculis ſpectaculum exhibeat. Accedit quod primæ vocum, quæ ſenſum, aut periodum inchoant, litteræ, plerumque ſint florentes, eæque nitidiſſimæ. Ipſæ deciſiones dubiorum omnes incipiunt verbis: *In Xp̄i nomine Amen:* ubi quidem littera initialis *I* deeſt. Deſunt etiam ubique cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. In fine operis legitur epilogus non nihil fuſior vel typographi, vel correctoris, ex quo diſcimus, Bartholomæum Cepollam dilapſa undique Pauli Caſtrenſis conſilia primum collegiſſe, & *collecta omnibus eius profeſſionis accom̄odata in poſterum patere ſtuduiſſe.* Porro hic epilogus ſubſcriptionem, verbis modo ex eodem recitatis immediate ſubjectam, habet ſequentem: *actum padue XII. kl'. aprilis m. cccc. Lxxv. octaua inditione.* Atque ex his quidem colligo Paduæ, & quidem anno 1475 impreſſa eſſe hæc conſilia.

## XXV. Bernhardi. Juris conſulti, caſus longi ſuper quinque libros Decretalium, Pariſiis per Petrum Cæſaris, & Johannem Stoll impreſſi anno 1475. in Fol. min.

Quos auctor caſus longos adpellat, ſunt legum declarationes uberiores plerumque ex occaſione legum deſumptæ. Hisce caſibus adnexuit breves notas vel regulas potius, ex ipſis legibus manantes, aut in iisdem expreſſas. Impreſſum eſt iſtud non parvæ molis opus in duabus columnis charactere rotundo pereleganti, chartæ admodum nitidæ. Litteras initiales parvas ipſi typographi adjecerunt. Signaturæ vero, Cuſtodes & paginarum numeri, titulique deſunt. Signa interpunctionum ſunt punctum, comma, & ſemicolon hujus formæ (!). In fine majorum ſectionum moderno ſemicolo eſt ſimile. In fronte primæ columnæ primæ paginæ impreſſæ hæc leguntur verba iisdem, quibus ipſe textus litteris impreſſa: *Caſus longi ſup̄ q̄uinq3 libros decretalium a domīo bernardo earumdē precipuo gloſatore utiliter compilati.* In fine vero ſequentem typographi adjecerunt notitiam: *Finiūt caſus longi dn̄i Bernardi quinq3 librorum decretalium! bene & accuratiſſime caſtigati. Anno domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto: die vero tredecima menſis Junii; Pariſius per margſtrū* (ſic) *Petrum ceſaris & Johānē ſtoll. Impreſſi. Deo gratias.* Orlandi de hac editione ſilet. Nec apud alios, qui mihi quidem præ manibus ſunt, Bibliographos quidquam de ea memini adnotatum.

## XXVI. Pauli a S. Maria, Epiſcopi Burgenſis, Scrutinium Scripturarum. Accedit epiſtola Rabbini Samuelis Judæi Marocani ad Rabb. Iſaacum Synagogæ magiſtrum in eodem Regno ex Arabico in Latinum verſa ab Alfonſo Hiſpano Ord. Prædicatorum. Mantuæ per Johannem Schallum ann. 1475. Impreſſ. in Fol.

Paulus judaicis ortus parentibus Salomonis Levi nomen obtinuit. Circa annum Chriſti 1390 cum uxore & tribus filiis ad Chriſtianam fidem conuerſus,

Paulus de Sancta Maria appellatus eſt. Fuit primo quidem Carthaginenſis, tum vero Burgenſis Epiſcopus, & Regis Caſtellæ, ac Legionis Archicancellarius. A non nullis ſub nomine Paulus de Carthagena, a pleriſque vero Paulus Burgenſis denominari conſuevit. Diem obiiſſe ſupremum fertur anno 1435. Præter complura opera alia edidit Additiones Notabiles ad poſtilla Nicolai de Lyra, quibus auctorem iſtum ſæpius erraſſe conatur evincere, & plura Talmudiſtarum figmenta ſolide refutavit. Scrutinium ſcripturarum in duas partes diviſum eſt. Pars utraque dialogi in morem eſt ſcripta. In prima parte Interlocutores ſunt Saulus Judæus, & Paulus Apoſtolus de Religione chriſtiana, atque judaica, illiusque præcipuis miſteriis, & doctrinæ capitibus ſecundum ſcripturæ ſacræ potiſſimum auctoritatem differentes. In ſecunda parte amice colloquuntur Magiſter & Diſcipulus, uterque Chriſtianus. Hic difficultates proponit varias de præcipuis quibusdam chriſtianæ doctrinæ articulis, earumque ſolutionem a Magiſtro expoſcit. Quod externam attinet hujus operis, & præſentis editionis formam: in fronte primæ paginæ hæc legitur de auctore, & præſenti opere notitia: *Incipit Dialogus qui vocatur Scrutiniuȝ* (hæc majuſculis ſunt litteris impreſſa, non item ſequentia) *ſcripturaꝝ cōpoſitus per reverendū patrē. Dominū Paulū de ſctā. Maria. Magiſtrū in Theologia. Epiſcopū Burgenſē Archicancellariuȝ ſereniſſimi Principis domini Johannis regis Caſtelle & Legionis. Quem compoſuit poſt additiones per eum compoſitas ad poſtillaȝ Nicolai de Lira. Anno domini M. CCCC. XXXIV. Anno vero ætatis ſue LXXXI.* His ſine ullo titulo ſubnexa eſt auctoris Præfatio, quæ terminatur in averſa ſecundi folii pagina, linea 28. Tum præmiſſa primæ diſtinctionis (hoc nomine ſectiones libri majores adpellat auctor) in capita diviſione ipſorumque capitum brevibus argumentis ipſum demum opus ſeu Dialogus incipit. Porro Dialogus Pauli cum Saulo plagularum faſciculis ſeptendecim comprehenditur. Omnes ſunt ſignati præter primum, qui caret ſignatura. Signati ſunt autem litteris b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n. o. p. q. r. ſuntque omnes quaterni, præter primum, item c. e. g. i. l. n. qui ſunt quinterni. In averſa pagina ſeptimi folii quaternionis ultimi circa finem ſequens legitur ſubſcriptio: *Prima pars Scrutinii ſcripturarum. ſiue capiſtri Judeoꝝ finit. Sequitur ſecunda & ultima* Octavum folium quaternionis ejusdem eſt vacuum. Pars ſecunda undecim faſciculis comprehenſa eſt, ſignatis A — L. Quinterni ſunt A. C. E. G. I. L. ceteri quaterni. In prima pagina folii noni quinternionis L paulo ante medium paginæ hi leguntur verſus:

*Eterne laudes ſint regi. luce ſuperna*
*Qui dedit hoc cunctis. quod reſeratur opus.*
*Hoc iudeorum pandens enigmata & artes*
*Mentis aberrantum diluit omne malum.*
*Tempore quo gaudet lodovico principe Mantua*
*Facta uigent cujus ſplendida per latium.*
*Hoc opus impreſſit rerum ſcrutinia Schallus*
*Joannes doctor artis Apolline.*

Interjecto exiguo ſpatio annus impreſſionis indicatur his verbis: *Anno*

*Anno domini Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto.*

Quod ſupereſt hujus folii ſpatium, eſt vacuum, quemadmodum etiam folium quinternionis L ultimum. Accedunt duo faſciculi, ſignati M & N, quinterni, quibus continetur *Tractatulus multum utilis ad côuincendum iudeos de errore ſuo. quem habent de meſſia adhuc uenturo & obſeruantiâ legis moſaice.* Hæc verba, quæ impreſſa leguntur in fronte primæ paginæ quinternionis M, immediate excipit *Epiſtola prohemialis*, ſeu dedicatoria interpretis, ejus ſcilicet, qui tractatulum hunc, ſeu epiſtolam ex arabico ſermone in latinum tranſtulit: ad Hugonem Magiſtrum ordinis Prædicatorum, & ſacræ paginæ profeſſorem; quæ terminatur in averſa pagina, linea 3. tum immediate.

*Incipiunt capitula.*

Hoc vero eſt, brevia capitulorum ſingulorum argumenta. Auctor epiſtolæ ita loquitur, ut de judaicæ Religionis ſuperſtitione jam vere convictus videatur, licet dubitantis perſonam fingat. Ad calcem epiſtolæ circa finem averſæ paginæ folii noni quinternionis N hæc leguntur impreſſa: *Explicit Epiſtola Rabbi Samuelis quam ſcripſit ad Rabbi Yſaac magiſtrū ſinagogē.* In prima pagina folii ultimi primum quidem narratur, Epiſtolam iſtam, utpote jam circa annum poſt Chriſti nativitatem milleſimum ſcriptam ſtudioſe a Judæis fuiſſe occultatam, quod in ea ipſorum errores refutarentur. Translatam vero eandem fuiſſe anno 1239. Videtur hæc nota ipſius eſſe typographi utpote qui in eodem contextu pergit in hæc verba: *Cum diligenti emenda per me Johannem Schallus* (ſic) *artium doctorē Mantue impreſſus. ſub annis prefati domi noſtri Jeſu Xpi. M. CCCC. LXXV. regnante ibidem feliciſſime Illuſtriſſimo dñō Dño Lodouico de Gonzaga Marchione Secundo.* De hoc typographo nihil habet P. Orlandi in *Origine, e Progreſſi della ſtampa.* Idem vero pag. 149 inter editiones librorum Mantuanas, typographi nomen non habentes adjectum excitat *Pauli de S. Maria Burgenſis Epiſcopi Scrutinium Scripturarum. fol. Lib. 2. ann.* 1474. Pagina vero 150 hæc habet: *Alphonſus Bonus Homo ord. Præd. Epiſtolas Rabbi Samuelis ad R. Iſaac de Meſſia de Arabico in Latinum tranſtulit. fol.* 1475. Vix dubito, quin his quidem verbis epiſtolam paulo ante a me deſcriptam indicare voluerit. Editio Scrutinii Mantuana ſine nota typographi ſecundum Orlandum, & ab eodem ad annum 1474 relata, pariter non videtur differre a noſtra. Cujus forte notitiam non ſatis accuratam Orlandi ex impuro fonte hauſit. Freytag in *Apparat. Litterar. Tom. II. pag.* 740. de editionibus differens Scrutinii ſcripturarum adfirmat: *Inter illas* (editiones nimirum) *principem facile obtinet locum, quæ Mantuæ* 1475 *in fol. & Coloniæ* (ſcribendum fuerat Moguntiæ) 1478 *in fol. edita fuit.* Impreſſa eſt autem noſtra editio charactere gothico juſtæ magnitudinis, non nihil denſiore, papyro omni ex parte nitidiſſimæ, & tamen firmiſſimœ. Deſunt litteræ initiales, cuſtodes, paginarum numeri, & inſcriptiones. Interpunctionis ſignum unicum occurrit, nempe punctum.

XXVII. Opuſcula plura S. Hieronymum concernentia. 1) Flores ex operibus S. Hieronymi ab anonymo excerpti. 2) Teſtamentum S. Hieronymi, ſeu monita ab eodem morituro adſtantibus diſcipulis data. 3) Euſebii, Cyrilli, & Auguſtini Epiſtolæ, ſcriptaque alia de obitu, miraculis, & laudibus S. Hieronymi. Mediolan. per Philippum de Lavagnia ann. 1475. in 4to.

Hæc opuſcula charaƈtere romano pereleganti impreſſa ſunt. Charta quoque & firma eſt, & admodum nitida. Præter roſam, quæ paſſim occurrit, ſemel tantum uvam obſervavi, chartharii ſignum. Litteras initiales parvas ipſe typographus adjecit. Cuſtodes vero, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Ad calcem florum S. Hieronymi in averſa pagina folii 74 hæc legitur ſubſcriptio: *Explicit doƈtrina beati Hieronymi ex ſuis operibus egregie dineruata & cetera.*

*Gratia Dei. Deo gracias Amen.*

In prima pagina ſequentis folii *Incipiunt Rubrice Teſtamēti beati Hieronimi.* Terminatur hoc teſtamentum cum adnexa brevi relatione de obitu S. Hieronymi in averſa pagina folii 110, linea 14. tum ſequitur *Quomodo fuit revelatus tranſitus ſanƈti Hyeronimi ſanƈto Cyrillo.* Huic narrationi adnexa eſt narratio plurium miraculorum. Poſt hanc in fronte folii 118: *Incipit epiſtola ſcī Auguſtini ēpi doƈtoris eximii ad Cyrillū yeroſolimitanū epiſcopū de laudib⁹ beati Hyeronimi doƈtoris eximii.* Huic adnexa eſt epiſtola Cyrilli Ieroſolymitani ad Auguſtinum cum plurimorum miraculorum narratione. In fine omnium iſtorum opuſculorum, folii 173 pagina prima ſequens legitur ſubſcriptio:

*Benedicamus Domino. Deo Gratias.*

*Impſſum ꝑ Magiſtrū Philippum de lauagnia i. cccc. Lxxv. die xxviii. nouēbr. Amen.* Accedunt duo folia ſeparata, quæ indicem compleƈtuntur Quaternionum hujus voluminis.

XXVIII Johaninna, h. e. Andreæ Siculi, alias Barbatia, Leƈtura ſuper Cap. Raynaldus de Teſtamentis. Bononiæ ann 1475. in Fol.

Leƈturæ huic nomen *Johannina* auƈtor impoſuit a nomine filiæ ſuæ primogenitæ, exemplum ſecutus celeberrimi Juris conſulti Johannis Andreæ, qui compillationem decretalium novellam ex nomine filiæ ſuæ Novellæ adpellavit. Sic ipſe in principio hujus operis, quod charaƈtere rotundo in duabus columnis chartæ magnæ & præſtantiſſimæ impreſſum eſt. Caret cuſtodibus, ſignaturis, numeris paginarum, earundemque inſcriptionibus. Conſtat volumen integrum foliis impreſſis 99. Folio ultimo leguntur carmina in lau-

laudem operis & auctoris. Recitabo quinque poſtrema, ex quibus annum impreſſionis diſcimus:

*Mos eſt iuriſtis muſarũ ferre pharetram.*
*Exculto & nitido non poſſunt ludere verſu*
*Centenis q̃ter milleq3 labentibus annis*
*Quindenis luſtris Xp̃i ſunt ſecula noſtra.*
*Plaudite conſiculi ſiculo iam plaudito* (ſic) *ur̃o.*

His ſubjuncta notitia eſt:

*Explicit Johãniña cõpoſita ꝑ andream ſiculũ iuris utriuſq3 doctorẽ famoſiſſimũ ſupꝑ c. Raynaldꝰ de teſta. Bononie imp̃ſſa Bononia docet.*

## ANNO 1476.

### I. Dinus de Regulis Juris. Impreſſ. Romæ ann. 1476. apud S. Marcum in Fol.

Opus iſtud in duabus columnis charactere rotundo impreſſum eſt, quod quidem de regularum expoſitione eſt intelligendum. Nam regulæ ipſæ charactere gothico majori ſunt impreſſæ. Litteras initiales plerumque typographus ipſe adjecit. Signaturæ vero, cuſtodes, paginarum numeri deſunt. In fine hæc habes impreſſa: *Finis regularum iuris Eximii doctoris Dyni impreſſarum rome aput* (ſic) *ſanctum Marcum ãno a nativitate domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto. die vero Jovis viceſima octava menſis novembris ſedente Sixto Quarto Pon. Max. pontificatus ejus anno ſexto.* His ſubjecti ſunt ſequentes verſus:

*Que quondam antiquis late diſiecta libellis*
*Et procul in variis jura fuere locis.*
*Cernite nunc melius tituto collecta ſub uno*
*Conveniunt: pulchro eſt ordine facta via.*
*Et veteru3 ambages quoniã diſcutere longũẽ.*
*Clauſum eſt anguſto jus generale loco.*
*Qui mõ cunq3 velis canonũ cõphẽdere normas*
*Hec tibique dynus ꝓlege ſcripta dedit.*

### II. *Franciſci Philelfi Satyrarum Hecatoſtichon Prima Decas.* Hæc capitalibus impreſſa litteris in fronte primæ paginæ leguntur. Mediolani 1476. per Chriſtophorum Valdarpher in Fol. min.

Complectitur iſtud opus Satyrarum Decades decem, ſeu univerſim Satyras centum, quarum quælibet centum Hexametris abſolvitur. Litteræ ſunt Ro-

Romanæ rotundæ, eæque nitidiſſimæ. Initialem litteram cujusvis Satyræ, parvam tamen, typographus ipſe adjecit: litteræ vero initiales ſingulorum verſuum ceterorum ſunt capitales. Signaturæ, cuſtodes, paginarum numeri deſunt. Ceterum nitidiſſima merito dici poteſt hæc editio. Eandem eſſe primam & originalem, a curioſis avide deſideratam, & rariſſimam adfirmat cl. de Bure *Bibliographie Inſtructiv. Bell. Lettr. n.* 2872. In fine capitalibus litteris hæc leguntur impreſſa: *Franciſcus Philelfus Huic Satyrarum Operi Extremam Manum Mediolani Impoſuit. Die Martis Kal. Decembribus Año A Natali Chriſtiano. M. CCCCXLVIIII.* Poſtremi denique folii impreſſi prima pagina ſeptem continet diſtica Calliphili Bernardini Robiatini in Franciſci Philelfi Poetæ præceptoris ſui ſatyras, & hanc ſubſcriptionem: *Impreſſæ Mediolani Galeacio Maria Sfortia invictiſſimo duce Quinto Florente: per Chriſtophorum Valdarpher Ratiſponenſem hujus eximiæ artis imprimendi conſummatiſſimum Magiſtrum: Anno a natali Chriſtiano Milleſimo Quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto: Idibus Nouembris:* In averſa ejusdem folii pagina legitur regiſtrum hujus operis, ut quidem typographo placuit adpellare. Eſt autem nihil aliud, quam indiculus primarum cujusvis plagulæ vocum, Bibliopegam in diſponendis plagularum faſciculis dirigens.

## III. Nonnii Marcelli compendioſa doctrina de Proprietate ſermonum. Venetiis per Nicol. Jenſon. ann. 1476. in Fol. min.

Primum iſtud opus prodiit anno 1471. ſine nota loci, & typographi. Vid. de Bure n. 2264. Idem (n. 2265.) noſtram editionem adfirmat eſſe ſecundam, raram admodum. Quod externam ejus formam attinet dici ea poteſt nitidiſſima, ſeu characterum, qui rotundi ſunt elegantiam, ſeu chartæ ſpectes munditiam. In fronte operis tabula exſtat alphabetica vocum omnium, quarum proprius ſignificatus hoc in opere explicatur. Atque hæc quidem tabula in duabus columnis impreſſa novendecim folia implet. Tum folium ſequitur vacuum. Tandem *Nonii Marcelli Peripatetici Tiburticenſis Compendioſa Doctrina Ad filium De proprietate Sermonum* (Hæc capitalibus litteris impreſſa ſunt in fronte paginæ) incipit. Litteræ initiales parvæ hinc inde adparent. Plerumque vero eas, ſi tamen adfuerunt, noſtri exemplaris rubricator colore obtexit, dum litteras initiales magnas parvarum loco adpingeret. Cuſtodes, & paginarum numeri deſunt. Plagularum faſciculi ſunt 23, iique ſignati litteris a — z. omnes ſunt quaterni, exceptis a, b, c, qui quinterni ſunt, & z, qui eſt ſexternus. Habet igitur volumen integrum folia 114. Sed primum quinternionis a, & primum quinternionis c folia vacua ſunt. In prima folii ultimi pagina ſequentia leguntur capitalibus impreſſa litteris *Nonij Marcelli Peripatetici Tiburticenſis compendioſa Doctrina Ad filium De Proprietate Sermonum Impreſſa Venetiis Induſtria, Atque Impendio Nicolai Jenſon Gallici. M. CCCC. LXXVI.* Auctor hujus operis ſub Conſtantio Imperatore circa medium

dium quarti ſæculi floruit. Propriam vocum ſignificationem ex veterum ſcriptorum latinorum, quos ubivis ſumma diligentia, & fide excitavit, auctoritate, & ſententiis determinavit. Dici ſane ſummæ eruditionis opus iſtud poteſt. Uſum quoque in inveſtigando vocum ſignificatu inſignem habet, habiturum etiam majorem, ſi meliori ordine digeſta eſſent vocabula.

## IV. Biblia Latina Vulg Edit. Venetiis per Nicol. Jenſon ann. 1476. in Fol. min.

Præmiſſa eſt S. Hieronymi ad Paulinum Epiſtola, ejusdemque Præfatio in Pentateuchum. Tandem fol. 5. incipit liber Geneſis & ſequuntur ceteri ſuo ordine libri tam Proto-quam Deutero-canonici, præterquam quod libro Nehemiæ, qui & ſecundus Eſdræ dicitur, adnexi ſint etiam libri 3tius & 4tus Eſdræ Apocryphi ſub nomine 2di & 3tii Eſdræ, & actus apoſtolorum ſint Paulinis epiſtolis poſtpoſiti. Præfationes S. Hieronymi ipſis ſunt libris præfixi. Impreſſa ſunt autem hæc Biblia in duabus columnis charactere gothico ſine litteris initialibus, paginarum numeris, cuſtodibus, capitum titulis, ſeu ſummariis. Plagularum faſciculis opus iſtud conſtat 47. Omnes ſunt quinterni, præter M & Q, ſexternos, & U ac X quaternos. Sunt igitur univerſim folia 470. Folium autem quinterni H ultimum eſt vacuum & veteris teſtamenti libros a libris N. T. dividit. Apocalypſis terminatur folio ultimo ſexternionis Q: atque hanc habet ſubſcriptionem charactere majori gothico impreſſam: *Biblia impreſſa Uenetiis opera atque impenſa Nicolai Jenſon Gallici. M. CCCC. LXXVI.* Tum ſequitur interpretatio hebraicorum nominum in Bibliis occurrentium ſecundum ordinem alphabeti, quæ terminatur in prima folii penultimi pagina. Prima pagina ultimi folii continet *Regiſtrum biblie*, hoc vero eſt, indicem primarum cujusvis plagulæ vocum. Exemplar noſtrum initio eſt mutilum. Incipit enim verbis illis Epiſtolæ S. Hieronymi ad Paulinum: *de diſcipulo:* Raram eſſe hanc editionem, & a curioſis avide quæſitam teſtatur cl. de Bure n. 32. Johannes Parvus celebris ſæc. XVI typographus Pariſienſis, exemplaria quædam hujus editionis nactus iisdem quædam addenda curavit, novam hac ratione editionem, ſeu prioris repetitionem, retenta anni 1476 nota, ſimulans. Conf. de Bure loc. cit.

## V. S. Ambroſii Ep. Mediol. Libri decem explanationum Evangelii S. Lucæ. Auguſtæ Vind. per Anton. Sorg. ann. 1476. in Fol. minori.

In averſa primi folii pagina leguntur ſequentia: *Incipit expoſitio ſeu explanatio ſancti Ambroſii epiſcopi in corpus evangelii ſancti Luce evangeliſte. Et diuidit in decem capitales libros. ſed nulli eorum ſingularis prefatio aut prologus premittitur. Q autem intitulatur de generatione ſancti Johannis Baptiſte hoc eſt*

ſim

*ſm morem antquo4: qui voluminibus ex eorum principiis nomina imponebant, ſicut & hic primus liber tantum agit de generatione ſancti iohannis, reliq vero nō & ſic pat3 ratio tituli.* In fronte folii ſecundi *Incipit liber primus ſancti Ambroſii De Johannis baptiſte generatione.* In fronte aliorum librorum nihil aliud legitur, quam e. g. *Incipit liber octavus,* præterquam in fronte ſeptimi & noni libri, ubi hi occurrunt tituli: *Incipit liber ſeptimus de lege & prophetis uſq3 ad Johannem.* & *Incipit liber Nonus. De conſeſſu filii ad dexteram patris.* Atque hæc quidem verba plerumque florentibus litteris majuſculis impreſſa ſunt, quem admodum plura alia vocabula. Adhibitæ eædem fuere plerumque initio vocum, quæ ſenſum inchoant. Litteras initiales magnas ligno inciſas typographus ipſe adjiciendas curavit. Signaturæ vero, cuſtodes, & paginarum numeri deſunt. In ſuperiori tamen margine cujusvis paginæ liber indicatur, e. g. Liber Quintus. Ad calcem libri decimi leguntur: *Magni eccleſie militantis luminaris. Ambroſii: ſup luce evangeliſte evangeliis: ſcripta: per Anthonium Sorg incolam opidi Auguſtenſis: ob nature naturantis gloriam hujusque exilii ampliorem conditionem: ſtagneis karacteribus artificialiter effigiata. Actus puriſſimi preſidio finiunt feliciſſime: dominice incarnationis. Año milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto.*

*Laus entium enti ejusq3 dulciſſime matri.*

## VI. Speculum b. Mariæ Virg. a S. Bonaventura compilatum. Impreſſum Auguſtæ per Anton. Sorg anno 1476. in Fol. min.

In fronte primæ primi folii paginæ hæc leguntur impreſſa: *Incipit ſpeculum beate Marie virginis: compilatum ab humili fratre Bonaventura.* Typi ſunt iidem, quibus alias uſus eſt Sorgius. Litteræ florentes initio vocum, quæ ſenſum inchoant, hic quoque occurrunt, quem admodum etiam initiales magnæ ligno inciſæ. Cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Opus ipſum aliud nihil eſt, quam expoſitio ſalutationis angelicæ: *Aue Maria;* quod colligitur etiam ex ſubſcriptione, quæ ad calcem opuſculi, foliis 48 conſtantis, legitur: & ejusmodi eſt: *Devotiſſimi ac preſtantiſſimi doctoris fratris Bonavēture, tractatus ſuper gaudioſa ambaſiata, per Archangelū Gabrielē, ad excellentiſſimam atq3 glorioſiſſimā virginem Mariā annunciata ſpeculum marie vocitatus: explicit feliciter. Non quidem cyrographatus ſed ꝑ fide dignum virum Anthonium ſorg concivem Auguſtenſem q3 diligenter impreſſus. Anno ſalutiſere incarnationis Xp̄i. M. CCCCLXXVI. pridie kalendis marciis.*

VII.

## VII. S. Hieronymi Epiſtolæ & tractatus varii in tres partes diviſi, & ſecundum materias diſpoſiti a Theodoro Lelio auditore Apoſtolico. Impreſſi venetiis per Antonium Bartholomæum ann. 1476. in Fol.

Tres operis iſtius partes unum juſtæ molis volumen efficiunt. Porro in prima parte tractatus & epiſtolæ continentur, quibus fides catholica roboratur, & ab hæreſum impugnatione defenditur. *In ſecunda libri Dogmatici de utriusque teſtamenti quæſtionibus vel de ſcripturarum Sanctarum expoſitionibus, exceptis tamen majoribus quos in Canonicas ſcripturas edidit, commentariis.* In tertia demum ea continentur S. Doctoris vel opuſcula, vel epiſtolæ, quæ tractant *de moribus atque virtutibus, quibus converſatio chriſtiana inſtituitur.* Hanc operis diviſionem editor iisdem verbis exhibuit, in Præfatione, quæ præmiſſa eſt tabulæ, ſeu indici Epiſtolarum, & tractatuum primæ partis. Præfatiunculam indici ſecundæ partis præfixam ſubjungam integram, quoniam ex ea primum præſentis editionis autorem diſcimus: *Incipit tabula Epiſtolarum Beati Hieronymi preſbyteri redactarum ſecundū materias per Theodorum Lelium auditorem apoſtolicum earum videlicet tantum, quæ in ſecūndo volumine continentur. Nā prima pars tabulæ alteri* (primo ſcilicet) *volumini præponitur.* Epiſtolis, & tractatibus quam plurimis argumenta præmiſit editor, & ubi dubitabat, an eſſet Hieronymi epiſtola vel tractatus, de eo monuit lectorem. Patet ex dictis hactenus, non ſine judicio, & magna cura adornatam eſſe hanc editionem. Ceterum in duabus columnis gothico charactere impreſſa eſt ſine litteris initialibus, cuſtodibus & paginarum numeris. Prima Pars plagularum faſciculos complectitur 17, ſignatos litteris A, B, C, D, E, F, G, H, I, L, M, N, O, P, Q, R, S. Ex his quinterni ſunt A, B, C, E, G, I, M, & O, reliqui omnes ſunt quaterni excepto S, qui ternus eſt. Folium primum quinterni A eſt vacuum. Index materiarum primæ partis, eidem in noſtro quidem exemplari ſubjunctus ſignatus eſt littera U, eſtque duernus, cujus ultimum folium eſt vacuum. Index ſecundæ partis ſignatus eſt littera T, & eſt pariter duernus, cujus ultima ſolum pagina eſt vacua. Præfixus eſt hic index parti ſecundæ. Pars ſecunda & tertia ſeparari non poſſunt, ut adeo iſthæc editio non niſi in duo volumina dividi commode poſſit. Plagularum faſciculis duæ hæ partes conſtant 21, ſcilicet a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n. o. p. q. r. ſ. t. u. x. ſunt autem omnes quinterni, præter, u, & x. qui quaterni ſunt, & a, qui novem tantum foliis conſtat. Quaternionis x duo poſtrema folia ſunt vacua. Folio ſexto, pagina prima, columna ſecunda, linea 5 quinternionis *t Incipit vita beatiſſimi hieronymi preſbyteri quam quidam devotus & ſuorum operum ſtudioſus ex illius & aliorum ſcriptis excerpſit feliciter.* Huic ſubjunctæ ſunt 1) Epiſtola Euſebii diſcipuli S. Hieronymi ad Damaſum portuenſem Epiſcopum & Theodonium Romanum ſenatorem de morte Hieronymi, quæ octo fere implet folia. 2) Epiſtola S. Auguſtini Hip-

pon. Ep. ad Cyrillum Hieroſolymitanum Ep. de magnificentiis B. Hieronymi. 3) Ejusdem Cyrilli ad S. Auguſtinum Epiſtola, cui ſubjuncta ſunt miracula quam plurima per interceſſionem S. Hieronymi patrata. Tandem folio ſexto paginæ averſæ columna ſecunda circa finem hæc leguntur iisdem, quibus ipſum opus, characteribus impreſſa: *Elegantiſſimas Diui Hieronymi Epiſtolas: Antonius Bartolomei Venetiis Feliciter Impſſit. M. cccc. Lxxvi. Die XXII. menſis Januarii. Finis.*

**VIII. 1) S. Gregorii Papæ Libri quatuor Dialogorum. Theodiſce. 2) Das Buch von den Peinen der abgeleibten Seelen und von den Freuden der Auserwählten. 3) Von einen Biſchof Forſee genannt ein großes Wunderzeichen. 4) Von einem im Jahr 1247 in Sicilien geſchehenen Wunderzeichen. 5) Ars moriendi Theodiſce. 6) Tractatus quatuor Noviſſimorum. Theodiſce. in Fol. min. ann. 1476, ſine nota loci & typographi.**

Initio operis in ſingulari pagina exhibetur figura ligno inciſa, quæ S. Gregorium Papam, & Petrum Diaconum ſedentes, & colloquentes repræſentat. In fronte primæ ſequentis folii paginæ tituli loco hæc leguntur: Hie facht an das bůch das der heylig vatt͛ und bapſt ſăctus Gregorius ſelbs gemacht hat. Von den heyligen die bey ſeynẽ zeyten vñ davor ſind in welſchen landen vñ vou iren wunderzeychen vnd ſind gar viel ſchöner exempel und haiſſet das bůch in latein liber dyalogorum das iſt zu teutſch ſo viel als das Buch der zweyer red mit einander. vnd volgend hir nach geſchrieben. Die Capitel des erſten buchs. Tum immediate ſequitur index capitulorum primi libri, illorum brevia ſimul argumenta exhibens. Hujusmodi indices ſunt reliquis etiam tribus libris ſingulis præfixi. In fine quarti libri hæc leguntur: Hie hat ein eñd das půch genant Dyalogus ſancti Gregorij pape. vnd das ward gedruckt da mã zalt nach Criſti gepurt. M. *cccc. lxxvi.* jar. In fronte ſequentis folii hæc leguntur impreſſa: Hie hebt ſich an das puch der ſelẽ vñ võ den freüden der erwelten, vnd iſt zu latein genant. Viſio Tundali zu teutſch die geſicht Tundali. Viſiones iſtæ foliis comprehenſæ ſunt 22. In ſequentis folii fronte: Von einẽ Biſchoff Forſee genant iſt ein gros wund͛zeychen zů merkẽ. Deſumta eſt hæc narratio ex venerab. Beda, nec niſi duo & ea quidem non integra, implet folia. Tum ſequitur: da mã zalt võ criſti gepurt tauſent zweyhundert vñd im ſieben und uierczig jar. Da geſchah in Sicilia dz nach volgent wũd͛lich zeychen vñ mã vindet es geſchriebẽ in dẽ puch dz genañt würt Speculũ mũdi, Ein ſpigel d͛ welt. Hujus miraculi narratio quatuor fo-

lis abſolvitur. Hanc excipit aliud opuſculum von der edelſten auczberlichſten kunſt dye geſein mag auch eynen yeglichen criſten menſchen wol notturfftig zů lernen, ſagt dieß nachgeſchrieben puch oder Tractat vñ das wört zu lateyn genant ars moriendi, das iſt võ der kũſt des ſterbens. Comprehenditur foliis 17. Tandem Hie hebt ſich an ein außzug genomen von dem Tractat zů latein genant. Tractatus quatuor noviſſimorum. Das ſeind die vier letſtẽ ding, von dẽ tod, von dẽ iüngſten gericht, von d' hell, vñ von dẽ ewigen freüd vñ Glory. Ad finem tractatus, qui octo folia, & noni dimidiam fere paginam implet, hæc tantum leguntur impreſſa: Expliciunt excerpta de Tractatu quatuor noviſſimorum. *Anno M.cccc.*lxxvi. iare. Omnia hæc opuſcula typis iisdem, eidemque chartæ impreſſa ſunt. Deſunt ubique cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri; Litteras vero initiales magnas, ligno inciſas, typographus ipſe adjecit. Non eſt dubium, quin ex eadem typographia prodierint omnia. Typi admodum ſimiles ſunt illis, quibus uſus eſt Bämlerus in imprimendis libris ad ann. 1472 nn. VIII. & IX, nec non ad ann. 1475 nn. XIII. & XIV. indicatis. Attamen non ſunt iidem, ſed paulo longiores & minus denſi. Cl. Zapf in Augsburgs Buchdruckergeſchichte inter libros Auguſtæ excuſos hunc quoque recenſuit ad ann. 1476. n. XIX. De typographo autem non audet ferre ſententiam.

## IX. Theodori Gazæ latina interpretatio librorum Ariſtotelis de Animalibus. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen. ann. 1476. in Fol.

Nitidiſſima hæc eſt editio ſeu characterum, qui rotundi ſunt, elegantiam, ſeu chartæ munditiem ſpectes. Eſt præterea omnium prima, & teſte cl. de Bure rariſſima. Initio legitur *Theodori Græci: Theſſalonicenſis: Præfatio: In Libros De Animalibus: Ariſtotelis: Philoſophi: Ad Xiſtum: Quartum: Maximum.* (hæc ſunt capitalibus litteris impreſſa) In hac porro præfatione, quæ folia quinque, & ſexti primam paginam implet, ſuſcepti a ſe operis conſilium rationemque exponit. Narrat cl. de Bure *Bibliographie Inſtructiv. n.* 1682. Sixtum IV. exemplar, quod ab interprete magnifice colligatum acceperat, eidem remiſiſſe, adjecto tantum colligationis pretio. Hujus rei cauſa forte fuit, quod interpres in hac præfatione quorumdam ſummorum Pontificum ſocordiam in promovendis litterarum ſtudiis nimis libere culpaverit. En verba ipſa, quibus hæc mea innittitur conjectura: *ſed uſum* (pacis) *non nullorum* (Pontificum) *auſim reprehendere: Pace enim qua uti debuerant ad literarum & artium bonarum ſtudia: & virtutum officia: illi quidem ad voluptates parum honeſtas abuſi ſunt. quod cum omni hominum ordini ſit turpe: tum põtificis perſone turpiſſimum eſt. Fueruut tamen & qui recte pace uterẽtur &c.* Ceterum omnino fatendum eſt, non ſine magna diligentia & judicio hanc factam eſſe interpretationem qua de re fuſius agit interpres in Præfatione. Complectitur au-


tem

tem hæc editio univerſim octodecim libros, quos Ariſtoteles de animalibus conſcripſit, nimirum 1) Libros novem de Hiſtoria animalium. 2) Quatuor libros de partibus animalium & 3) libros quinque de animalium generatione. Cuſtodes, & paginarum numeri deſunt. Signaturas vero, & litteras initiales parvas typographi adjiciendas curarunt. Plagularum faſciculis opus iſtud conſtat 27, ſc. a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n. o. p. q. r. ſ. t. u. x. aa. bb. cc. dd. ee. ff. Omnes ſunt quinterni, præter c. d. f. h. k. u. ee. quaternos, & ff ternum. Ad calcem libri quinti de animalium generatione, qui terminatur in averſa quarti folii ternionis ff pagina, ſequens legitur ſubſcriptio: *Finiunt libri de animalibus Ariſtotelis interprete Theodoro. Gaze. V. Clariſſimo: quos Ludovicus podocatharus Cyprius ex Archetypo ipſius Theodori fideliter & diligenter auſcultavit: & formulis imprimi curavit venetiis per Johannem de Colonia ſociūq3 ejus Johannē māthen de gherretzē. Anno domini. M. CCCCLXXVI.* In prima ſequentis folii pagina exſtat *tabula cartarum ſecūndum ordinem ponendarum.*

## X. Nicolai Peroti Epiſcopi Sipontini Rudimenta latinæ grammatices ad Pyrrhum Perottum ex fratre Nepotem perſcripta: Impreſſa Venetiis per M. Marcum de Comitibus & Gerardum Alexandrinum anno 1476. in Fol. min.

Hæc Rudimenta Sæculo XV in Italia plus quam decies fuere typis impreſſa, ac primo omnium Romæ ann. 1473 per Arnoldum Pannartz, & Conradum Schweinheim. Patet inde, quo in pretio tum quidem illa, nec ſane immerito, fuerint apud rerum peritos. Præſens editio charactere rotundo pereleganti & papyro mundiſſimæ impreſſa eſt. Caret cuſtodibus & paginarum numeris. At vero litteras initiales parvas, & ſignaturas typographi adjecerunt. Complectitur plagularum faſciculos quatuordecim, ſignatos a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n. o. qui omnes quaterni ſunt, præter *a* quinternum, cujus tamen primum folium vacuum eſt; & *o* qui eſt ternus. Ad calcem primæ ultimi folii paginæ hæc leguntur impreſſa: *Nicolai Perotti Sipontini Ad Pyrrhum Perottum Nepotem Ex Fratre Suaviſſimum Rudimentorum Grammatices Finis.* His immediate ſubjecta ſunt ſequentia: *Impreſſum quidem eſt opus hoc per. M. Marcū de Comitibus venetum: nec non Gerardum Collegas Mira maximaq3 Arte ac Diligentia Anno Chriſti. M. CCCC. LXXVI. Decimo ſexto Cal. Februarias.*

Τελος.

## XI. Petri Epiſcopi Brixinenſis Repertorium ſeu Lexicon Theologicum & Juridicum Pars I. II. & III. in 2. Voll. Norimbergæ per Andream Friſner, & Johannem Senſenſchmid ann. 1476. in Fol. magn.

Prima pars, litteras complectens A — I, ſeparatum efficit volumen, volumini, quod ſecunda & tertia pars efficiunt, mole fere æquale. In averſa primi folii pagina Andreæ Friſner typographi legitur Præfatio ad theologiæ, & juris utriusque Doctores ac ſcolares. In ſequenti autem folio ipſius auctoris exſtat Præfatio, quæ in duabus columnis ſine ullo titulo impreſſa terminatur folio quarto. Initio quinti demum folii repertorium ipſum, ſine ullo pariter titulo incipit. Secunda pars incipit a littera K, & voce Kalendarium, complectiturque voces a litteris K, L, M, N, & O incipientes. Tertia Pars, quæ a voce Pabulum incipit, & plus quam duplo major eſt parte ſecunda, reliquas complectitur omnes alphabeti Litteras. Deſunt litteræ initiales primarum cujusvis Literæ vocum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Litteræ ſunt gothicæ juſtæ magnitudinis. Paginæ ſingulæ in duas columnas diviſæ ſunt. Vox ultima hujus lexici eſt Zona. Expoſitis, quæ de eadem notatu digna videbantur auctori, ſequentia rubro impreſſa colore adjecit typographus: *Expletū eſt Reptoriuȝ Reverendi patris & dñi Petri Epi Brixenſ Impſſuȝ Nurembge p honorabileȝ viroꝝ Andreaȝ Friſner Bunſidelenſem & Joannem Senſenſchmid civē Nurembergenſem. Anno a natiuitate domini Milleſimo qdringenteſimo ſeptuageſimo ſexto ſeptimo die octobris ſedente Sixto IIII. pontifice maxio pōtificatus ſui añ ſexto.* His ſubjecta typographorum inſignia rubro pariter colore.

## XII. Inſtitutionum Juſtiniani Imperat. Libri Quatuor. cum gloſſa. Baſileæ per Michaelem Wenſsler anno 1476. in Fol. magn.

Textus majoribus litteris impreſſus duas columnas, gloſſa minuto charactere impreſſa extremos quatuor margines occupat. In averſa primi folii pagina Quatuor librorum Rubricæ leguntur impreſſæ. Folio ſecundo ipſum opus cum gloſſa incipit. Rubricæ titulis, ad quos pertinent, ſæpe iisdem ſunt præfixi ab ipſo typographo & quidem colore rubro: ſæpe vero etiam deſunt, e. g. in primo libro deſunt Rubricæ titulorum de Ingenuis, de libertinis, de adoptionibus, de tutelis & plures alii: quæ vero deſunt rubricæ, eas in noſtro exemplari rubricator plerumque adſcripſit. Primi libri finem, & ſecundi initium typograpus rubro colore notavit his verbis: *Explicit pmus. Incipit ſcds de Rerum diviſione.* At vero ad initium tertii & quarti librorum nihil legitur, ſed primi ſolum horum librorum tituli rubricæ leguntur impreſſæ colore rubro. Litteræ initiales titulorum, cuſtodes, ſignaturæ deſunt. Cartarii ſignum omnium frequentiſſime occurrens eſt Littera D, quam ſtilus ex

ex una parte in crucem deſinens ſecat. Rarius occurrit caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. Charta plerumque ſat firma eſt, ſed minus alba. Secundam poſtremæ paginæ columnam hæc occupat ſubſcriptio charactere eodem, quo textus, ſed rubro impreſſa colore: *Juſtiniani Ceſaris preclariſſimum inſtitucionū op⁹ in celebratiſſima vrbe baſilienſi. quaȝ aeris clemēcia agri vbertas & hominum induſtria ceteris vrbibus preſtanciorem facit. Terſe nitide & emēdate impreſſum eſt per Michahelem. Wenſler. expletū deniqȝ Anno noſtre ſalutis ſeptuageſimo ſexto poſt milleſimum & quadringēteſimum pridie Kalendas Junii.* In infimo margine quatuor dyſtica eodem charactere, & colore impreſſa leguntur. Sed continent nihil aliud, quam modo recitata ſubſcriptio. Dyſticis ſubjuncta typographi inſignia colore rubro. Orlandi In *Origine & Progreſſi della ſtampa* typograpum noſtrum conſtanter adpellat Wenklerum. Inter opera ab eodem edita primo loco recenſet *Bonifacii VIII. opera, quæ ſextum Decretalium appellantur* ann. 1477. Diſcimus ex opere nunc deſcripto, Wenſlerum jam anno 1476 excudendis Baſileæ libris operam navaſſe.

## XIII. Sermones ſacri, Diverſorum, ut videtur, auctorum, dicti *ſermones ſucci*, Partes II. Hiemalis, & æſtivalis. Impreſſ. anno 1476, ſine nota loci, & typographi. ſed ſine dubio Auguſtæ Vindel. per Antonium Sorg. in Fol.

In averſa primi folii pagina *Incipit Tabula* (index ſcilicet alphabeticus materiarum) *prime partis, hyemalis vicȝ: in qua primo ponit᷑ materia. ſcd'o numerus ſermonū, tercio littera alphabeti ꝑ reperienda materia ꝛc.* Hæc tabula decem foliis impreſſis comprehenditur. Folium undecimum vacuum eſt. Duodecimi autem folii prima pagina *Incipit prologus In ꝑtem hyemalem.* In averſa autem ejuſdem folii pagina ſermo primus incipit. Pagina quævis in duas columnas diſtincta eſt. In ſuperiori margine numerus ſermonis indicatur, e. g. *Sermo quartus* vel *ſermo Xv.* Complectitur pars hyemalis ſermones CXXVII. In fine ſermonis 127. hæc leguntur: *Pars videlicet hyemalis ſermonum Succi de tempore intitulatorum. quia de ſucco & de medulla ſacre pagine ſtilo ſub obſcuro ſūt extracti finit feliciter.* In ſequenti folio Partis æſtivalis incipit *Sermo prim⁹. De reſurrectōne domini.* Hæc pars ſermones 125 complectitur. Subnexus eidem eſt index alphabeticus materiarum qualis parti hyemali præfixus eſt. Sed huic indici alphabetico alius adnexus eſt index, ſcilicet ſermonum partis æſtivalis, qualis quidem parti hyemali non eſt præfixus, nec adnexus. Poſt hunc demum indicem ſermonum hæc leguntur impreſſa: *Sermones elegantiſſimi Succi de tēpore per circulum anni, vna cuȝ regiſtris finiunt feliciter! Anno domini. M. CCCCLXXVI. nono Kalēdas Julii.* Litteras initiales ſculptas typographus ipſe adjiciendas curavit. Signaturæ vero, cuſtodes, & paginarum numeri deſunt. Typi ſunt prorſus iidem, qui-

bus

bus alias Antonius Sorg celebris Auguſtanus typographus uſus eſt e. g. dum anno eodem ſpeculum B. Mariæ Virginis, item S. Ambroſii libros decem in in Lucam (conf. N. V. & VI.) in lucem ederet. Quare eidem incunctanter adſcribo ſermones iſtos. Cl. Zapfius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte ſermones iſtos ad ann. 1476. non excitavit.

## XIV. Lectura D. Baldi de Peruſio in Vtum VIIIvum & IXnum librum codicis. Mediolani per Chriſtophorum Valdarfer ann. 1476. in Fol.

Lecturæ in tres iſtos libros non ſimul ac ſemel, ſed ſucceſſive altera poſt alteram prodierunt in lucem, ut patebit ex ſubſcriptionibus. Forma exterior tribus eadem eſt. Litteræ ſunt rotundæ perelegantes. Papyrus firmiſſima ſimul, & nitidiſſima eſt. Quævis pagina eſt in duas columnas diſtincta. Initiales litteras parvas typographus ipſe adjecit plerumque. Cuſtodes vero, paginarum numeri, & ſignaturæ deſunt. Lectura in librum quintum codicis hanc habet ſubſcriptionem, rubro impreſſam colore: *Impſſum Mli' per Xpoforu3 Vualdarfer* (rectius Valdarfer) *Ratiſponenſem. Impenſis Juris ſcolaris. d. Petriantonij de Burgo dicti de caſtelliono & Philippi de lauania. Anno domini MCCCCLXXVI. Die IX. Aprilis. Regnante Invictiſſimo Quinto Galeazio Maria Sfortia vicecomite,* Ad calcem Lecturæ in octavum, & nonum codicis geminæ leguntur ſubſcriptiones, & prior quidem utrinque nigro, poſterior vero rubro impreſſa colore. Poſterior ſimilis utrinque eſt ſubſcriptioni lecturæ in quintum codicis adjectæ: differunt tantum quoad menſem, & diem impreſſionis. Nimirum Lectura in quintum codicis impreſſa eſt *Die IX. Aprilis.* Lectura in octavum die *XVII. Junii*, & Lectura in nonum codicis *die XVIIa. May.* Sed in utraque poſteriori lectura ſubſcriptio nigro colore expreſſa differt a ſubſcriptione, quæ colore rubro facta eſt, & quidem ſubſcriptio nigra ad lecturam in octavum cod. pro die XVIII. (18) habet diem XVIIII. (19) Junii. Annus tamen utrinque eſt idem. Subſcriptio nigra ad Lecturam in nonum cod. ſic habet: *Explicit Lectura Eximii lumis Juris. V. Domini Baldi de Peruſio ſup Nono Codicis. Año Dñi. M. CCCC. LVII. Die XVII. Maij. Ad laudem ſummi tonantis. Amen.* Sed annus 1457 in hac ſubſcriptione vel error typographi eſt, vel annum denotat, quo codex, qui impreſſori pro norma fuit, ſcriptus eſt.

XV.

XV. Lactantii Firmiani 1) Libri ſeptem Divinarum inſtitutionum. 2) Liber de Ira Dei. 3) De opificio Dei. 4) Carmen in diem Reſurrectionis D. N. J. Ch. Impreſſ. Roſtockii per fratres Presbyteros & Clericos Congregationis domus viridis Horti ad S. Michaelem. Anno 1476. in Fol. min.

Præmittuntur rubricæ ſeu ſingulorum totius operis capitum tituli, qui terminantur in averſa noni folii pagina, linea 21. In eadem adhuc pagina incipiunt *Lactantii Firmiani errata primi libri quibus ipſe deceptus ē per fratrem Antoniū raudenſem theologum collecta & exarata ſunt.* Sequuntur quoque errores in ceteris libris a Lactantio commiſſi. Aſt in fine horum errorum leguntur carmina, quibus *Frater Adam Genuenſis corripit fratrē Anthoniū.* En ipſa:

*Hic male corripuit ſtolidis Antonius auſis*
*Auctorem: in variis cauſa pianda locis.*
*Non erat in tenebris errantis imaginis aſtrū.*
*Dicere: vel nitidum luce carere iubar.*
*Deniq3 cum ſanctæ eccleſie pia lumina: conſtet*
*Obſequio: ex tanto conticuiſſe viro.*
*Tu vero eloquio lingua interdicta latino*
*I cubitum: nam te penſitat eleborum.*

Folio tandem impreſſo duodecimo incipit inſtitutionum divinarum primus liber ſine ullo titulo eidem præfixo. Carent reliquorum etiam librorum prima capita titulis, qui capitibus reliquis ubique adcurate ſunt præfixi. Deſunt litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Græca, quæ in his libris ſæpius occurrunt: Typographi omiſerunt, relicto tamen his adſcribendis ſpatio vacuo, & ſubjuncta interpretatione latina. Carmini in diem Reſurrectionis D. N. J. Ch. hæc ſubjuncta eſt notitia: *Firmiani Lactantij viri ꝑcellentis ingenii qui vel ſolus inter Xp̄iane ꝓfeſſionis ſcriptores ſupeminet nitore quoda3 & copia: vel nullum eo4 ſequitur facundia ſimul & lenitate ſermonū. Divina4 inſtitutionū adverſus gentes. De ira quoq3 dei ad Donatum. Nec non & de opificio dei vel formatione hominis ad Demetrianū finiunt libri Per fratres preſbiteros & clicos cōgregationis domus viridiſ orti ad ſcm̄ Michaelem in opido Roſtockeñ ꝓtium inferioris Sclavie. ꝑ ut facultas & induſtria tulit emendata ſatis & accurate ꝯſum̄ati. Anno incarnationis dominice. Millesimo quadrigētesimo ſeptuageſimo ſexto. Quinto Idus Aprilis Deo Gratias.* Undecim abhinc annis nimirum ann. 1465. Lactantii Inſtitutiones cum libris de opificio & ira Dei typis excuſæ ſunt in Monaſterio ſublacenſi, quæ quidem editio exſtat in Bibliotheca Cann. Regg. Pollingæ, eo rarior quod primus ſit liber in Italia typis excuſus. Exſtant & aliæ inter undecim hos annos factæ editiones, nimirum Romanæ duæ ann. 1468. & 1470, & Venetæ duæ ann. 1471. & 1472. Patet inde, quo in pretio tum fuerint Lactantii opera.

XVI.

## XVI. Dominici de Sancto Geminiano Lecturæ ſuper Libro ſexto decretalium. Venetiis Per Jacobum de Rubeis ann. 1476. in Fol.

Commentaria hæc in VI. Decretal. impreſſa ſunt charactere gothico quidem, ſed pereleganti in duabus columnis chartæ mundiſſimæ. In fronte primæ paginæ, primæ itidem columnæ tituli loco hæc leguntur, iisdem, quibus cetera, typis impreſſa: *Clariſſimi & utriusq3 juris interpretis excellentiſſimi domini Dominici d' ſanctō Geminiāo. Lectura prima ſuper ſexto libro decretalium.* Litteras initiales parvas ipſe typographus adjecit. Cuſtodes vero, & paginarum numeri deſunt. Faſciculi plagularum univerſim ſunt 40, ſignati a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n. o. p. q. r. ſ. t. u. x. y. z. 2. ɜ. 4. aa. bb. cc. dd. ee. ff. gg. gg. hh. ii. kk. ll. mm. omnes ſunt quaterni præter *a* ſexternum; cujus primum folium vacuum eſt *b.* & *c.* quinternos, atque *ff.* & *gg.* (hoc quidem ubi prima vice occurrit) ternos. Ad calcem operis impreſſa legitur ſequens notitia: *Finitur hic prima pars lecture Excellentiſſimi juris utriuſq3 interpretis domini Dominici de ſancto Geminiano ſup ſexto libro decetalium:* (ſic) *Impſſa Uenetiis per magiſtrum Jacobum de Rubeis gallicum: hujus artis peritiſſimum: Anno M. CCCC. LXXVI. quarto Idus Septembres Andrea vendramino inclyto duce Uenetiarum.*

## XVII. S. Thomæ Aquinatis tertium ſcriptum, ſeu commentarius in tertium librum ſententiarum Petri Lombardi. Coloniæ per Johannem Kælhoff Lubecenſem anno 1476. in Fol. min.

*Tertium ſcriptu3 ſācti Thome de Aquino doctoriſ eximii.* Hic quaſi titulus, charactere gothico majuſculo impreſſus, in fronte primæ columnæ, primæ itidem paginæ impreſſæ legitur. Characteres ſunt gothici, Charta alba eſt, & firma admodum. Initiales litteræ, & paginarum numeri deſunt. Plagularum faſciculi ſeptemdecim priores ſignati ſunt litteris a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n. o. p. q. r. Et hi quidem omnes ſunt quaterni. Reliqui omnes faſciculi inde a diſtinctione XV. usque ad finem, qui partem voluminis longe majorem efficiunt, ſignaturis carent. At vero ubi deſinunt ſignaturæ, incipiunt cuſtodes, qui tamen in quarta ſolum cujusvis paginæ columna, & ne in hac quidem ſemper occurrunt. Ad calcem operis hæc leguntur impreſſa: *Explicit tertius Sancti Thome de Aquino ordinis fratrū p̄dicatorū. per me Joh'em Koelhoff de Lubeck coloniæ ciuem Anno dn̄i* 1 ꝝ Λ6. (1476.) In averſa pagina incipiunt *Tituli ſuper 3m lib4 ſententia4*, qui & paginam hanc, & ſeptem ſequentia folia vix non integra implent. In fine legitur: *Expliciunt tituli tertii ſententiarum ſancti Thome aquinatis ordinis predicato4.*

XVIII. Diodori Siculi Hiſtoriarum, ſeu Bibliothecæ Hiſtoriæ libri ſex A Johanne Franciſco Poggio ex græco in latinum converſi. Accedit Cornel. Taciti de ſitu, moribus & populis germaniæ libellus. Impreſſ. Venetiis per Andream Jacobi Katharenſem ann. 1476. in Fol.

Opus iſtud charactere rotundo pereleganti impreſſum in averſa primi folii pagina capitalibus litteris impreſſa hæc verba tituli loci lectori exhibet: *Diodori Siculi Hiſtoriarum Priſcarum A Poggio Incipit: In quo hæc continentur totius* (primo loco ſcilicet) *operis Prohemium.* Sequuntur deinde tituli ſingulorum capitum, in quæ diviſi ſex iſti ſunt libri. Terminantur hi tituli in averſa ſecundi folii pagina linea 18. Folium tertium vacuum eſt. Quarto autem folio interpretis legitur præfatio, ſeu epiſtola dedicatoria ad ſummum Pontificem, Nicolaum V. in qua eadem propemodum libertate Pontificum quorumdam anteriorum in promovendis bonarum artium, & excitandis ad earumdem culturam ingeniis ſocordiam carpit, qua Nicolai V. in eisdem promovendis ſtudium extollit. Fuit autem Pogius Eugenio IV., Nicolao V. aliisque Pontificibus a ſecretis. Deſunt in hoc opere initiales litteræ, cuſtodes, & paginarum numeri. Charta alba eſt & munda, ſed minus firma. Folia duo priora, qui titulos capitum continent, carent ſignaturis. Sed faſciculi chartarum ipſius operis ſignati ſunt litteris a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n. o. p. q. Et hi quidem omnes ſunt quaterni, exceptis *a* quinterno, cujus primum folium vacuum eſt, & *l*, atque *o* ternis. Cornelii Taciti libellus faſciculum *q* integrum occupat, excepta ſolum pagina ultima poſtremi folii, cujus ad calcem ſequens legitur notitia: *Diodori Siculi Bibliothece hiſtoriæ libri: In quibus Priſce res: Fabulæ: & multa ac varia de ſitu locorū, ac moribus gentium cōtinentur: Impreſſi Venetiis per Andreā Jacobi Katharēſem Andrea Vendramino Duce fortunatiſſimo. M. cccc. Lxxvi. Pridie Kal. Febr.*

*Finis.*

Prima hujus operis editio facta eſt Bononiæ ann. 1472. conf. de Bure *Bibliographie Inſtructiv. n.* 4766.

XIX. S Hieronymi Epiſtolæ, & alia opuſcula ſecundum materias diſpoſita, in 2 Voll. Fol. maj. Vol. I. Romæ per Arnoldum Pannartz. ann. 1476. Voll. II. ibid per Georg. Laur de Herbipoli anno 1479.

Utrique volumini præfixæ ſunt Præfationes ſeu Epiſtolæ Dedicatoriæ Johannis Andreæ Alerienſis Epiſcopi ad Paulum II. R. P. ex prima editione hujus operis ab eodem Joh. Andreæ Romæ anno 1468. curata denuo impreſſæ. Fatetur editor, has Hieronymi Epiſtolas non a ſe primum, ſed jam ante a

Theo-

Theodoro Tarviſino Epiſcopo, quem apud Paulum ſecundum apocryſiarii Referendariique munere, dum viveret, functum eſſe adfirmat, ex diverſiſſimis codicibus collectas, certumque in ordinem redactas fuiſſe. Easdem tamen cum mendoſe admodum ſcriptas eſſe obſervaret, a ſe reviſas, & a mendis purgatas fuiſſe adfirmat. Porro Epiſtolæ, aliaque S. Hieronymi opera in hac quidem editione in tres partes principales ſunt diviſa. Pars prima ea complectitur S. Hieronymi, quin & aliorum e. g. primo ſtatim Rufini Expoſitionem Symboli, ſeu Epiſtolas, ſeu Tractatus alios, qui ad ſymboli, fideique catholicæ expoſitionem ſpectant. In ſecunda parte occurrunt Epiſtolæ & opuſcula ad ſacræ ſcripturæ interpretationem ſpectantia. In parte tandem tertia Tractatus & Epiſtolæ moralis argumenti continentur. Pars quælibet in plures ſectiones, quæ tractatus vocantur, eſt diviſa. Tomis ſingulis præter epiſtolas editoris dedicatorias præfixus eſt index ſingulorum opuſculorum, & epiſtolarum. Charta magna eſt, munda, & firma. Litteræ ſunt eædem, quibus alias quoque uſi ſunt Schweinheym & Pannartz. Interpunctionum ſigna ſunt punctum & duo puncta, nec non interrogationis ſignum. Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt omnino. Ad calcem primi voluminis impreſſa legitur ſequens notitia: *Impreſſum Rome in domo nobilis uiri Petri de Maximis juxta campum Flore. Preſidēte magiſtro Arnoldo Pannartz. Anno dñici natalis. M. CCCCLXXVI. Die uero XXVIII. Martij. Sedente Sixto IIII. Pontifice max. Anno ejus quinto.* In ſequentis folii prima pagina exſtat *Regiſtrum hujus libri* i. e. Index primarum cujusvis plagulæ vocum. Cum in ſubſcriptione hac ſolius Arnoldi Pannartz fiat mentio, oportet ſocium ejus Conradum Schweinheym aut jam obiiſſe, aut alio diſceſſiſſe. Nec ipſe etiam Arnoldus diu ſupervixiſſe videtur. Nam volumen hujus operis ſecundum non ipſe, ſed Georgius Lauer, & quidem anno primum 1479. typorum formulis excudendum curavit, ut ex ſubſcriptione ſtatim recitanda patebit. Uſus vero Georgius Lauer iisdem eſt typis, eademque charta, qua Arnoldus. Subſcriptio autem ad calcem ſecundi voluminis eſt ſequens: *Epiſtolarum beati Hieronymi parſ ſecunda:. Impreſſa Rome per uenerabilem magiſt4 Georgium Laur de Herbipoli: Sub Anno dñi. M. CCCC. LXXIX. die vero Lune: qnta mēſis Aprilis: Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Sixti divina providentia Pape quarti anno ejuſ octavo finit feliciter.* In ſequentis folii prima pagina legitur Index primarum cujusvis plagulæ vocum.

## XX. Nicolai Abbatis ſiculi primum, tum Archepiſcopi Panormitani commentarii in librum I. Decretalium. Venetiis per Johannem de Colonia & Joh. Mantea 1476 in Fol. magn.

Averſa primi folii pagina exhibet indicem chartarum, ſeu primarum cujusvis plagulæ vocum. In ſequentis folii prima pagina, cujus pars ſuperior

fere dimidia eſt vacua, incipit ipſum opus charactere gothico in duabus columnis chartæ firmiſſimæ, ampliſſimos habenti margines, impreſſum. Initiales litteras parvas, & chartarum ſignaturas ipſi typographi adjecerunt. Cuſtodes vero & paginarum numeri deſunt. In fine voluminis hæc legitur ſubſcriptio: *Explicit lectu. famoſiſſimi. utriuſq3 juris doctoris dñi Abbatis ſiculi Archyepi. Panormitani ſup primū decretalium librū. que p optime emēdata impreſſionē venetiis adepta ē. expenſis Johīs de colonia ſotiīq3 Johis' māthen de gherretzhem. Anno nativitatis Xpi M. CCCC. L. XXVI. die XVIII. Auguſti.* Quamvis in hac ſubſcriptione ſolius Panormitani fiat mentio: tamen ipſi typographi ante titulum de *Translatione Prælatorum* adnotarunt, commentaria a ſe impreſſa in hunc & ſequentes titulos, usque ad titulum de *officio Judicis Delegati* non eſſe ipſius Panormitani; cujus inquiunt, in hos titulos commentaria, vel non exſtant, vel non potuerunt reperiri, ſed eſſe Antonii de Butrio, quem excellentiſſimum utriusque juris interpretem adpellant.

XXI. Pauli de Venetiis ord. Eremit. S. Auguſtini Expoſitio ſeu ſumma librorum Ariſtotelis naturalium, nimirum 1) Phyſicorum 2) de Cœlo & Mundo. 3) de generatione & corruptione. 4) Methaurorum i. e. Metheororum. 5) de Anina. 6) Metaphiſicorum. Venetiis per Joh. de Colonia & Joh. Manthen. 1476. in Fol.

Opus hoc in duabus columnis gothico charactere minuto admodum & gracili impreſſum eſt papyro mundiſſimæ, at minus firmæ, quæ amplos habet margines. Deſunt cuſtodes, & paginarum numeri. In ſuperiori autem margine indicatur liber e. g. *Liber* (in margine ſiniſtro) *Phyſicorum* (in margine dextro) Initiales quoque litteras parvas ipſe typographus adjecit. Plagularum faſciculis conſtat hic liber 24, ſignatis a — y. Littera Jod vero, & littera q bis ſunt poſitæ. Quaterniones ſunt b — l. item *q* ſecunda vice occurrens, r. ſ. x. y. Reliqui ſunt quinterni. Quaternionis *a* primum folium, quod vacuum fuiſſe videtur, deeſt. Secundum folium ſignatum eſt *a* 2. Ad calcem quartæ columnæ folii ſeptimi quaternionis y ſequens legitur notitia typis iisdem, quibus ipſum opus, impreſſa: *Explicit ſexta & vltima pars ſumē naturaliū acta & compilata per reverendū artium & theologie doctorem magiſtrum Paulū de venetiis ordinis fratrū heremitarū ſancti Auguſtini tranſumpta ex pprio originali manu ppria pſati magiſtri ɔfecto venetiis impreſſionē habuit ipenſis Johānis de colonia ſociīque ejus Johānis Māthen de gherretzem. Anno a natali Chriſtiano M. CCCCLXXVI.* Sequentis folii prima pagina exhibetur *Tabula cartarū ſm ordinē ponēda4.* Accedit index alphabeticus materiarum foliis impreſſis ſeptem comprehenſus.

## XXII. Johannis Nider die vier und zwanzig guldenen Harpfen in Fol. min. anno 1476. ſine nota loci & typographi.

Editionem hujus operis forte omnium primam N. IX. ad ann. 1472. recenſui. Quæ mihi nunc præ oculis eſt editio, charactere gothico admodum luculento, paulo majori, & pinquiori, qui magnam cum litteris Guntheri Zainer adfinitatem habet, impreſſa eſt chartæ ad modum firmæ, ſed minus albæ & politæ. Initiales litteras magnas ligno inciſas ipſe typographus adjiciendas curavit. Idem in ſuperiori margine cujusvis folii numerum ejusdem adnotavit, excepto primo folio, cui nullus adjectus eſt numerus. Conſtat opus integrum foliis numeratis CXLVIII. His accedit primum folium non numeratum, quod operis indicem complectitur. Signaturæ & cuſtodes deſunt. Præter punctum nullum obſervavi aliud ſignum diſtinctionis. Ad calcem operis ſequens adjecta eſt notitia: Hie endē ſich die vier und zweinczig guldin harpffen die gezogen ſeind auſz collationibus patrum. das iſt auſz der heiligen altvåter bůch zc Nach Xpi geburt zc In dem lxxvj. jare.

# LIBRI
## NOTA ANNI CARENTES
## SED
## PROBABILISSIME ANTE ANNUM 1477.
## VEL
## CERTE ANTE ANNUM 1480.
## IMPRESSI.

In recenſendis hiſce libris eum obſervabo ordinem, ut primo loco ponantur, quorum certus, vel ſaltem maxime probabilis eſt typographus. Tum vero eos recenſebo, qui antiquitate ceteris præſtare mihi viſi ſunt licet de eorundem vel loco impreſſionis, vel typographo non auſim certam ferre ſententiam. Ita autem libros deſcripſi ſingulos, ut diſcerni eorundem editiones a me deſcriptæ facile poſſint ab aliis ſine loco & anno editionibus. Exordium faciam a libris, quos Udalricus Zell de Hanau, Colonienſis Typographus impreſſit, qui ceteris etiam plerisque raritate; & antiquitate præſtant.

*UDALRICUS (vulgo Ulricus) ZELL, ſequentes impreſſiſſe libros videtur.*

### 1. Sancti Bernardi Tractatus de Planctu Beatæ Mariæ in 4to.

In fronte opuſculi, quod ſex tantum conſtat foliis impreſſis, hæc verba leguntur impreſſa: *Tractat⁹ beati bernhardi de plāctu btē marie.* Sed editores operum S. Bernardi recentiores hunc tractatum inter opera eidem falſo attributa recenſuerunt. Hoc adnotaſſe ſufficiat. Quod præſentem attinet editionem, ea quidem litteris excuſa eſt iisdem plane, quibus impreſſa ſunt plura Ciceronis opera, nimirum 1) definibus bonorum & malorum 2) ejusdem invectivarum in Catilinam Libri 4. 3) Criſpi Salluſtii oratio in Tullium. 4) Tullii invectiva in Salluſtium. 5) Tullii ad Titum Atticum. Cato major. alias de ſenectute. 6) Auguſtini Dachi (ſic) Senenſis opus de variis loquendi figuris, quæ ſine nota loci, anni typographi conjuncta exſtant in Bibliotheca Electorali Monacenſi conf. Steigenbergeri hiſtoriſch: literariſchen Verſuch von Entſtehung und Aufnahme der kurfürſtlichen Bibliothek in München pag 43. & 44. Idem vir clariſſimus præſens de Planctu b. Mariæ opuſculum ejusque exemplar, quod deſcripturus ſum, adcurate contulit cum modo laudatis Ciceronis

ceronis, aliorumque operibus, & datis ad me litteris teſtatus eſt, externam formam & typos plane eosdem eſſe.

Porro hæc eadem Ciceronis de finibus bonorum & malorum editio quam adcuratiſſime quoad omnia, quæ externam formam ſpectant, convenit cum editione duorum S. Auguſtini opuſculorum, ſc. *De vita chriſtiana, & de ſingularitate clericorum*, quam Udalricus Zell de Hanau adjecto ſuo nomine, & anni nota, anno 1467 adornavit. Hujus rei fidem facit auctor catalogi Bibliothecæ Illuſtriſſimi Ducis de la Valliere, cujus ſententiam recitabo integram, deſumptam ex *Catalogue des Livres de feu Mr. le Duc de la Valliere. Belles Lettres. n.* 2258. — *Ciceronis de finibus bonorum & malorum Libri V. editio antiquiſſima Coloniæ. per Olricum Zel de Hanau, circa an.* 1467. *in 4. goth. m. r.* De hac igitur editione laudatus auctor hanc protulit ſententiam: *Premiere & tres rare edition, executée a longues lignes au nombre de* 27 *ſur les pages, qui ſont entieres, ſans date, indication de ville, & d'imprimeur, Chiffres, & ſignatures. Elle a eté anoncée juſqu'a ce jour comme ſortie des preſſes de Mayence parce qu'on a cru y voir une grande conformité des ſes caracteres avec ceux des offices de Ciceron, imprimés en cette ville en* 1465. *Après avoir comparé tres attentivement l'une & l'autre edition, nous pouvons aſſurer que les caracteres ont tres peu de rapports, & que ceux des offices de ciceron ſont beaucoup plus petits; mais qu'ils reſſemblent parfaitement a ceux avec les quels Zel de Hanau, imprimeur de Cologne, a executé en* 1467 *les traités de St. Auguſtin intitulés: de vita Chriſtiana & de ſingularitate Clericorum. D'ailleurs l'une & l'autre edition ſont de même format, & ont une même juſtification de pages.* Conf. etiam Steigenbergeri hiſtoriſch-literariſch. Verſuch ꝛc. pag. 43. & *Raritas librorum in Bibliotheca Novacellenſi* (Neuſtift bey Brixen) *Canonic. Regul. deliteſcentium pag.* 17. Cum igitur certum ſit, laudatam ſæpius Ciceronis de finibus bonorum & malorum editionem ex eadem typographia cum laudatis S. Auguſtini opuſculis ſeu tractatibus prodiiſſe: Præſens vero de Planctu B. Mariæ opuſculum quoad typos & cetera omnia, quæ ad externam ſpectant formam, cum editione Ciceronis de finibus bonorum & malorum quam exactiſſime conveniat: recte concluditur, opuſculum hoc noſtrum ab eodem typographo circa idem tempus, nimirum 1467, vel paulo poſt ſaltem circa ann. 1469 vel 1470 fuiſſe typis excuſum. Qui ſequentem hujus opuſculi deſcriptionem cum illis contulerit, quæ de externa forma editionis ciceronis de finibus bonorum & malorum in laudato Catalogo diſſeruntur, huic aſſertioni fidem facile præſtabit.

Antequam opuſculum noſtrum deſcribam adcuratius, illud hic prævie adnotabo, opuſcula omnia, ſequentibus quatuor numeris II. III. IV. & V. comprehenſa iisdem eſſe typis excuſa, quibus iſtud opuſculum. Conveniunt etiam quoad interpunctiones, quoad numerum linearum in quavis pagina. Dicam verbo: externa omnium horum opuſculorum forma eſt prorſus eadem.

Quare

Quare nullum eſt dubium, quin ex eadem typographia non diu alterum poſt alterum prodierint.

Quod igitur præſentis opuſculi externam formam attinet, litteræ ſunt gothicæ formæ, ſatis pinques, & oblongæ. Atramentum eſt nigerrimum. Signum interpunctionis non niſi unicum ubivis occurrit, nempe punctum, quod ſæpe hanc habet formam (r). Littera initialis, quæ unica erat formanda, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones deſunt. Charta eſt firma, ſed minus alba & polita. Chartarii ſignum in hoc quidem opuſculo unicum occurrit, nempe caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. Pagina quævis integra lineas continet impreſſas viginti ſeptem. Illud etiam eſt obſervatione dignum, vocum ſillabas in fine linearum ſæpe abruptas nullo ſigno indicari conjungendas, id quod Fauſtus & Schoifferus, aliique antiquiſſimi typographi plerumque fecerunt. Exempli loco ſint lineæ tertia, quarta & quinta primæ paginæ folii ſecundi:

— — — — — — *Tu cum la*
*crimis ſcribe. que cū magnis doloribus ipſa pſen*
*ſi flere p opto &c.*

Terminatur hoc opuſculum in averſa folii ſexti pagina, linea 12. Huic lineæ ſubjecta eſt ſubſcriptio ſequens:

*Explicit tractatus beati Bernhardi de plan*
*ctu Beate Marie.*

Et nihil præterea.

II. *Incipit Sermo Sancti Bernhardini ordinis fratrum minorum. de glorioſa virgine Maria.* — in 4to.

Hæc verba in fronte leguntur opuſculi, quod viginti quinque conſtat foliis impreſſis, & charactere eodem, quo opuſculum immediate præcedens impreſſum eſt. Deſunt initiales Litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Interpunctionis quoque idem eſt ſignum: idem numerus linearum in quavis pagina. Charta quoque nihil fere differt, licet plura & diverſa occurrant chartarii ſigna. Ad calcem opuſculi quod terminatur in prima folii vigeſimi quinti pagina, linea 12, ſequentia typographus adjecit: *Explicit ſermo ſancti Bernhardini ordinis fratrum Minorum de virgine glorioſa.* Ex dictis, quid de typographo, atque anno impreſſionis ſit ſenſentiendum, facile lector colliget.

III. 1) Dialogus Rationis & conſcientiæ: an expediat, vel debeat quis raro, vel frequenter celebrare, vel communicare? Auctore Matthæo de Cracovia Theol. Profeſſore Pragenſi.

2) Hen-

2) Henrici de Haſſia Expoſitio orationis Dominicæ, nec non Expoſitio Ave Maria. 3) Speculum animæ. in 4to.

Omnia hæc opuſcula ex eadem typographia ſimul prodierunt. Impreſſa ſunt litteris iisdem, quibus duo præcedentia. Interpunctionis etiam ſignum unicum occurrit, nempe (⸗) vel ſimplex (.) punctum. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones. In fronte primæ paginæ tituli loco hæc leguntur: *Incipit dialogus racōnis & cōſcientie an expediat vel debeat quis raro vel freqēter, celebrāē vel ꝯmunicare nup editus p magiſtrū matheū de cracovia ſacre theologie profeſſorem Incipit Prologus.* Ad calcem autem ſpeculi animæ hæc tantum habes impreſſa:

*Explicit hic Anime ſpeculum quo te videt in ſe*
*Qui facis ut p te ſiſtat Reqeſcat & ī te Amen.*

Pagina quævis integra lineas complectitur viginti ſeptem. Comprehenduntur omnia hæc opuſcula foliis impreſſis 58. Dialogus terminatur folio 28, Expoſitio ſuper orationem Dominicam, in prima pagina folii 39, linea 4. atque hæc puto, ſufficiunt, ut diſtinqui hæc editio ab aliis ſine loco & anno editionibus poſſit.

IV. Johannis Gerſon Tractatus varii 1) de Meditatione 2) de oratione 3) ejusdem Expoſitio ſeptem Pſalmorum Pœnitentialium. *Tres hosce Tractatus Schelhornius in Diatriba præliminari ad Card. Quirini &c. pag. 25. ſub numero 21. inter primos recenſet libros typis ſculptis mobilibus impreſſos.* His accedunt in eadem compactura, & iisdem typis impreſſa, ita tamen ut ſeparari a præcedentibus, non vero alterum ab altero poſſint. 1) Bulla Pii II. R. P. ante hac Æneæ Sylvii Retractatoria omnium ab ipſo in Concilio Baſileenſi actorum contra Eugenium IV. 2) Æneæ Sylvii Libellus, ſeu tractatus de Miſeria curialium. His denuo accedit, ita tamen ut a præcedentibus ſeparari poſſit, tractatulus reſponſivus, ſeu Reſolutio dubiorum, quæ Eccleſiaſticis & Religioſis ſæpe oriuntur, ſcripta ad Monachos celeſtinos per Johannem Gerſon, ut ex ſubſcriptione, inferius recitanda colligitur. in 4to.

Omnia hæc opuſcula iisdem ſunt typis impreſſa, quibus opuſcula ſub nn. I. II. III. recenſita. Cetera etiam omnia, quæ ad externam ſpectant formam, ſunt prorſus eadem. Deſunt nimirum & in his, ut in illis, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri & tituli, litteræ initiales. Interpunctionis quo-

 que

que ſignum idem eſt. Pagina etiam integra quælibet viginti ſeptem lineas complectitur. Quare vix dubium eſſe poteſt, quin omnia ex eadem typographia, aut ſimul, aut non diu alterum poſt alterum prodierint. Habent hæc quoque cum opuſculis recenſitis n. III. eamdem compacturam. In fronte primæ paginæ hæc habes impreſſa: *Incipit tractatus venerabil' Magiſtri Joh'. Gerſon Cancellarii pariſieñ de Meditacōe. Et ponũtur decem & ſeptem conſideracões Quaꝝ prima eſt*: quæ ſcilicet immediate ſequitur. Ad calcem hujus tractatus, qui terminatur in folii ſeptimi averſa pagina, linea 8, hæc legitur impreſſa ſubſcriptio: *Et in hoc finitur Tractatus de meditacōe cordis Magiſtri Johis' Gerſon* &c. *Sequitur Tractatus ejuſdem de oracōne.* Tractatus iſte in ſequenti incipit folio, nec habet titulum alium ſibi præfixum. Implet folia impreſſa viginti, & primam vigeſimi primi paginam. In averſa ejusdem folii pagina incipiunt *Septē pſalmi pniāles ſcdm venēabilē mgrm Johānē Gerſon Cancellariū ꝑiſieñ*; foliis comprehenſi impreſſis 27. tum folium ſequitur vacuum. Dein novus incipit faſciculus, in cujus prima pagina hæc leguntur: *Pii. ꝑpe ſecūdi Bulla retractationū oīm dudū ꝑ eum in minoribus adhuc agētem pro. concilio Baſilieñ. & coñ Eugenium ſummū pōtificem ſcriptorum Incipit feliciter.* Hanc Bullam Pius II. ad Academiam colonienſem Romæ dedit VI. Kal. Majas anno 1463, quæ ſpectato argumento certe notatu digna eſt. Nec minus notatu dignum eſt argumentum quod in opuſculo pertractatur ſequenti præſertim, quod a viro ſit ſcriptum, qui ipſe in aulis principum magnam vitæ partem tranſegit, & publicórum negotiorum, ſua ætate geſtorum, pars magna fuit. Scriptus eſt iſte tractatus anno 1444 per modum Epiſtolæ ad Johannem de Aich datæ, & in fronte hanc habet inſcriptionem: *Æneas ſilui⁹ poeta. S. P. dicit dño Johi' de Aich. ꝑſpicati* (ſic) *& claro Juꝝ conſulto.* Auctor de moleſtiis vitæ aulicæ non ut aſceta, ſed ut Philoſophus & politicus loquitur, nec alia fere videtur proferre, quam quæ ipſe expertus fuerat, aut contigiſſe aliis certo noverat. Hæc duo Æneæ Sylvii opuſcula foliis 36 impreſſis ſunt comprehenſa. In fine poſterioris non niſi annus notatur, quo ſcriptum eſt. Tandem poſt duo folia vacua, ad præcedentem faſciculum pertinentia. *Sequitur Tractatul⁹ reſponſiu⁹. de ſollicitudine eccleſiaſticoꝝ. Ad frēs celeſtinos. Continens. 68. ꝑticulas* Hæc impreſſa leguntur in prima ſecundi folii impreſſi pagina paulo ante medium. Præcedit autem indiculus quæſtionum, quæ hoc in opere pertractantur, qui folium primum integrum, & folii ſecundi priores ſex lineas implet. Indiculus, & ipſum opuſculum foliis impreſſis viginti tribus ſunt comprehenſa. Ad calcem folii 23. hæc leguntur: *datum pariſius ꝑ venerabilem Magiſtrū Johānē Jarſſon* (Gerſon) *Cancellarium Pariſienſem.*

V. Johannis Gerſonis 1) Tractatus de Paſſionibus Animæ. 2) De modo vivendi omnium Fidelium. 3) De cognitione caſtitatis, & pollutionibus diurnis. 4) Forma abſolutionis Sacramentalis.

lis. 5) Æneæ Sylvii poſtea Pii II. R. P. Dialogus de ſacra communione Corporis Chriſti habitus contra Bohemos, & Thaboritas. 6) Johannis Gerſon Tractatus de ſimplificatione, ſtabilitione, ſeu mundificatione cordis. 7) ejusdem Tractatus de directione, ſeu rectitudine cordis. 8) Ejusdem dialogus de perfectione cordis. 9) Ejusdem Trilogium Aſtrologiæ Theologiſatæ. 10) Ejusdem opuſculum contra ſuperſtitioſam dierum obſervationem. 11) Ejusdem Propoſitiones undecim adverſus doctrinam cujusdam Medici in monte Peſſulano ſculpentis imaginem leonis in numiſmate cum certis characteribus pro curatione Renum. 12) Ejusdem Propoſitiones ſeptem de dierum æqualitate in ordine ad bonos & malos rerum ſucceſſus. 13) Pii II. R. P. Epiſtola ad Mahumetem, anno 1464 Anchonæ ſcripta, cum adverſus Turcas proficiſci cogitaret. in 4to.

Omnia hæc opuſcula eandem habent compacturam, eodemque charactere impreſſa ſunt, quo præcedentia ſub nn. I. II. III. & IV. comprehenſa. Cetera quoque omnia, quæ ad externam ſpectant formam, ſunt prorſus eadem in omnibus hisce opuſculis, quæ foliis impreſſis centum nonaginta ſeptem comprehenſa ſunt. Quamvis igitur eorum non nulla ſeparari poſſint abinvicem, haud tamen dubitandum videtur, quin omnia ex eadem typographia, & forte eodem tempore, aut certe non diu alterum poſt alterum prodierint in lucem. Addam non nulla, quæ ſufficere poterunt ad eorum præſentem editionem ab editionibus aliis facilius dignoſcendam. Opuſculum primum viginti quinque folia implet integra, & primæ paginæ ſequentis folii priores ſedecim lineas, quibus hæc ſubjecta eſt notitia.

*Explicit Tractatus notabiſ de paſſioni*
*bus aie. Edit⁹ a mgro Johāne Gerſon*
*cācellario pariſienſi nec nō profeſſore*
*ſacre theologie eximio.*

In averſa pagina folii ejusdem impreſſa leguntur, quæ imprimenda fuerant averſæ paginæ tertii folii opuſculi ſequentis, & huic etiam denuo impreſſa ſunt. Ex hac circumſtantia manifeſtum eſt, Schelhornium in *Diatriba Præliminari ad card. Quirini librum de opt. ſcript. Edit. pag.* 25. ſub numeris 19 eosdem deſignaſſe libros, quos hic ſub numeris 1. & 2. indicavi: immo vix etiam dubitandum eſt, libros a Schelhornio ſub numeris 22. & 23. ibidem deſignatos eſſe eosdem cum libris hic ſub numeris 6, 7, 8, & 9 a me deſignatis. Porro opuſculum ſequens in fronte tituli loco litteris paulo majoribus hæc habet impreſſa:

*Incipit Tractatulus bon⁹ ejuſdē*
*de modo viuendi omniū fideliū*

idemque terminatur in averſa folii 30 pagina, linea 13. Tres ſequentes Tractatus ſeu opuſcula folia impreſſa implent quadraginta quatuor, & primæ ſequentis folii paginæ tredecim lineas cum dimidia. Hanc ſequitur ſubſcriptio: *Explicit dyalogus* &c. &c. Averſa pagina vacua eſt. Opuſcula ſeptem ſequentia a N. 6. — 12. ita cohærent, ut ſeparari alterum ab altero non poſſit. Quare dubium non eſt quin eodem tempore lucem aſpexerint publicam. Comprehenduntur ſimul omnia foliis 69. Poſtremum denique opuſculum, foliis impreſſis 53. comprehenſum, hanc habet inſcriptionem: *Pius papa ſecūdus eloquētiſſimus. q̄ obiit Anno M. cccc. lxiiij. in. Anchona. dū pficiſci pποſuerit contra Turcos. cōpoſuit. &c.* In fine vero nihil prorſus legitur adjectum. In hac porro epiſtola primo quidem perſuadere ſummus Pontifex conatur Mahumeti, ſpe ipſum vana potiundæ Italiæ lactari, tum vero eundem, ut ad chriſtiana ſacra tranſeat, primum quidem promiſſis, & propoſitis magnorum principum exemplis, deinde validiſſimis rationibus conatur permovere. Quamvis ſummus Pontifex in hac epiſtola validiſſima rationum momenta ſumma eloquentia exornaverit, nihil tamen profecit, quod rei eventus poſtmodum declaravit.

*GEORGIUS HUSNER, & JOHANNES BECKENHUB, Argentinenſes Typographi, de quibus ad annum* 1473. *ſub N. V. diſſerui, libros impreſſere ſequentes.*

VI. *Subtiliſſimi Pontificii Juris Interpretis. Jo. An. Liber Primus Addicionum Speculi. Judicialis Domini Guilh. Durantis Incipit Feliciter.* — in Fol.

Hæc verbotenus leguntur, litteris impreſſa majuſculis, in fronte operis, quod typis plane iisdem, quibus ipſum Duranti ſpeculum anno 1473. a Georrio Huſner, & Johanne Beckenhub Argentinæ excuſum, & a me ad h. a. N. V. deſcriptum, in duabus columnis impreſſum eſt. Cetera etiam pene omnia, quæ ad externam ſpectant formam, in duobus hisce operibus plane eadem ſunt. Primo additiones iſtæ in quatuor partes, ſeu libros, ut ipſum ſpeculum, ſunt diviſæ: Tituli etiam ſingulis ſunt libris præfixi. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, & litteræ initiales. Foliorum numeri in ſuperiori primæ cujusvis folii paginæ ſunt romano charactere impreſſi, iisdemque libri præfixus eſt numerus; e. g. LI. I. (i. e. liber primus) Fo. LXV. (i. e. folium 65.) ſunt etiam folia in ſingulis libris ſeorſim numerata, ita ut primus liber foliis conſtet impreſſis LXIII, ſecundus CVIII. Tertius non niſi X, quartus demum CXVXX. Poſteriorem numerum typographi per errorem poſuerunt, loco CXX. Tot enim revera conſtat foliis impreſſis liber quartus. Charta

eſt

eſt & in hoc opere firmiſſima, alba & munda. Chartarii quoque ſignum omnium frequentiſſime occurrens eſt littera D, quam ſtilus ex una parte in crucem, ex altera in annulum deſinens ſecat fere medium. Præter hoc ſignum aliquoties etiam obſervavi coronam. Quod vero chartæ attinet magnitudinem, ea quidem in poſteriori hoc opere minor eſt, quam in ipſo ſpeculo, ita ut quævis etiam columna minorem complectatur numerum linearum. Ad calcem operis hæc tantum adjecerunt typographi: *Addicōnes Johanniȝ Andree. ſuper ſpeculum iuris. expliciunt feliciter. Deo gracias.* Patet ex deſcriptione hactenus data, additiones iſtas quoad externam formam non differre ab ipſo ſpeculo Duranti, niſi in numero foliorum, & chartæ magnitudine. Nullus igitur dubito, quin ex eadem typographia, nec diu poſt ipſum ſpeculum, anno ſaltem 1474. prodierint in lucem.

## VII. *Aurelii. auguſtini. Iponenſiū p̄ſulis digniſſimi. liber de ɔflictu viciorum & virtutum. incipit feliciter.* in Fol. min.

Hæc verbotenus leguntur in fronte primæ primi folii paginæ. Opuſculum iſtud, octo foliis conſtans, litteris eſt impreſſum iisdem, quibus immediate præcedens opus. Quare nullus dubito, quin ex eadem typographia eodem circiter tempore prodierit. Litteræ initiales, ſignaturæ, Cuſtodes, paginarum numeri deſunt. Signum diſtinctionis unicum occurrit, punctum ſcilicet. Ad calcem paginæ ultimæ, quæ ſecunda eſt octavi folii, hæc tantum leguntur: *Laus deo.*

## VIII. 1) S. Auguſtini Liber de XII. abuſivis ſæculi. 2) Ejusdem ſententia, paucis lineis comprehenſa, de origine animæ, & 3) de divinatione dæmonum ſententia non nihil longior. 4) S. Anſelmi libri duo de eo, cur deus Homo? in Fol. min.

Quatuor hæc opuſcula characteribus iisdem, eidemque chartæ impreſſa ex eadem typographia ſimul prodiiſſe in lucem nemo vocabit in dubium, qui oculis illa ſuis adſpexerit. Characteres ſunt iidem cum characteribus operum duorum præcedentium. Signum interpunctionis unicum obſervavi, nempe punctum. Litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Primum opuſculum terminatur folio 7, averſæ paginæ linea 11. Sequens folium octavum opuſcula n. 2. & 3. complectitur, quæ quidem implendo huic folio non ſuffecerant, & amplum in utraque pagina ſpatium reliquerunt vacuum. Nono demum folio *Anſhelmi. Cantuario4 Archip̄ſulis. prefacio in librū cur deus homo. incipit feliciter.* Folio 26, pagina prima, linea 3. *Explicit primus liber. cur deus hō. Incipit liber ſcd'us, qui intitulat᷑. Cur deus homo.* Secundus liber folii 38, averſa pagina, linea 35. terminatur. Totidem quoque

que lineas paginá quævis integra complectitur, nempe 35; idemque eſt numerus linearum in præcedentis opuſculi quavis pagina integra.

**IX.** *Incipit ɔpendiũ lrãlis ſenſus totius biblie ſeu diuine ſcripture editũ a frẽ petro aureoli ordinis mino4. Etponit' ꝓmo ɔmendacõ ſacre ſcripture in g'nali.* — in Fol. min.

Quæ recitavi verba, in fronte paginæ averſæ folii primi leguntur. Auctor operis vergente ad finem ſæculo XIII. & initio ſæc. XIV. floruit, & plura reliquit ingenii ſui monumenta theologici argumenti. Fuit ex ordine minorum, & poſtquam theologicas diſciplinas in Pariſienſi ſchola docuiſſet, factus Archiepiſcopus Aquenſis obiit anno 1322. Opus præſens eſt breviarium quoddam eorum quæ in ſacra ſcriptura continentur. In novi tamen teſtamenti libris multo fuſiori uſus eſt calamo, librorumque argumenta, & œconomiam enucleatius expoſuit, quam id factum eſt in veteri teſtamento, præſertim in libris ejusdem hiſtoricis, & pentateucho. Litteræ ſunt eædem cum litteris, quibus impreſſa ſunt tria immediate præcedentia opera. Idem etiam eſt numeras linearum in quavis pagina, ſunt nempe triginta quinque, ut in opuſculis NN. VII. & VIII. Interpunctionis ſignum unicum occurrit, nempe punctum. Litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Charta eſt firmiſſima, munda tamen & alba. Totum volumen foliis impreſſis 147. conſtat. Ad calcem operis hæc habentur impreſſa: *Cõpendiũ lrãlis ſenſus toci⁹ diviẽ ſcptẽ tã biblie q3 alia4 ſuis caplis ꝓpulchre diſtinctũ & ut fert editum a venerando fratre petro aureoli ordinis mio4. Explicit feliciter.*

*Libri NN. X. — XVI. comprehenſi ex typographia CHRISTOPHORI VALDARFERI, Ratisbonenſis Bavari prodiiſſe videntur. Porro Chriſtophorus Valdarfer Venetiis primum annis 1470. & 1471, tum vero Mediolani plures impreſſit libros charactere cum romano elegautiſſimo; tum gothico etiam, ſuo in genere non minus eleganti. Epiſtolas Plinii ab eodem anno 1471. Venetiis excuſas N. VII. ad hunc annum, & Philelphi Satyras anno 1476. Mediolani impreſſas ad hunc annum N. II. recenſui.*

**X.** *Tractatus de doctrina dicendi & tacendi |ab albertano cauſidico| Brixenſi de ore beate agathe cõpoſitus. ſub anno ꝏ. ccc. Lv. feria quarta poſt vincula petri.* in Fol. min.

Hæc, tituli inſtar, in fronte primæ primi folii paginæ verbotenus leguntur. Statim vero ſequitur præfatio autoris, in qua opuſculum, decem conſtans foliis impreſſis, dividit in 6 partes ſecundum verſiculum illum *Quis, quid,*

*quid, cui dicas, cur, quomodo, quando requiras.* Litteræ ſunt oblongæ eæque non nihil pinquiores, &, ut videtur, fuſæ, non ſculptæ. Simillimæ litteris, quibus Jacobi Chartuſienſis tractatus de Apparitionibus animarum poſt exitum earum ex corporibus &c. recenſitus ad ann. 1475. N. VII. in oppido Burgdorf impreſſus eſt. Verum littera Jod majuſcula in duobus hisce tractatibus eſt oppido diverſa. Exſtat autem in Bibliotheca electorali Monacenſi Confeſſionale Bartholomæi de Chaimis, nota loci & anni deſtitutum, ſed nomen typographi, Chriſtofori Valdarfer habens impreſſum. Porro litteræ, quibus impreſſum eſt hoc confeſſionale, ſunt prorſus eædem cum litteris quibus impreſſus eſt præſens Albertani Cauſidici tractatus, ut datis ad me litteris teſtatus eſt cl. Steigenberger, eidem Bibliothecæ electorali Præfectus, qui opus utrumque adcuratiſſime inter ſe contulit. (*a*) Haud abs re igitur & præſentem tractatum, & ſequentia opera NN. XI. — XVI. comprehenſa, utpote litteris impreſſa plane iisdem Chriſtophoro Valdarfero licet attribuere. Redeamus nunc denuo ad Tractatum præſentem Albertani Cauſidici. Deſunt litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Interpunctionum ſigna duo occurrunt, nempe punctum, & linea oblonga ſupra & infra lineam prominens, hujus formæ: *Tacendo*|. Pagina quævis integra lineas complectitur triginta duas. Plures hujus opuſculi editiones, quarum prima Lovanii anno 1485. facta eſt, laudat Orlandi in libro, cui titulus eſt: *Origine e Progreſſi della ſtampa.* At vero de noſtra, quæ forte omnium prima eſt; nihil habet, nec apud alium ſcriptorem ejus reperi mentionem.

## XI. Johannis Gerſon Alphabetum divini amoris. in Fol. min.

Opuſculum iſtud, viginti conſtans foliis impreſſis, nullam habet inſcriptionem, vel titulum. Characteres ſunt iidem cum characteribus opuſculi N. X. recenſiti. Caret litteris initialibus, cuſtodibus, ſignaturis, paginarum numeris. Diſtinctionis ſignum occurrit unicum, nempe punctum. Ad calcem primæ ultimi folii paginæ leguntur ſequentia: *Explicit Alphabetū divini amoris. de elevatione mentis in deum. venerabilis magiſtri Joh. Gerſon Cancellarii pariſienſis.* Auctor opuſculi, quod incipit: *Ad honorem omnipotentis dei. aliquos modos & vias p elevatione mentis in deū: ppono ɔſcribere &c.* in Prologo iſto inter auctores, qui de eadem materia ſcripſerunt, citat etiam Joh. Gerſonem his verbis: *Item Joh. Gerſon Cancellarius pariſieñ. Dicit q̄ ad dei timorem pervenitur etiam &c.* Quare huic non recte idem adſcribitur.

XII.

(*a*) Detexi hisce primum diebus Breviarium Eyſtettenſe, anno 1483. juſſu Wilhelmi Epiſcopi, ex nobiliſſima familia de Reichenau, per Georgium Ryſer (Euſtadii, an alibi, non memoratur?) impreſſum. Porro in hoc Breviario litteræ majoris Alphabeti ſunt prorſus eædem cum litteris, quibus impreſſa ſunt cum hoc opuſculum, tum ſequentia ſex opera. Poſſent hæc igitur eodem fors jure attribui Georgio Ryſer. Verum & illud eſt obſervandum, fieri potuiſſe, ut iisdem typis plures uterentur typographi, præſertim ſi non ſculpti ſed fuſi ſint, ut ego exiſtimo.

## XII. Liber S. Auguſtini de Meditatione. in Fol.

In fronte primæ primi folii paginæ hic legitur titulus: *Incipit liber p locutionis beatiſſimi patris noſtri Auguſtini & ejus 9templatione.* Sequitur ipſius S. Auguſtini in hunc libellum præfatio, quæ lineas novem & partem decimæ implet. Totum opuſculum litteris oblongis paulo majoribus iisdem nempe, quibus opuſcula duo præcedentia impreſſum tredecim folia integra, & decimi quarti lineas quinque ac ſextæ partem implet. Subſcriptio adjecta eſt ſequens: *Explicit liber de meditatione beatiſſimi patris noſtri Auguſtini. deo gratias.* Litteræ initiales (tres autem tantum erant formandæ) cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Diſtinctionis ſigna duo occurrunt, nempe punctum & linea, ut n. X.

## XIII. Hugonis a S. Victore libri ſeptem Didaſcalicon, & liber ſententiarum ſeu aſſertionum cum aliis quibusdam opuſculis. in Fol. min.

Auctor operis, ſecundum communiorem ſententiam, ex familia nobiliſſima dominorum de Blankenburg in inferiori Saxonia progenitus inſtitutum canonicorum regularium Pariſiis in Abbatia S. Victoris profeſſus eſt circa annum 1115. In Philoſophicis & Theologicis diſciplinis adeo excelluit, ut alter Auguſtinus, & Auguſtini lingua diceretur. Obiit anno 1140. Ex ejus operibus, quæ plurima reliquit, duo præcipua præſens exhibet editio. Et primum quidem in ſeptem libros diviſum eſt. In primo agit de ſtudio legendi, in 2do de diviſione artium, ſeu Philoſophiæ in varias diſciplinas, in 3tio de ordine & modo legendi, in 4to de ſtudio ſacrarum ſcripturarum, in 5to de proprietatibus ſcripturæ ſacræ, in 6to de modo & ordine legendi eandem, in 7mo demum de meditatione, ſeu conſideratione rerum creatarum: & ipſius dei unius, & trini, ac lucis inviſibilis. Libro ſeptimo acceſſerunt in hac editione tractatus ſequentes 1) de anima Chriſti, 2) de Cibo Emmanuelis, putyro nimirum, & melle, 3) de laude caritatis duplex, 4) de contemptu mundi, 5) de ſtudio orandi & diverſis orationum affectibus, 6) de Lia & Rachel uxoribus Jacobi, & ejusdem concubinis Bala & Zelpha, nec non filiis ex his progenitis. Liber aſſertionum, ſeu ſententiarum varia complectitur inprimis plurimorum pſalmorum expoſitionem, & quam plurima alia ad plurimorum ſcripturæ ſacræ locorum, nec non doctrinæ moralis elucidationem ſpectantia. Et hæc quidem de argumento operis: nunc de præſenti diſſeram editione.

In averſa primi folii pagina *Incipiunt capitula ſeptem libro4 didaſcalon magiſtri hugonis prioris ſancti victoris &c.* Capitula hæc, ſeu capitulorum potius tituli terminantur in prima pagina folii tertii, linea 25. In averſa pagina

ejus-

ejuſdem folii *Incipiũt capitula ſequentis opis — — — de ſententiis &c.* Et hæc quidem in averſa pagina folii ſexti, linea 18. terminantur, hac ſubſcriptione adjecta: *Et ſic eſt finis regiſtri libri ſententia4 vel aſſertionũ ꝛc.* In fronte demum folii ſeptimi *Incipit didaſcalon. magiſtri hugonis. de ſtudio legēdi. Duo eſſe precipua quib⁹ ad ſcientiã quiſq3 inſtruitur.*]. Litteræ ſunt eædem cum litteris trium opuſculorum præcedentium. Interpunctionis ſignum aliud non occurrit, quam punctum, & ſignum interrogationis. Deſunt ubivis litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Papyrus admodum alba & munda eſt, inſuper firmiſſima. Pagina quævis nullo titulo interrupta lineas impreſſas 33. complectitur. Totum vero volumen, computatis ſimul ſex foliis, quæ capitulorum indicem continent, foliis impreſſis 244. conſtat. Cl. Zapfius, qui in Augsburgs Buchdruckergeſchichte pag 142, eandem excitat editionem, ſex folia indicem complectentia non adnumeraſſe videtur, dum adfirmat, foliis totum volumen conſtare 238. Idem non dubitat adfirmare, editionem hanc a Gunthero Zainer circa annum 1470 fuiſſe excuſam. Neſcio quibus innixus fundamentis hoc adfirmet. Nullam certe aſſerti rationem allegat. Characteres ſaltem cum characteribus Guntheri Zainer, quorum quinque genera ipſe cl. Zapfius aeri inciſa exhibet, parum concordant. Jure potiori Chriſtophoro Valdarfero eandem attribuo propter litterarum ſcilicet ſimilitudinem. Conf. dicta ad N. X.

## XIV. Mammotrectus, ſeu Expoſitio vocabulorum quæ in Bibliis, Hymnis Eccleſiaſticis, Homiliis per anni curſum publice legendis &c. occurrunt. in Fol. magn.

Opus iſtud ſine auctoris nomine ſæculo XV. ſæpius typis excuſum eſt. Quare auctor diu latuit. *E Regio Lepidi ortum, quæ civitas prope abeſt Mutina, appellatumque Marcheſinum ex ordine Minorum, ac floruiſſe in Provincia Bohemiæ & Cuſtodia ferrariæ circa annum MCCC. auctor eſt Waddingus* (de ſcriptor. Minorum) *Sixtus vero Senenſis* (in Bibliotheca) *vixiſſe ann. M. CCCCL. ſcribit.* Ita *Du Cange* in *Præfat. ad Gloſſar.* n. L. Opus ipſum plerumque Mommotrectus, interdum Mammotractus, vel Mammætractus, vel etiam, ut iu præſenti editione, Mammetractus inſcribitur. Mammothreptus (ex gr. μαμμοθρεπτος enutritus, educatus ab Avia) ex ipſius auctoris ſententia rectius non nullis in libris ſcribitur. Ita enim auctor ipſe in Prologo ad lectorem ſcribit: *Et quia morem gerit talis decurſus pedagogi, qui greſſus dirigit parvulorum, mammetractus poterit appellari.* Explicantur in hoc libro primum vocabula, quæ quidem auctori viſa ſunt difficiliora, in ſingulis ordine libris Sacræ Scripturæ & S. Hieronymi præfationibus occurrentia: tum vera ea, quæ in Hymnis Eccleſiaſticis, legendis Sanctorum, Homiliis Sanctorum Patrum &c. occurrunt. Sed rudes oportet fuiſſe Clericos, quibus explicationes vocabulorum latinorum a præſentis operis auctore propoſitæ aut opus erant,

aut ſatisfaciebant. Sed nihil amplius de ipſo opere, ſed de præſenti jam editione diſſeramus, quam a nemine hactenus excitatam memini. Characteres iidem ſunt cum characteribus quibus impreſſum eſt opus immediate præcedens. Quare ego quidem nullus dubito, quin ex typographia eadem & circiter eodem tempore prodierit. Interpunctionis ſignum nullum occurrit, niſi punctum. Deſunt ubivis litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones. Charta magna eſt, & firmiſſima. Chartarii ſigna ſunt varia. Omnium frequentiſſime, multo frequentius quam cetera omnia ſimul ſumpta, occurrit Littera D, quam ſtilus ſecat ex una parte in annulum, ex altera in crucem deſinens. Sæpius occurrit Roſa, ſeu ſi mavis, flos alius ſine ſtilo octo plerumque foliorum. Non niſi ter, quaterve, uvam, nec niſi ſemel, ſtrigilem obſervavi. Paginæ ſingulæ in duas columnas diviſæ ſunt. Columna quævis integra lineas impreſſas 47. complectitur. Totum vero volumen foliis impreſſis 151. conſtat. In prima primi folii columna *Incipit p̄ſatio in mām̄etractū.* Hæc vero Præfatio non eſt ipſius auctoris, ſed ejus, qui præſentem curavit editionem, anonymi. In averſa pagina folii ejusdem legitur regiſtrum materiarum eo ordine concinnatum, quo ipſæ occurrunt. Terminatur regiſtrum in prima ſequentis folii columna, linea 24. Quod ſupereſt hujus folii ſpatium, vacuum eſt. De hoc indice illud neceſſario monendum eſt, typographum circa finem operis non eum obſervaſſe materiarum ordinem, qui in hoc indice deſignatur. Nam ſecundum hunc indicem poſt vocabulorum in Pſalterio, quod in hac editione ultimum inter libros Biblicos utriusque teſtamenti locum occupat, hic eſſet ordo materiarum. *De legendis ſanctoꝝ. de ſermonibus & omeliis de tēpore, de reſponſoriis & antiphonis. de ymnis. de menſibus hebreoꝝ. & aliis quibusdam notalibus.* (ſic) *de orthographia. de accentibus. declaracio regule ſancti Franſciſci.* (ſic) At vero typographus expoſitioni vocum in Pſalterio occurrentium immediate ſubnexuit vocum explicationem in Hymnis, & ceteris ſequentibus. Declarationi vocum in Regula S. Franciſci demum ſubnexa eſt vocum explicatio in legendis Sanctorum, & homiliis Patrum. De Reſponſoriis & Antiphonis nihil in hac quidem editione occurrit. In prima columna tertii folii auctoris legitur præfatio, quæ ſine ullo titulo incipit *mpatiēs ꝓprie imperitie ac ruditati cōpatiens pauperum clericoꝝ &c.* Videtur hæc editio omnium prima eſſe, vel ſaltem Moguntinæ anni 1470, cujus meminit Du Cange loc. cit., coæva. Sane qui editionem hanc noſtram curavit anonymus, in præfatione eidem præfixa ita loquitur, ut libri iſtius jam ante typis excuſi nullam habuiſſe notitiam videatur. En ipſa ejus verba: *Cui malo* (codicum nempe diſcrepantiæ variorum &, quæ inde naſcitur, opinionum diverſitati) *quātum ad præſens opuſculum etſi non in toto ſaltem in tanto viſum eſt poſſe remedium miniſtrari. ſi per impreſſionis beneficium nouū quodāmodo opus cuderetur ex veteri &c.* Quod ſi jam ante typis excuſum fuiſſet iſtud opus, ejus rei mentionem editor feciſſet. Nec ignoraſſe etiam cenſendus eſt editionem, ſi qua exſtitit. anteriorem, præſertim ſi pluribus ante annis ea prodiiſſet in lucem. Quam infra (n. 97.) recenſebo ejus-

dem

dem operis editionem, celeberrimus Schwarzius, apud Altorfinos olim Profeſſor in hoc litteraturæ genere verſatiſſimus, omnium primam judicavit, forte quod modo recenſitam ignoraverit. Mihi certe recenſenda inferius videtur iſta recentior eſſe.

## XV. S. Bernhardini Senenſis, ord. Min. Sermones de contractibus & uſuris. in Fol. min.

Sermones iſti ſunt typis iisdem impreſſi, quibus opera immediate præcedentia. Quare ex eadem typographia non diu alterum poſt alterum prodiiſſe videntur. Initio ſtatim exhibetur tabula ſermonum, ex qua argumentum, & diſpoſitionem eorundem diſcimus, foliis impreſſis ſeptem comprehenſa. Octavo demum folio incipit *Tractatus de ꝯtractibus & uſuris. ſcdm ſanctū Bernhardinū de Senis. ordinis ſratꝝ minoꝝ. Et primo ponit' ordo dicēndoꝝ in matia dictoꝫ ꝯontractuū & vſuraꝝ ſabbato poſt terciā dñicā in quadrageſima. De origie dñioꝝ & reꝝ trāſlacōe.* In prima pagina cujusvis folii numerus ejusdem, e. g. *Fol. X.*, in averſa autem pagina ſermo indicatur, e. g. *Ser. XXXII.* Deſunt ubivis cuſtodes, ſignaturæ, litteræ initiales. Interpunctionis ſignum nullum occurrit, niſi punctum. Rariſſime linea occurrit, ſimilis illi, cujus memini ad N. præced. X. Volumen integrum conſtat foliis numeratis CLXII. (162.) ſed his addenda ſunt ſeptem folia impreſſa tabulam complectentia materiarum. In fine voluminis hæc tantum leguntur: *Laus & honor deo.*

## XVI. Summa, ſeu libri quatuor. S. Thomæ Aquinatis contra gentiles. in Fol. magn.

Typi ſunt prorſus iidem cum typis quibus impreſſa ſunt opera immediate præcedentia ſex. Libris ſingulis præmiſſa ſunt brevia capitum argumenta, in duabus columnis, ut ipſum opus, impreſſa. In fronte primi libri, qui incipit folio ſecundo, hæc leguntur impreſſa: *Incipit liber primus de vitate catholice fidei. ꝯtra errores infideliū. Editus afrē Thoma de Aquino | ordinis fratrum ꝑdicatoꝝ.* Terminatur liber primus in prima columna folii quadrageſimi, linea 17; ſecundus folio 99, columna prima, linea 31, tertius folio 185, columna ſecunda, linea 32, quartus demum fol. 247, columna quarta, linea 36; cui hæc tantum verba ſubjecit typographus: *Laus & honor deo.* Deſunt in hoc opere litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Præter punctum nullum interpunctionis ſignum obſervavi. Charta eſt firmiſſima, ſed minus alba & polita. Chartarii ſignum omnium frequentiſſime occurrens eſt Roſa. Aliquoties ſolum obſervavi uvam, quin & ſtrigilem. Quævis columna, paucis exceptis, lineas impreſſas 49 complectitur. Non memini, ab ullo Bibliographo hujus editionis factam eſſe mentionem.

*CONRADO FINER Eslingenſi Typographo ſequentes libros attribuo.*

XVII *Queſtiones quas egregius ſacre theologie profeſſor Heinricus de Gorichem cum ſuis ppōibꝫ & correlariis more poſitionū reſpōſalium in partibꝫ doctoris ſancti fabricavit & ordinauit numero & ordine ꝯtinent̄ tali preponēdo cuilibet parti ſeorſum ſuas quas cōntinent queſtioes & pᵐo parti prime.* in Fol. magn.

Quæ modo recitavi, verbotenus leguntur in prima averſæ paginæ folii primi columna, eademque immediate excipit index quæſtionum, quas in prima parte ſummæ S. Thomæ auctor enucleandas ſibi ſelegit. In prima columna folii ſecundi ipſum opus incipit ſine ullo titulo, aut inſcriptione. Deſunt initiales litteræ quæſtionum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Nullum etiam occurrit interpunctionis ſignum, niſi punctum, quod ipſum deeſt ſæpiſſime. Litteræ ſunt gothicæ, minus pinques, atque eædem plane, quibus Conradus Finer anno 1474. poſtillam S. Thomæ Aquinatis in Job Eslingæ excudit. *Conſ. N. XX. ad ann.* 1474. Harum litterarum ſpecimina & integra alphabeta nuperime æri incidenda curavit cl. Steigenberger tab. III. vid. ejusdem literariſch⸗kritiſche Abhandlung über die zwo älteſte gedruckte deutſche Bibeln ꝛc. Inde probabiliſſimum mihi eſt, opus præſens eadem ex typographia circa idem tempus, vel fortaſſis jam ante annum 1474 prodiiſſe in lucem. Solebant nempe typographi veteres primos fœtus ſuos ſine ſuo nomine in lucem emittere. Charta eſt firmiſſima nullo alio inſignita chartarii ſigno, quam roſa, quæ diverſæ magnitudinis eſt. Terminatur opus in prima folii 175. columna, linea 64, cui hæc ſola vox, *Amen*, ſubjecta eſt, & nihil præterea. Auctor natione Batavus a vico natali Gorkum cognomentum traxit. Circa annum 1430 ad Academiam Colonienſem evocatus primum Philoſophicas, deinde Theologicas tradidit diſciplinas, magnamque cum docendo, tum ſcribendo nominis gloriam ſibi comparavit. Academiæ Colonienſis Vicecancellarius effectus ad annum usque 1460 floruit. *Conſ. Caſimir. Oudin. Commentar. de Scriptor. Eccleſ. Antiq. Tom. III. Col.* 1378.

XVIII. S. Thomæ Aquinatis Catena Patrum in quatuor Evangelia. in Fol. magn.

Pagina quævis in duas columnas diſtincta eſt. In prima primi folii columna incipit, ſine ullo titulo, aut inſcriptione, auctoris Dedicatio Catenæ in Matthæum ad Urbanum IV. R. P. quæ terminatur in ſecunda ejusdem folii columna, linea 28. Textus ipſe evangeliorum eſt gothico charactere admodum luculento, & pinqui impreſſus. Litteras quoque initiales magnas

initio

initio ſingulorum capitum ipſe typographus adjiciendas curavit, easque ligno inciſas. Catena ſeu Patrum expoſitiones iisdem ſunt litteris impreſſæ, quibus opus immediate præcedens. Idem etiam in utroque opere numerus linearum in quavis columna, nullo titulo, aut textu, qui, ut dixi, charactere majori impreſſus eſt, interrupta: chartæ eadem magnitudo, & indoles. Præter roſam vero, quæ in opere præcedenti unicum eſt chartarii ſignum, in hoc aliquoties occurrit ſtrigilis, minus frequenter uva. Nullus igitur dubito, quin & hoc opus Eslingæ a Conrado Finer circa idem tempus vel paulo poſt fuerit typis vulgatum. Meam de loco impreſſionis conjecturam noſtri exemplaris rubricator, isque, ut ex characteribus colligo, coævus egregie confirmat. Is enim ad calcem catenæ in Marcum rubro colore hæc verba adſcripſit: *Anno LXXVI. ſabbo' poſt aſcenſionem dni impreſſum eſt hoc opus in Eſſlingen.* Conſtat volumen integrum foliis impreſſis 417. Deſunt ubivis cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, quos rubricator etiam non ſatis exacte adſcripſit. In ſuperiori margine notatur nomen evangeliſtæ, & numerus capitis, e. g. *Mattheus Ca. XXII.* Ceterum in hac editione eadem continentur, quæ in editione ejusdem operis ad ann. 1475. N. XXII. deſcripta. Ad calcem vero totius operis in prima columna averſæ paginæ folii 417. hæc legitur ſubſcriptio typis excuſa iisdem, quibus ipſe textus evangeliorum: *Ad omnipotentis dei laudem & gloriam nec non profectum & utilitatem ſalvandorū omnium liber catena alias continuum ſiue gloſa cōtinua nuncupatus & intitulatus per ſacre theologie profeſſorē egregium ſanctum thomam de aquino Ex ſacris katholice fidei Doctoribus Auguſtino Ieronomo* (ſic) *Gregorio Ambroſio Beda Criſoſto. Hylario Rabano Iſidoro Origene. Maximo Cirillo Baſilio Euſebio Haymone Tito Theophilo Severiano Damaſce. Greco Didimo Epiphanio. Athanaſio. Gloſa ordinaria collationibus patrū & geſtis cōcilij. epheſini ſuper doctrinam evangelicam diffuſe ſcribentibus in unum conkatenatum Non tantum literalem ſed & ſpiritualem preſtans intellectum aureum ex quo nedum litera ex apoſtolica doctrinaque occidit ſed ſpiritus ſumitur viuificans ſpiritualis ſcientie cognitionem Sitienti Potū porrigēs cujus miſterium non verbo ſonū ſacre docente ſcripture ſed ſpiritu revelatur Sancto Feliciter finit ꝑ cujus felici ꝯſumacōe ſit Laus & gloria Xp̄o. Amen.* Cl. Georg. Wilh. Zapfius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte pag. 140. ejusdem operis aliam laudat editionem nota anni, loci, typographi deſtitutam, quam ex mente eruditiſſimi Franciſci Kriſmer Chartuſiani Buxheimenſis quondam, Gunthero Zainer attribuit. Subſcriptio, quam Zapfius ibid. excitavit, in plerisque convenit cum ſubſcriptione noſtræ editioni adjecta. Sed differt tamen in non nullis.

**XIX. Henrici de Gorihem Theolog. Profeſſoris duo tractatus 1) de caſibus quibusdam ſuperſtitioſis 2) de celebratione feſtorum. In 4to.**

Litteræ alphabeti majoris prorſus eædem eſſe videntur cum litteris duorum operum præcedentium: Litteræ vero alphabeti minoris ſunt non nihil pinquiores. Quare vix dubito, quin & hæc duo opuſcula a Conrado Finer typis excuſa fuerint. Sane eorundem exemplar, pergameno impreſſum, quod exſtat in Bibliotheca Monaſterii Imperialis Weingarten in Suevia, ad calcem opuſculi prioris coæva manu adſcripta hæc verba exhibet: *per Cunradum Finer*. Opuſculo autem poſteriori itidem manus coæva colore rubro notam anni 1473 adſcripſit. Vid. Zapfs Reiſen in einige Klöſter Schwabens ꝛc. pag. 30. Quod reliqua attinet, quæ ad externam ſpectant formam: initiales litteras ipſe typographus adjecit, excepta prima cujusvis tractatus. Signaturæ vero, cuſtodes, paginarum numeri, & inſcriptiones deſunt. Occurrit etiam unicum interpunctionis ſignum, nempe punctum. In fronte prioris tractatus hæc leguntur impreſſa: *Incipit tractatus de ſupſticioſis q̄busdā caſibuȝ ꝯpilatus ī alma univerſitate ſtudii colonienſis ꝑ venerabilē mḡrm Heinricū de Gorihem ſacre theologie ꝓfeſſorē eximium.* Terminatur hic tractatus in averſa pagina folii 9, linea 18, cui hæc ſubjecta ſunt verba: *Explicit tractatus de ſupſticioſis quibusdam caſibus.* In fronte ſequentis paginæ *Incipit tractatus de celebratōne feſto4.* In averſa autem pagina folii 18, linea 13 idem tractatus finitur, & hanc habet ſubſcriptionem: *Explicit tractatus cuiꝰ ſupra de celebratōne feſto4.* Tractatus quilibet in propoſitiones diviſus eſt, quibus caſus illa ætate frequentius, ut videtur, quam hodie obvii reſolvuntur.

*JOHANNES GENSBERG, qui Romæ circa ann.* 1473 *&* 1474 *typographicam artem exercuit, librum impreſſit ſequentem nota loci & anni deſtitutum.*

**XX. *Incipit peculiū excellentiſſimi legum & decretorum doctoris domini Baldi magiſtri Franciſci de Peruſio.* in Fol.**

Eſt lexicon juridicum ſelectum, ordine alphabetico concinnatum, in quo tamen deſunt voces omnes a littera *E* incipientes, & quidem impreſſoris ipſiusmet negligentia. Voces enim a D incipientes immediate excipiunt voces incipientes ab F, & quidem in eadem columna. Quæ tituli loco recitavi verba, leguntur impreſſa in fronte primæ columnæ primæ paginæ. Opus in duabus columnis charactere romano pereleganti, & chartæ plane nitidiſſimæ impreſſum eſt. Initiales litteras parvas ipſe typographus adjecit. Signaturæ vero, cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Totum volumen non niſi 38 foliis impreſſis conſtat. Ad calcem hæc legitur ſubſcriptio: *Explicit Peculium excellentiſſimi legum nec non decretorum doctorꝰ*

*domi-*

*domini Baldi Magiſtri Francíſci de Peruſio angelicó intellectu illuſtrati Impreſſumq3 p Magiſtrum Jo. Genſberg ꝛc.*

*JOHANNES MENTELIN, qui inter primos Argentinæ Typographos magnum ſibi nomen fecit, & jam circa annum 1466 Biblia edidit germanica, quatuor etiam libros ſequentes typorum formulis excudiſſe videtur.*

## XXI. Pauli Burgenſis Scrutinium ſcripturarum. In Fol. min.

De opere ipſo & auctore ſcitu neceſſaria dixi ad annum 1475. N. XXVI. Præſens editio gothico charactere admodum rudi, qui magnam habet ſimilitudinem cum charactere ſummæ Aſtexanæ a Mentelio, ut creditur, circa ann. 1469. impreſſæ, cujus ſpecimen exhibet Schöpflinus in *Vindic. Typograph. Tab. IV.* Impreſſa eſt chartæ albæ & firmæ. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Interpunctionis ſignum occurrit unicum, nempe punctum. In fronte operis eadem leguntur verba, quæ in editione ann. 1475. Volumen integrum conſtat foliis impreſſis 215. Pars prima operis terminatur in prima pagina folii 130, linea 34, cujus ultima verba ſunt: *Explicit pma pars.* In fine ſecundæ, quæ terminatur in averſa pagina folii 215, linea 39, nihil prorſus legitur adjectum, præter hæc verba: *Deo gracias*, quæ ultima ſunt lineæ 39. Totidem etiam lineas quævis pagina, nullo titulo interrupta, complectitur. Joh. Georgius Schelhornius in *Diatribe præmiſſa Cardinalis Quirini libro de optimorum ſcriptorum editionibus* pag. 21. hanc editionem inter primos recenſet libros, qui typis mobilibus ſculptis impreſſi ſunt. Eſſe antiquiorem editione Mantuana ann. 1475. nullus dubito: quin forte antiquior eſt illa, quam P. Laire in *Specimine Typographiæ Romanæ* pag. 133. ab Udalrico Han ante annum 1470 excuſam eſſe adfirmat. Exſtat ejusdem editionis exemplar Ratisbonæ in Bibliotheca civitatis, quod deſcripſit cl. Gemeiner in Nachrichten von den in der Regensburgiſchen Stadtbibliothek befindlichen merkwürdigen Büchern ꝛc. pag. 77.

## XXII. Guidonis Baiiſi (dicti alias de Baiſo vel Bayſo, immo etiam de Baypho) Roſarium Decretorum in Fol. max.

Auctor in Præfatione ſeu Dedicatione operis, quod vaſtiſſimus eſt in decreta commentarius, maximam partem, ut ipſe teſtatur, ex aliorum lucubrationibus compilatus, ad Gerardum Epiſcopum Sabinenſem ſe ipſum Guidonem de Baiiſio, Bononienſem, laudati Epiſcopi Archidiaconum, Clericum, & Capellanum adpellat. In Epiſtola ad eundem, quæ ad calcem operis legitur, ipſe quoque teſtatur auctor, ſe opus iſtud abſolviſſe anno 1300 die 25. Januarii. Exſtat altera ejusdem editio cum nota anni 1481 Venetiis excuſa per Joh. de Seligenſtadt, Allemannum ductu & auſpiciis Joh. de Colonia,

Nico-

Nicolai Jenſon, & ſociorum. Hanc in Bibliotheca academica pariter exſtantem, deſcribam, cum ad annum 1481. pervenero. Nunc de præſenti diſſeram editione, quæ nota anni, loci, & typographi deſtituta eſt, editione veneta pluribus annis, ut videtur, antiquior. De veneta anni 1481. interim conferri poteſt *Weiſlinger in Armamentar. Catholic.* pag. 222.

Editioni, de qua agimus, nullus præfixus eſt titulus, nulla inſcriptio. Paginæ ſingulæ in duas columnas diviſæ ſunt. In prima primæ paginæ columna paulo ante medium paginæ ſine ulla inſcriptione incipit epiſtola auctoris dedicatoria ad Gerardum Sabinenſem Epiſcopum his verbis: *Euerendo in Criſto patri ſuo dño Gerardo dei grã Epo ſabinenſi Guido de baiiſio bonoñ Archidiaconus ſuus Clericus & Capellã⁹ &c. &c.* Litteræ ſunt admodum rudes, formæ gothicæ, & magnam habent ſimilitudinem cum litteris, quibus ſumma Aſtexani a Mentelio, ut creditur, circa annum 1469. Argentorati excuſa eſt, quarum ſpecimem Schöpflinus *Tab. IV.* in *vindiciis Typograph.* exhibet. Videntur vero prorſus eœdem cum litteris, quibus impreſſum eſt Scrutinium Scripturarum Nro. præced. recenſitum. Quare admodum probabile mihi videtur, circa eundem annum noſtram præſentis operis editionem in eadem typographia curatam fuiſſe. Habet ea certe inſignes ſummæ antiquitatis notas. Nam deſunt ubique tituli & Inſcriptiones. Capita, diſtinctiones, & aliæ operis ſectiones minores plerumque, breviter indicantur ſic, e. g. *Di. XXX. Q.* 11. *C.* 1. Litteras initiales parvas typographus nunc adjecit, nunc omiſit, videtur tamen ſæpius adjeciſſe, quam omiſiſſe. Signaturæ, cuſtodes, paginarum numeri, & inſcriptiones ubique deſunt. Præter punctum nullum occurrit interpunctionis ſignum. Abbreviaturæ ſunt frequentiſſimæ. Charta eſt maxima, & firmitate pergamenum fere adæquat, alba ceteroquin, & munda. Chartarii ſignum aliud non occurrit, quam caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. Idem omnium frequentiſſime occurrit in Scrutinio Scripturarum N. præced. recenſito. Columna quævis, quotquot numeravi (numeravi autem quam plurimas) lineas ſeptuaginta duas complectitur. Sunt tamen margines ampliſſimi. Ex hoc de magnitudine chartæ ferri poteſt judicium. Volumen integrum 402. foliis impreſſis conſtat. Ad calcem hæc tantum leguntur impreſſa: *Explicit Roſariũ dñi Guidonis Archydiaconi Bononie ſup decreto.*

## XXIII. S Auguſtini de civitate Dei libri XXII. cum commentariis Thomæ Valois & Nicolai Trivet. In Fol. magn.

Hæc editio, ut illa ad ann. 1473. N. VII. deſcripta, duabus conſtat partibus, textu nimirum S. Auguſtini, qui litteris majoribus impreſſus eſt, & commentariis, qui charactere minori ſeorſim impreſſi ſunt. Porro litteræ ſunt prorſus eædem cum litteris, quibus Johannes Mentelin librum quartum

S. Au-

S. Auguſtini de doctrina chriſtiana, & S. Joh. Chryſoſtomi Homilias in Matthæum Argentorati impreſſit, quasque æri inciſas videre eſt in Tab. I. adnexa cl. Gerhohi Steigenberger literariſch = kritiſchen Abhandlung über die zwo allerälteſte gedruckte Bibeln ꝛc. Litteris nimirum n. 1. & 2. Textus S. Auguſtini, litteris vero n. 3. & 4. in eadem Tabula exhibitis commentarii ſunt impreſſi. Conf. laudata Steigenbergeri diſſertatio pag. 19. & 20. Nullus igitur dubito, quin ex Mentelii typographia argentoratenſi hoc opus prodierit. Cum Mentelius anno 1478. obierit, ad hunc ſaltem annum hæc editio pertinere dignoſcitur. Videtur autem eſſe multo antiquior, & forte jam ante annum 1470 excuſa. Habet certe ſummæ antiquitatis notas, ut ex ſequenti deſcriptione patebit.

Quævis pagina in duas columnas diſtincta eſt. Columna quævis in textu lineas 47, in commentariis 57. complectitur. Nec in fronte operis, nec initio librorum aut capitum, ullus legitur titulus, aut, inſcriptio, adeo, ut capitum, librorumque initia & finis ſolo ſpatio vacuo, & eo quidem plerumque exiguo inter præcedentem, & ſequentem librum aut caput relicto diſtinqui poſſint. Atque hæc quidem tam de textu, quam de commentariis valent. Attamen ad calcem libri XVIII. hæc leguntur impreſſa: *Explicit libe'. xviiij.* (ſic) *ſācti auguſtini epiſcopi de ciuitate dei. Incipiunt Capitula libri xix. a beato auguſtino editi de ciuitate dei.* Libro igitur decimo nono primo omnium præfixa ſunt capitula, uti etiam tribus reliquis libris. Sæpe decurtatis textus lineis, ſicque relicto ſpatio vacuo quædam in eodem reperiuntur impreſſa, quibus monetur lector, qua de re in textu agatur. Exemplo ſint capitis quarti libri primi duodecim priores lineæ:

*pſa ut dixi troia mat' ppli' roma*
*nī ſāctis locis deo4 ſuorū munire*
*nō potuit ciues ſuos ab ignibus*
*ferroq3 greco4 eoſdē ipos*
*deos colenciū quin eciam*
*iunōis aſylo cuſtodes lec*
*ti ſenix et durus ulixes*
*predū aſſuabāt. Huc un*
*diq3 troia gaza incenſis.*
*erepta aditis mēſe q̄ deo4*
*crateresq3 auro ſolidi captiuaq3 veſ:*
*tis cōgerit[a] pueri et pauide longo ordine*

*De troia mr̄e*
*rome et de fal*
*ſis diis eius et*
*de aſylo iuno*
*nis et iouis*

Litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri pariter deſunt. Interpunctionis ſignum paſſim occurrens eſt punctum: rarius duo puncta obſervavi. Charta eſt firmiſſima inſtar pergameni. Chartarii ſignum aliud non obſervavi, quam litteram D, quam ſtilus ſecat ex una parte in crucem duplicem deſinens, illi ſimillimum, quod Schöpflinus in *Vindic. Typograph.* pag. 44. in Aſtexani Menteliani, & Bibliorum Eggeſteinii chartis comparere adfirmat. In fine libri XXI. nihil aliud legitur, quam verſus ſequens:

Q *Finito*

*Finito libro ſit laus & gloria Criſto.*

In fine commentariorum additus eſt index alphabeticus materiarum, qui decem folia, vix non integra, implet. Ad finem hujus indicis hæc tantum leguntur impreſſa:

*Explicit Tabula.*

Patet ex deſcriptione hactenus data, editionem hanc eſſe antiquiſſimam, antiquiorem editione ad annum 1473. N. VII. deſcripta, & forte omnium primam cum commentariis. Ceterum exemplar noſtrum eſt optime conſervatum, & litteras initiales auro diſtinctas, variisque coloribus elegantiſſime pictas exhibet.

## XXIV. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri novem. In Fol. min.

In fronte operis hæc leguntur impreſſa typis iisdem, quibus ipſe textus: *Valerii Maximi factorū & dictorum memorabilium. Ad Tiberiū ceſarem liber primus incipit feliciter.* Libris ſingulis præmiſſa ſunt capitum ſingulorum brevia argumenta, ſeu tituli potius, qui quidem capitulis ſingulis denuo præfixi ſunt. Litteræ ſunt prorſus eædem cum litteris, quibus impreſſus eſt textus S. Auguſtini in opere præcedenti, quasque æri inciſas exhibet cl. Steigenberger loc. cit. Tab. I. n. 1. & 2. Nullum igitur dubium eſt, quin ex Mentelii typographia hoc etiam opus prodierit. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Præter Punctum occurrit etiam ſignum interrogationis, &, licet rarius, duo puncta. Charta eſt firmiſſima, alba, & ſatis polita. Chartarii ſignum eſt caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in polygonum deſinens. Quævis pagina integra lineas complectitur 34. Totum volumen conſtat 159. foliis impreſſis. Ad calcem operis nihil legitur adjectum. Silent de hac editione Bibliographi, quos quidem præ manibus habeo, omnes, ipſique Valerii Maximi editores bipontini. Solus Fridr. Gottlieb. Freytag in *Analectis Litterariis* pag. 1017. ſeqq. eam excitavit. Teſtatur porro exemplari, quod deſcribit, a non nemine, qui ea ætate, quo liber prodiit, vixiſſe videtur, hæc calamo adſcripta legi: *Valerii Maximi factorum & dictorum memorabilium liber deſinit nonus. In epithoma decimi libri. Caii Titi Probi præfatio incipit. Preſens Valerii Maximi opus præclariſſimum: in nobili urbe, Argentina Reni, terminatum! anno M. CCCC, LXX. XVII. kalendis iulii per uirum quendam egregium* (ſc. Johannem Mentelium) *impreſſorie artis maiiſtrum! fæliciter eſt conſummatum.* Nihil ſane hæc continet ſubſcriptio, quod cum deſcriptione operis a me data non amice conſentiat. Quin dicta a me hactenus per hanc ſubſcriptionem egregie confirmantur.

Ex

*Ex Typographia GUNTHERI ZAINER celeberrimi apud Auguſtanos Vindelicos jam inde ab anno 1468. Typographi, cujus plures libros nota anni inſignitos ſupra recenſui, ſequentes etiam nota anni deſtituti prodiiſſe videntur. Cum idem anno ſaltem 1478. jam obierit, ad hunc ſaltem annum pertinere dignoſcuntur libri omnes, qui eidem attribuuntur.*

## XXV. Vocabularium Latino-Germanicum in certos articulos diſtributum. in Fol.

Prima primi folii impreſſi pagina exhibet *Regiſtrū vocabularij ſequentis*, quod terminatur in prima ſecundi folii pagina, linea 27. Regiſtrum porro iſtud eſt index articulorum in quos diviſum eſt hoc vocabularium. Articulus primus eſt *de homine & de diverſis membris in eo exiſtentibus*, ſecundus *De homine & diverſis cōditionibus*, tertius *De conſanguineis & affinibus*, quartus *De panno & de his que requirunt ad factionē panni*, quintus *De nominibus veſtium quibus uti ſolent laici* &c. &c. In averſa ſecundi folii pagina ipſum incipit vocabularium ſine ullo titulo a voce *Caput*, quæ quidem ſola litteram initialem magnam ligno inciſam habet. Ceteræ enim omnes voces non niſi majuſculam habent initialem. Nomini cuivis præfixum eſt genus, & declinatio. e. g. *fp. Trama*, i. e. fæmininum primæ declinationis *m t Crather* i. e. maſculinum tertiæ declinationis. Germanica latinarum vocum adpellatio duobus commatibus eſt incluſa, e. g. *Caput* | *haupt* | alias nullum occurrit diſtinctionis ſignum, niſi punctum. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Articulus ultimus eſt *De nominibus gminū & herbaꝝ ſecundum ordinē alphabeti.* In fine hujus articuli hæc tantum leguntur impreſſa:

*Laus deo pax vivis requies eterna ſepultis.*

Opus integrum foliis conſtat impreſſis 138. Litteræ eædem ſunt, quibus Gintherus Zainer anno 1471. Libros Ovidii de amore Auguſtæ Vind. impreſſit. Quare eidem hoc vocabularium eſſe adſcribendum nullus dubito. Cum Gintherus Zeiner libris a ſe impreſſis jam anno 1468. & 1469. (conf. cl. Zapfii Augsburgs Buchdruckergeſchichte) ſuum addiderit nomen, & typographi illius ætatis, ut plures ante me obſervarunt Bibliographi, primos fœtus ſuos typographicos in lucem emiſerint non adjecto ſuo nomine, præſens vocabularium haud abs re inter prima Gintheri Zeiner typographica tentamina referri poſſet. Atque hæc etiam cl. Michaelis Denis (Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliothek pag. 197. & 198.) conjectura eſt. Zapfius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte hujus operis non meminit.

## XXVI. Der Spiegel des menſchlichen Lebens aus dem Lateiniſchen des Rodericus Biſchofs von Zamora ins Deutſche überſezt von Heinrich Steinhöwel, der Arzneygelehrtheit Doktor zu Augsburg, gedruckt von Günther Zeiner. in Fol.

Latinam hujus operis editionem Auguſtæ per Guntherum Zainer curatam ad ann. 1471. N. XVIII. recenſui. Germanica hæc editio caret quidem nota anni, loci, typographi: eam vero ex Guntheri Zeiner typographia Auguſtana prodiiſſe, characteres, quibus impreſſa eſt, manifeſte docent. Eundem ad annum 1476. incunctanter retulit eruditiſſimus Monachus, & Charthuſiæ Buxheimenſis olim Bibliothecarius Franciſcus Kriſmer, cujus in hoc genere quæſtionis magna eſt auctoritas. Conſtat enim, Guntherum Zeiner Charthuſiæ Buxheimenſi libros tum a ſe, tum ab aliis etiam impreſſos, quos poſſederat, teſtamento legaſſe. Conf. cl. Zapf in Augsburgs Buchdruckergeſchichte Vorrede pag. VIII. ſeq. & ad ann. 1476. pag. 35. N. II. In hac porro editione præmiſſum eſt operis argumentum, & capitum ſingulorum ſummaria quinque foliis comprehenſa. Tum ſequitur interpretis dedicatio ad Sigismundum Auſtriæ ducem ſcripta, quæ duobus foliis comprehenditur. Prima ſequentis folii pagina exhibet arborem genealogicam domus auſtriæ, ab Alberto de Saffenburg, Alſatiæ Landgrafio usque ad Fridericum III, ejusque liberos deductam. In averſa ejusdem folii pagina, & foliis duobus ſequentibus uberior legitur notitia de perſonis in hac arbore ligno inciſis. In fronte demum undecimi folii rubro colore impreſſa leguntur:

Das erſt Blat.

Das Buch genandt der ſpiegel menſchlichs lebens wie vnd in wöllicher maß d' menſch ſein leben volfuren ſol. &c. &c. Ab hoc folio usque ad finem operis folia in ſuperiori margine primæ paginæ numeros habent impreſſos. Capitibus ſingulis argumentum breve, & figuras ligno inciſas argumento convenientes typographus præfixit. Idem litteras initiales magnas, ligno inciſas adjiciendas curavit. Litteræ ſunt admodum craſſæ, quas Zeinerus alias quoque, præſertim in germanicis libris, adhibuit. Signaturæ & cuſtodes deſunt. Opus terminatur in averſa pagina folii CLXIIII, linea 28; cui hæc tantum ſubjecta leguntur:

*Deo gracias.*

XXVII.

**XXVII. Speculum Humanae Salvationis, quod etiam ſpeculum B. Mariæ Virginis dicitur. Latine & germanice. Accedit ejusdem operis compendium metrice ſcriptum a Johanne Monacho ord. S. Benedicti ad S. Udalricum, & Afram Auguſtæ Vind. Impreſſ. ibidem per Guntherum Zeiner. in Fol. min.**

Ex Guntheri Zeineri typographia hunc librum prodiiſſe, characteres ad oculum demonſtrant, etſi nulla typographi, locive impreſſionis occurrat notitia. Cur ſpeculi humanæ ſalvationis, & ſpeculi beatiſſimæ Virginis titulis fuerit inſignitus iſte liber, rationem facile eſt aſſignare ex ipſo argumento. Ex præcipuis quippe vitæ Chriſti, & B. Virginis Mariæ circumſtantiis documenta moralia auctor libri deduxit. Dicta figuris, quæ etiam ligno inciſæ ſunt, ex veteri teſtamento, & Sybillarum libris depromptis, & ſæpe ineptiſſime adplicatis progenio ſuo conatus eſt illuſtrare. Auctor in prœmio Andream ſe dicit, natione Italum, officio Presbyterum. Germanicam ex latino verſionem quis adornaverit, nullo plane argumento ſatis dijudicari poteſt. Octo priora folia Procemia, & indices continent. Noni folii prima pagina eſt vacua. Pagina autem averſa in fronte leguntur:

*Lucifer Maieſtas Geneſi primo & yſaie ca e.*
Der fal Lucifers mit ſeyner geſölſchafft.

His verbis ſubjecta eſt figura Luciferi caſum repræſentans. Tum immediate incipit *Primum. caplm.* Initiales litteras magnas ligno inciſas ipſe typograpus adjecit. Cuſtodes vero, ſignaturæ, & paginarum numeri deſunt. In fine adjectus eſt *Alius. liber Salvatōnis humane metricus prioris libri materiā met'ce ac ꝯpendioſe Tractat⁹*, foliis comprehenſus octo. Hujus auctor libri in Prologo Monachum ſe dicit Monaſterii SS. Udalrici & Afræ in urbe Auguſta vindelica. Opus inſcripſit Johanni Abbati ejusdem Monaſterii, qui depoſita abbatiali dignitate, eaque in Melchiorem de Stamham translata vitam tum quidem privatam agebat. Conf. cl. Zapfii Augsburgs Buchdruckergeſchichte pag. 22. Ut de genio Poetæ noſtri lector ipſe poſſit judicare, primos ejusdem verſiculos hic ſubjiciam.

*Lucifer elatus mox eſt ad Tartara ſtratus.*
*Donis ingratus fert perpetuos cruciatus.*
*Cujus caſum ſupplendo deus edidit adam.*
*Ejus de latere ſociam quoque protulit Evam.*
*Ut genus humanum per eos quoque creſcat habūde*
*Cōjugio ſociat quia ſic licet haut aliunde &c.*

Ad calcem compendii hujus metrici auctor hos verſus adjecit, quos totidem exhibebo lineis, quibus impreſſi ſunt:

*Explicit humaneq3 ſalutis ſumula plane*
*A me fratre Johanne tui pater ordinis alme*
*Vir bndicte puto quaſi minimo monacho.*

*JOHANNI ZAINER, Ulmenſi typographo libros ſequentes eſſe adſcribendos characterum ſimilitudo aperte commonſtrat:*

XXX. S. Hieronymi vitæ Patrum, cum aliis opuſculis in uſum maxime antiquorum Monachorum ſcriptis, quæ quoad maximam partem S. Hieronymus ex græco latine vertit. Ulmæ per Johannem Zainer. in Fol. min.

In averſa primi folii pagina *In antiquo4 patrum vitas a beato Hieronymo eõſcriptas regiſtrũ alphabetico ordine diligenter collectũ Incipit A.* Regiſtrum iſtud in duabus columnis impreſſum præter hanc paginam ſequentia novem folia implet integra, excepta ultimi folii columna quarta, quæ eſt vacua. Undecimo demum folio *Incipit ꝓlogus ſancti Hieronymi cardinalis. ꝑſbiteri. in libros Vitaſpat4* (ſic) *ſancto4 &c.* Terminatur hic Prologus in prima ſequentis folii pagina, linea ſecunda. Tum ipſum opus incipit, & primo omnium legitur *narratio de ſancto Johanne egiptio heremita.* Tituli ejusmodi majuſculis litteris impreſſi ſingulis vitis, & opuſculis præfixi ſunt. In fine vitarum hæc impreſſa leguntur: *Finit vita beati Effrem. & per conſequens liber primus vitaſpatrum.* In ſequentis folii, quod foliis inde a Prologo S. Hieronymi in vitas Patrum numeratis eſt ordine ducenteſimum quintum pagina prima majuſculo charactere legitur: *Prologus in partem ſecundam de vita ſãctorum. Patrum.* Complectitur hæc ſecunda pars, varia opuſcula aſcetica, e. g. de patientia & humilitate, de continentia & &c. quæ quidem fere ſolis conſtant exemplis ex vitis antiquorum anachoretarum depromptis. Folio 325. *Incipit tercia pars vitaſpatrum videlic3* (hæc majuſculo charactere ſunt impreſſa, ſequentia typis iisdem quibus ipſe textus) *de regula vel converſatione egipcõ4 monacho4 & eorum qui degũt apud paleſtinã vel meſopotamiã.* Finitur hæc tertia pars, quæ varia continet exempla monachorum ſecundum regulæ & abbatis ſui præſcripta quam exactiſſime viventium, folii 342. averſa pagina linea 26. adjecta hac ſubſcriptione: *Finit tertia ꝑs principalis hui⁹ opis. videlicet. liber de regulari converſatione &c.* Tum immediate *Incipit ꝓlogus ſancti Paſcaſii ad Exhortationẽ* (id eſt librum Exhortationum a ſe ex græco latine factum) *ſancto4 patrũ tam grec4 q̃m egipcorum:* Hic prologus eſt Epiſtola dedicatoria interpretis ad Patrem Martinum Presbyterum & Abbatem. Hæc quoque pars hujus operis non niſi exempla complectitur ex vitis anachoretarum deprompta, & terminatur folii 361 pagina prima linea 9. Poſt ſubſcriptionem: *Finit quarta principalis pars hujus operis*, immediate *ſequitur opuſculum pro concluſiõe annexum de virtutum laude & effectu intitulatum.* Hoc opuſculum finitur in prima folii 375. pagina linea 30. Adjecta eſt tandem ſequens notitia: *Liber vitaſpatrũ ſancti Hieronimi cardinalis ꝑſbiteri ꝰ alphabeti ordinẽ bene regiſtratus impreſſus per Johannem Zainer in opido Ulm finiunt feliciter.* Foliorum numeri in ſuperiori margine leguntur impreſſi. Cuſtodes

vero,

vero, litteræ initiales, & ſignaturæ deſunt. Typi ſunt gothicæ formæ. Interpunctionum ſigna punctum & duo puncta, nec non interrogationis ſignum. Non memini hujus editionis a quoquam Bibliographo factam eſſe mentionem, præter cl. de Bure, qui eam in *Bibliographie Inſtructive n.* 4613. excitat, & breviter deſcribit. Adfirmat eam raram eſſe, & parum cognitam, cum nullus ut inquit, Bibliographorum eam excitaverit. Addit, videri ſibi, antiquiorem eam eſſe editione Norimbergenſi ann. 1478.

XXXI. *Albertus magnus de arte intelligēdi. docendi. & predicandi. res ſpirituales & inviſibiles ꝑ res corporales & viſibiles & e conuerſo pulcra & utiliſſima.* in Fol. min.

In averſa primi folii pagina exhibetur index capitum hujus operis charactere gothico majuſculo impreſſus. In fronte vero paginæ primæ folii ſequentis eodem charactere impreſſa, quæ tituli loco recitavi verba. Celeberrimus Schelhornius in *Diatriba Præliminari ad Card. Quirini Librum de Opt. Script. Edit.* pag. 23. librum hunc inter primos typis mobilibus ſculptis impreſſos totidem verbis excitavit. Quare vix dubitandum videtur, ab eo noſtram hanc editionem fuiſſe deſignatam. Characteres ſunt gothici inter ſe ſatis æquabiles, ſimillimi; aut iidem omnino cum litteris quibus Johannes Zainer impreſſit librum. Nro. præced. recenſitum. Habent tamen multas abbreviaturas. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta, licet rarius. Charta eſt firmiſſima. Initiales litteræ capitum, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Totum opuſculum foliis conſtat impreſſis octodecim. Ad calcem nihil aliud legitur, quam majuſculis impreſſæ litteris voces: *Deo gratias.*

XXXII. Johannis Nider Ord. Prædicat. 1) Sermones de tempore. 2) Quadrageſimale, ſeu brevis expoſitio Evangeliorum & Epiſtolarum diebus ferialibus, non Dominicis (pro his enim ſermones habentur inter Sermones de tempore) per quadrageſimam occurrentibus. 3) Sermones de Sanctis, Impreſſ. per Johannem Zainer Ulmæ. in Fol. min.

Præmiſſa eſt *Tabula* (Alphabetica materiarum) *ſuper ſermones de tempe magr̄i Johannis nider ordinis predicatorum*, foliis impreſſis ſeptem comprehenſa. Folio octavo index legitur ſingulorum ordine ſermonum. In averſa noni folii pagina brevis exſtat auctoris Prologus, quem præcedit titulus operis, litteris impreſſus majuſculis, ejuſdemque uti etiam auctoris commendatio, iisdem litteris impreſſa. Decimo demum folio incipit ſermo primus, habitus prima dominica adventus. Terminantur ſermones iſti in prima pagina folii



180,

180, linea 31, ſine ulla ſubſcriptione. Pagina averſa vacua eſt. In prima pagina folii 181. *Incipit quadrageſimale Reuerēdi ma* (hæc majuſculis litteris impreſſa ſunt, non item ſequentia) *giſtri Johannis nyder ɔprehendens quolibet die duos ſermones. vnū de Epla'. & aliū de evangelio cū queſtionibɔ textualibus brevibɔ exceptis dñicis diebus quorum ſermones ponuntur in parte de tempore ſupra impreſſa.* Terminatur hoc quadrageſimale in averſa pagina folii 216. In prima pagina ſequentis folii incipit *Tabula* (alphabetica materiarum) *ſuper ſermones de ſanctis*, cui adnexus eſt index ſingulorum ordine ſermonum. Folio impreſſo 222. *Incipiunt ſermones de ſanctis &c.* In fine horum ſermonum, qui terminantur in prima pagina folii 316, leguntur impreſſa ſequentia: *Expliciunt aurei ſermones totius anni de tpe & de ſanctis cum q̄drageſimali pluribuſq; extrauagātibɔ ſermonibɔ Sacre pagine eximii profeſſoris Magiſtri Johānis Nider ordinis pdicato4 Impreſſi per Johannē Zainer in opido Vlm.* Litteræ ſunt gothicæ, eædem omnino cum litteris, quibus idem typographus duo præcedentia opera impreſſit. Initiales litteras magnas ligno inciſas, easque florentes ipſe typographus adjiciendas curavit. Signaturæ vero, cuſtodes, & paginarum numeri deſunt. Præter punctum nullum occurrit interpunctionis ſignum. Videtur hoc opus unum ex primis eſſe, quod Johannes Zainer Ulmæ excudit circa annum 1470. vel 1474.

**XXXIII. Doctoris Ulrici, dicti Ulmer in Ulma, fraternitas Cleri, ſeu Regulæ converſationis & morum pro clericis, maxime in eadem ſocietate viventibus. in Fol. min.**

Quamvis nulla anni, loci, typographi notitia ſit inſignitus iſte liber: ſatis tamen ex litteris dignoſcitur, ex typographia Johannis Zainer Ulmenſi illum prodiiſſe. Sunt iidem enim omnino typi, quibus impreſſum eſt opus immediate præcedens. Videtur autem hic liber ante præcedentem typis excuſus fuiſſe. Solebant enim typographi antiqui primos fœtus ſuos ſine ſuo nomine in lucem emittere.

In averſa primi folii pagina legitur *Regiſtrum in fraternitatem cleri:* in ſequenti autem folio auctoris incipit prologus, terminatus in averſa ejusdem folii pagina, linea 31. Deſunt non modo ſignaturæ, cuſtodes, & paginarum numeri, verum etiam initiales litteræ. Occurrunt vero præter punctum etiam duo puncta. Opus in triginta ſeptem capita diviſum eſt, & foliis impreſſis 86. conſtat. Ad calcem charactere majuſculo hæc leguntur impreſſa: *Fraternitas Cleri per doctorem Ulricum edita: qui vulgo Ulmer in Ulma vocatur finit feliciter.* Quis fuerit iſte Ulmer in Ulma, non potui reperire. Silent plane auctores, qui mihi præ manibus ſunt, non ſolum de auctore, ſed etiam de ipſo opere. Fuiſſe virum doctum, pium & in veterum Patrum, ac Philoſophorum ſcriptis verſatiſſimum, abunde teſtatur præſens opus.

XXXIV.

**XXXIV.** *Tractatus de piculis ꝯtingentibus circa ſacramtuꝫ Eucariſtie. & de remediis eorundem ex dictis ſancti Thome de aquino feliciter incipit.* Accedit epiſtola S. Thomæ Aquin. ad comitiſſam Flandriæ de eo, quid juſte liceat exigere a Judæis.

Verba *Tractatus*, usque ad, *accedit*, leguntur in fronte primæ paginæ. Porro in hoc tractatu quatuordecim enumerantur pericula, quorum primum eſt: ſi ſacerdos morte vel gravi infirmitate præoccupetur, antequam miſſam finiat. Oſtenditur deinde quid in hoc, aut ſimili caſu eſſet ſacerdoti agendum. Finitur Tractatus iſte folii quarti pagina prima, linea 23. Poſtea *Epla'. ſancti Thome de iudeis ad peticōem comitiſſe flandrie. Feliciter incipit.* Finitur autem hæc epiſtola folii ſeptimi pagina prima linea 30. Adjecta eſt demum in calce ejusdem paginæ ſubſcriptio: *Epla' ſancti Thome de iudeis ad comitiſſam flandrie. Feliciter finit.* Averſa hujus folii pagina eſt vacua. Characteres hujus opuſculi magnam habent ſimilitudinem cum characteribus Johannis Zainer, quos adhibuit in opere ad ann. 1475. N. VI. recenſito. Signaturæ, cuſtodes, & paginarum numeri deſunt. Sed litteras initiales magnas ligno inciſas typographus adjecit. Signum diſtinctionis aliud non occurrit, quam punctum.

**XXXV.** *Sermones ꝑ breves ſs multum notabiles & formales de tpre eximij ſacre theologie doctoris Johannis de Franckford heretice bravitatis* (ſic) *exquiſitoris conſilii* (ſic) *baſilienſs. Et primo de dñica prima aduentus dñi. Et ſic ꝯſeqnter per totum annum Incipiunt feliciter.* — Impreſſ. Ulmæ in Fol. min.

Quæ tituli loco modo recitavi verba, leguntur impreſſa in fronte primæ paginæ, in eademque immediate incipit ſermo de dominica prima adventus. Impreſſi ſunt ſermones iſti charactere gothico ſatis magno, qui paucas habet abbreviaturas, chartæ admodum firmæ, ſed impolitæ, & minus albæ. Præter punctum occurrit etiam aliud interpunctionis ſignum hujus formæ (!) Litteras initiales, in prioribus quidem ſermonibus majuſculas, in ſequentibus vero parvas ipſe typographus adjecit. Deſunt vero ubivis cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones. Totum volumen folia impreſſa complectitur 144. In fine primæ paginæ folii ultimi leguntur ſequentia: *Sermonū dñicalium Egregij ſacre theologie doctoris Johannis de Franckfordia finis vlme.* Diſcimus ex hac ſubſcriptione locum impreſſionis. Nec dubitandum puto, quin circa annos 1470 — 1480 lucem aſpexerit hic liber. Typographum vero non auſim determinare. Litteræ parum, aut nihil fere commune

 ha-

habent cum litteris, quibus Johannes Zainer Ulmenſis typographus ea ætate uſus eſt. Haud tamen negaverim, ex Zaineri typographia illum prodiiſſe. Potuit enim Zainerus plures habere typorum formulas, quam quas mihi quidem videre contigit.

*ANTONIO SORG, typographo Auguſtano, duo ſequentes libri adſcribendi videntur.*

## XXXVI. Breviloquium S. Bonaventuræ. in Fol.

Opus iſtud eſt compendium quoddam totius theologiæ. Præmiſſis enim de ſacra ſcriptura prolegomenis auctor opus ſuum in ſeptem libros, ſeu partes, diviſit, quarum 1ma de Trinitate, 2da de Creatura mundi. 3tia de corruptella peccati tam originalis, quam actualis. 4ta de incarnatione verbi. 5ta de gratia Spiritus Sancti. 6ta de medicina Sacramentali. 7ma de ſtatu finalis judicii inſcribuntur. Eſt certe hoc opus unum ex præcipuis hujus S. Doctoris operibus. Quod externam ejus formam attinet, in fronte primæ paginæ hæc leguntur: *Incipit Breviloquium fratris Bonaventure generalis miniſtri fratrum mino4.* Typi magnam habent ſimilitudinem cum illis, quibus Antonius Sorg Auguſtanus typographus uſus eſt, e. g. in impreſſione quinquaginta Homiliarum S. Auguſtini anno 1475. conf. N. IX. ad ann. 1475. Interpunctionum quoque ſigna occurrunt eadem, nempe punctum, duo puncta, rarius comma. Litteras initiales parvas typographus ipſe plerumque adjecit. Cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Attamen in ſuperiori margine cujusvis paginæ a parte ſiniſtra legitur vox *Liber*, à dextra vero numerus libri, e. g. tertius, quartus. Notatu illud non videtur indignum, ambobus exemplaribus Homiliarum quinquaginta S. Auguſtini Auguſtæ per Ant. Sorg anno 1475 impreſſarum, quæ exſtant in Bibliotheca noſtra academica, a bibliopega impreſſioni operis aut coævo, aut certe non longe ab anno 1475 remoto immediate compactum eſſe idem hoc, de quo agimus, Breviloquium. Nonne inde & ex paulo ante dictis probabilis ſaltem fieri poſſet conjectura, ambos hos libros ex eadem typographia, & forte eodem anno prodiiſſe?

## XXXVII. S. Bernardi Abbatis claravallenſis contemplationes de interiori homine, de bona conſcientia, & de miſeria vitæ. in Fol.

Exterior hujus opuſculi forma prorſus convenit cum proxime præcedenti opere. Iidem quippe amborum ſunt typi, eadem interpunctionum ſigna &c. Uni exemplarium quæ ſermones quinquaginta S. Auguſtini, & Breviloquium S.

S. Bonaventuræ continent, bibliopegus præſens quoque opuſculum immediate ſubnexuit. Conſtat foliis impreſſis viginti tribus. In fronte primæ primi folii paginæ hæc leguntur: *Incipiunt contemplationes beati Bernhardi abbatis clarevallis de interiori homine.* Atque hæ quidem contemplationes terminantur folii decimi tertii prima pagina, linea ſeptima. Tum immediate *Incipit liber beati Bernhardi de bona conſcientia.* Hic liber terminatur folii vigeſimi primi pagina ſecunda, linea vigeſima ſeptima. In ſequentis folii pagina prima *Meditationes beati Bernhardi De miſeria vitæ Incipiunt:* folii autem vigeſimi tertii pagina averſa, linea trigeſima terminantur adjecta hac ſubſcriptione: *Meditationes devotiſſimi Bernhardi De interiori homine De bona conſciẽtia De miſeriaq3 vite finiunt feliciter.*

*VINDELINUS DE SPIRA, typographus Venetus celeberrimus librum impreſſit ſequentem.*

XXXVIII. Bartholomæi Piſani ord. Præd. ſæc. XIV. Summa caſuum conſcientiæ, dicta Piſanella, & Magiſtrucia, alphabethico ordine concinnata Aucta, emendata, & explicata a Nicolao de Auſmo ord. Min. in Fol. Venetiis per Vindelinum de Spira. in Fol.

Opus Præſens in duabus columnis charactere gothico pereleganti chartæ nitidiſſimæ impreſſum eſt. Litteras initiales parvas typopraphus ſæpe adjecit, ſæpe omiſit. Signaturæ, cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones ubivis deſunt. In prima primæ paginæ columna hæc verba leguntur: *In noĩe dñi nrĩ ihũ Xpi amẽ. Incipit lib' qui dicit' ſupplemẽtũ.* Tum immediate ſequitur brevis prologus, ſeu præfatio Nicolai de Auſmo. Hunc porro auctorem eſſe hujus ſupplementi, ipſe nos docuit in fine operis ad vocem *Zelus;* ubi ſimul locum & tempus, quo complevit hoc opus, indicavit, nimirum in Monaſterio Sanctæ Mariæ de Angelis prope Mediolanum anno 1444 die 28 Novembris Sabbatho hora quaſi ſexta. In averſa pagina folii, ubi hæc leguntur, *Incipit tabula capitulorũ hui⁹ libri & pmo d' littera A.* Hanc tabulam alphabetico ordine concinnatam excipit *Tabula abbreviaturarum* in hoc opere occurrentium. His ſubjunctæ ſunt Rubricæ Juris tam civilis quam canonici. Accedit tandem brevis explanatio canonum pœnitentialium, ad cujus calcem leguntur ſequentes verſus:

*Juris hñt late hæc decerpta volumĩa ſacri*
*Piſæi artificis nomina parta ſui*
*Quæq3 ill' deſũt alt' nou⁹ addidit auctor*
*Semine quo caruit accumulavit ag4.*
*Uẽdelinus opus preſſit ſpireus utrumque*
*Labe repurgatũ (crede) volumẽ emis.*

*Im-*

*Impreſſum eſt Sixto ſacro4 antiſtite* 4°
*Et ueneto troni principis imperio.*

Nicolaus Tronus, quo regnante ſecundum verſiculum ultimum hoc opus impreſſum eſt, ducatum venetum adeptus eſt anno 1471, nec niſi anno uno & octo menſibus regnavit. Recte igitur hæc editio ſaltem ad annum 1473 refertur. Cl. Michael Denis in Merkwürdigkeiten der garell. Bibliothek pag. 48. editionem hujus operis Venetam anni 1474 ut primam & originalem habuit. Noſtram igitur editionem omnino ignoravit cum aliis omnibus, ut videtur, Bibliographis. Patet inde noſtræ editionis raritas.

*JOHANNI MENTELIO præter libros ſupra ſub N. XXI — XXIV, recenſitos etiam ſequentem attribuo:*

## XXXIX. S. Thomæ Aquinatis ſecunda ſecundæ. in Fol.

Typi ſunt prorſus iidem, quos ut Mentelio proprios æri inciſos exhibet Tabula I. NN. 3. 4. 5. adnexa cl. Steigenbergeri literariſch-kritiſchen Abhandlung über die zwo allerälteſte gedruckte deutſche Bibeln ꝛc. Quare nullus dubito, quin iſte liber ex Mentelii typographia prodierit. Initio operis nulla comparet inſcriptio aut titulus, quo etiam in operis contextu carent quæſtiones ſingulæ. Hæc enim ſolo ſpatio vacuo, eoque plerumque exiguo admodum diſtinguuntur. Pagina quævis in duas columnas diſtincta eſt. Quævis vero columna lineas impreſſas continet 59. Deſunt Litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Charta eſt firmiſſima, & alba. Chartarii ſignum unicum obſervavi, nempe caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. Præter punctum nullum etiam obſervavi interpunctionis ſignum. Nulla eſt linea, in qua non plures occurrant abbreviaturæ. Volumen integrum folia impreſſa 244 complectitur. Opus ipſum terminatur in tertia columna folii 238, linea 59. Tum vero poſt folium vacuum ſequitur impreſſus index quæſtionum, qui terminatur in columna ſecunda folii 244, linea 50. Huic lineæ immediate ſubjecta ſunt hæc verba: *Explicit ordo & ſignacio queſtionū ſcdi libri ſcde ꝑtis beati Thome de aquino bñdictus de⁹. Amen.* Et nihil præterea.

*Ex JOHANNIS FUSTI, vel eo defuncto, PETRI SCHOIFFERI typographia Moguntina liber ſequens prodiit.*

## XL. Prima Pars Summæ S. Thomæ Aquinatis. in Fol.

Litteræ, quibus impreſſum eſt hoc opus, ſunt ſimillimæ litteris, quibus Fauſtus & Schoifferus plures Moguntiæ libros impreſſerunt, majoribus illis nimi-

nimirum, quibus impreſſa ab iisdem ſunt anno 1462 Biblia latina, & anno 1468 Inſtitutiones Juſtiniani Imperatoris. Quare nullus dubito, quin ex Fauſti, aut eo defuncto Schoifferi typographia Moguntina circa annum ſaltem 1470 prodierit. Impreſſum eſt in duabus columnis. Quinque priora folia, & ſexti lineas ſedecim index occupat quæſtionum, quæ hoc in opere reſolvuntur. Ad hujus calcem ſequentia leguntur impreſſa: *Expliciūt tituli queſtionum ſup p̄mām pte3 ſūme ſancti thome de aq̄no doctoīs ī theologia eximii.* Folio ſeptimo demum opus ipſum incipit ſine ullo titulo eidem præfixo. Deſunt ubivis initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Interpunctionis ſignum nullum obſervavi, niſi punctum. Charta eſt firmiſſima, alba, & munda. Chartarii ſignum frequentius occurrens caput bovis, cuius inter coroua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens: minus frequenter occurrit littera D, quam ſtilus ſecat ex una parte in annulum, ex altera in crucem deſinens. Quævis columna integra, paucis exceptis, in primis foliis lineas 50, in ſequentibus vero 47 complectitur. Volumen integrum foliis conſtat impreſſis 252. Ad calcem hæc tantum leguntur: *Explicit prima pars ſūme fratris ſancti Thome de aq̄no ordīs fratrū predicatorum mḡri in theologia eximij.*

*SIXTUS RIESINGER Neapolitanus typographus ſequens opus Bartoli impreſſit.*

## XLI. Bartholi de Saxoferrato lectura in primam partem ff. vet. per Sixtum Riſinger. in Fol. mag.

Volumen iſtud charactere rotundo in duabus columnis chartæ magnæ, firmiſſimæ, ac nitidiſſimæ impreſſum eſt. Caret litteris initialibus, ſignaturis, cuſtodibus, paginarum numeris & inſcriptionibus. Interpunctionis ſignum unicum occurrit, nempe punctum. Conſtat volumen integrum foliis impreſſis 340. In ſecunda columna ultimi folii circa initium illius hæc leguntur: *Explicit lectura dn̄i Bartoli de ſaxoferrato ſup̄ p̄ma p̄te. ff. ueteris. Deo. G.* His ſubjecti ſequentes verſiculi.

*Quiſq3 emis mira ſixtq theotonicq arte*
*Impreſſit libros compoſuitq3 nouos*
*Hos borq & prudēs doctō juriſq3 p̄itus*
*Corrigit Aputheus nobilitate paris.*

His denuo ſubjectum, majuſculis impreſſum litteris typographi nomen:

*Sixtus Rieſſinger.*

Quamvis hic liber nulla anni nota ſit inſignitus, tuto tamen eundem ad annum 1471 vel 1472 referre licet, utpote cujus exterior forma plane convenit cum libris aliis Bartoli ab eodem typographo circa hoc tempus Neapoli impreſſis, quorum plures recenſui ad annum 1471.

*HEN-*

*HENRICUS EGGENSTEIN ante impreſſas anno 1471 Argentorati Conſtitutiones Clementis V. innumera jam ediderat divini humanique juris volumina, ut ex ſubſcriptione iiſdem conſtitutionibus in fine adjecta diſcimus. Ad hæc volumina jure merito referri poſſe, quæ ſequuntur, quinque operum ex eorundem deſcriptione patebit.*

## XLII. Lectura in codicem D. Chyni (alias Cyni, vel Cini) de Piſtorio legum doctoris. 2. Voll. in Fol. Argentinæ impreſſa.

Paginæ ſingulæ ſunt in duas columnas diſtinctæ. In prima columna primæ paginæ paulo ante medium majuſculis characteribus hæc leguntur impreſſa: *Incipit lectura domini Chyni de piſtorio doctoris legu3 ſuper codice.* In margine ſuperiori cujusvis paginæ notatur liber e. g. *L. I.* & titulus, e. g. *De ſacro ſan. ec.* Initiales litteras parvas ipſe typographus plerumque adjecit: Cuſtodes vero, & ſignaturæ deſunt. Charta eſt firmiſſima, ſed minus alba & polita. Volumen primum, libros codicis quinque priores complectens foliis impreſſis 314. conſtat, & in fine hanc habet ſubſcriptionem:

*Explicit pma ps lecture*
*dñi Cyni piſtorienſis.*

In fronte ſecundi voluminis majuſculo charactere hæc impreſſa leguntur: *In nomine domini & glorioſe ſue matris Incipit ſecũda ps de ſervis fugitivis &c. Rubrica.* Conſtat hoc volumen foliis impreſſis 241. Ad calcem auctoris legitur epilogus, ex quo diſcimus, eum hoc opus abſolviſſe anno 1314 die 11 menſis Julii. Hoc finito litteris majuſculis impreſſa hæc leguntur: *Explicit lectura domini cini de piſtorio ſuper codice.* Demum ſequens adjecta eſt notitia: charactere minuto, quo ipſe textus, impreſſa: *Poſt pluſculos ſolis ambit⁹ p⁹q3 labentiũ ſecla. inſigne opus tuũ inclite Cyne impſſo4 artis expers fore indignũ cenſuit nobilis argentinũ. Cauſidico itaque mũdo te dirigente expeditos Chriſtus domin⁹ eterne paci reddat beãdos.* Quod litteras attinet alphabeti majoris, quibus impreſſum eſt hoc opus, inveni easdem omnes in textu conſtitutionum Clementis V., quas Henricus Eggenſteinius argentinus typographus celeberrimus, anno 1471. (conf. ſup. ad h. a. N. XVI.) impreſſit. Litteræ vero alphabeti minoris ſunt quidem diverſæ a litteris, quibus impreſſus eſt Apparatus Joh. Andreæ iisdem conſtitutionibus adjectus: reperiuntur vero eædem in aliis libris ab Eggenſteinio annis 1471 & 1472 impreſſis. Conf. cl. Steigenberger literariſch-kritiſche Abhandlung über die zwo älteſte gedruckte deutſche Bibeln ꝛc. pag. 35. ſeqq. Idem litterarum Eggenſteinii ſpecimina plura, & integra alphabeta æri inciſa exhibet Tab. II. & Tab. IV. Merito igitur hoc opus illis adnumeratur divini, humaniq3 juris voluminibus, quæ ab Henrico Eggenſteinio ante impreſſas ab eodem Clementis V. conſtitutiones impreſſa eſſe ex ſubſcriptione iisdem conſtitutionibus in fine adjecta (conf. N. XVI. ad ann. 1471.) diſcimus.

## XLIII. Conſuetudines Feudorum cum Gloſſa, in Fol.

Textus ipſe, qui duas columnas in medio occupat, charactere magno gothico, Eggeſteiniano nimirum, quo textus conſtitutionum Clementis V. (conf. N. Præced.) Gloſſa vero, extremos quatuor margines occupans minutis eſt litteris impreſſa. Iisdem ſcilicet, quibus lectura Cyni immediate præcedens. In fronte primæ columnæ primæ paginæ hæc rubro colore leguntur impreſſa: *Incipiūt cōſuetudines feudorum, Et primo de his qui feudum dare poſſunt. Et qualiter acquiratur & retineatur.* Titulis ſingulis quoque præmiſſa eſt Rubrica, hoc eſt, breve argumentum, quod raro admodum omiſit typographus. Initiales litteræ titulorum, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri deſunt. Charta firma quidem, ſed minus alba eſt. Chartarii ſignum eſt littera D, quam ſtilus, ex una parte in crucem deſinens, ſecat mediam. Raro admodum obſervavi coronam. Interpunctionis ſignum occurrit unicum, nempe punctum. Abbreviaturæ ſunt plurimæ, occurrunt etiam integræ ſyllabæ ſculptæ e. g. *ꝓ* loco *pro*, *ꝑ* loco *per*. Littera i loco puncti ubivis fere lineolam habet impoſitam. Opus integrum foliis impreſſis 38 comprehenditur. In fine nulla prorſus exſtat notitia. Hoc etiam opus inter libros ab Eggeſteinio ante annum 1471 impreſſos merito numerari patet ex dictis ad N. præced.

## XLIV. Johannis Petri de Ferrariis practica nova Juris. in Fol.

Litteræ ſunt gothicæ, ſimillimæ immo eædem cum litteris, quibus impreſſa eſt Gloſſa ad opus immediate præcedens. Quare nullus dubito, quin ex eadem typographia prodierit. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones. Interpunctionis ſignum nullum obſervavi niſi punctum. Pagina quævis in duas columnas diſtincta eſt. Operi præmiſſa eſt duplex tabula, ſeu index, primus quidem alphabeticus materiarum foliis octo comprehenſus: ſecundus vero, qui noni folii primam columnam, & ſecundæ columnæ partem fere dimidiam occupat, formarum e. g. formæ libelli in actione reali, formæ reſponſionis rei conventi. Opus ipſum ſine ullo titulo eidem præfixo incipit folio 10. Diviſum eſt in quinquaginta duas ſectiones, pro numero ſcilicet formarum exercendi judicii, conſtatque foliis impreſſis 220. Ad calcem hæc tantum leguntur impreſſa: *Explicit practica noua cōpoſita per famoſiſſimum nec nō eximiū legum doctorez Johannē petrū de Ferrariis filiū quondā egregij doctoris domini Auguſtini ciuis inclite civitat᷑ Pap̄.*

## LXV. Johannis Petri de Ferraris, J. C. Papienſis, Practica Juris, in Fol. magn.

Folium primum vacuum eſt. Octo vero ſequentia folia indicem continent alphabeticum materiarum. Atque huic quidem nullus præfixus eſt ti-

tinus. In fronte decimi folii, pagina prima, columna prima incipit *tabula ſeu reptoriū ad faciliter recipiend' formas pn̄tis practice judicialis.* Ut, quid per formas intelligatur, pateat, quasdam ex iſta tabula hic adſcribam verbotenus: *Forma interrogacionū fiendaꝝ reo ↄvento reali actione folio.* 1. *Forma libelli in actione reali folio* 3. *Forma opponēdi ↄ indicē ſuſpectum folio* 26. Terminatur hæc tabula in eadem pagina, columna ſecunda, linea 17, cui ſubjecta hæc tantum leguntur:

*Deo gratias.*

Averſa pagina vacua eſt. Folio demum undecimo auctoris incipit Præfatio ſine ullo titulo. Dicit in hac præfatione, filium ſe eſſe Auguſtini civis Papienſis, Doctoris egregii, & opus iſtud a ſe inchoatum fuiſſe anno 1400 in favorem filii ſui Manfredi anno eodem menſe Septembri nati, aliorumque, procuratorum maxime, & notariorum civitatis Papienſis. Præfatio hæc finitur in prima undecimi folii pagina columna ſecunda, linea 22. Huic immediate in eadem columna ſubjungitur *Forma interrogationū fiendarum reo ↄvento reali actione.* Hæc verba, uti etiam alii ejusmodi tituli, ſunt gothico charactere majuſculo impreſſa. Opus ita eſt adornatum, ut formis ſingulis ſubjungatur brevis expoſitio; tum vero, quæ in brevi hac expoſitione legentibus adhuc poterant eſſe obſcura, ſingula explicentur uberius. Folia impreſſa inde ab initio præfationis usque ad finem operis numeravi 222. In averſa autem folii 222 pagina, columna prima, linea 19 opus terminatur, & hanc habet ſubſcriptionem: *Explicit practica nova compoſita p famoſiſſimū nec nō eximium legum doctorem Johē3 petri ferrariis de papia.* Litteræ intiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Characteres gothicam habent formam. Quod attinet litteras alphabeti majoris, quibus tituli impreſſi ſunt, hæ quidem ſunt prorſus eædem cum litteris quas ut Eggenſteinianas æri inciſas exhibet cl. Steigenberger in literariſch = kritiſchen Abhandlung über die zwo allerälteſte gedruckte deutſche Bibeln Tab. IV. nn. 1. & 2. Occurrunt etiam fere omnes litteræ alphaheti delineati apud eundem Tab. II. n. 3. immo in indice materiarum qui operi præmiſſus eſt, occurrunt etiam litteræ alphabeti delineati Tab. IV. n. 3. & inter has omnium frequentiſſime littera D, quam Eggeſteinio propriam eſſe adfirmat cl. Steigenberger loc. cit. pag. 36. Quamvis igitur litteræ alphabeti minoris, quibus impreſſus eſt textus hujus operis, non ſatis accurate conveniant cum litteris Eggeſteinii, quas mihi quidem videre contigit, puto tamen tuto adfirmari poſſe, ex Eggeſteinii prælo hanc prodiiſſe editionem. Editionem hanc diverſam eſſe ab immediate præcedenti, quam idem typographus curavit, patet ex dictis. Interpunctionis ſignum unicum obſervavi, nempe punctum. Charta eſt firmiſſima, & alba admodum, latos habens margines, ſed minus polita. Chartarii ſignum frequentiſſime occurrens Roſa eſt, raro occurrit corona, rariſſime turris. Columna quævis integra lineas complectitur 56. Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* duas excitat hujus operis editiones, Norimbergenſem ſcilicet anni 1482, & Mediolanenſem anni 1496. Utraque hac editione aliquot annis antiquior eſt

no-

noſtra. Exemplar enim noſtrum hujati facultati antiquitus executores teſtamenti Wolfgangi de Herzogburgo Juris Pontificii in hac univerſitate Lectoris ordinarii, anno 1478 defuncti, dono dederunt, ut manus coæva Johannis Altenbek, Notarii tum temporis academici, in fronte primæ paginæ impreſſæ adnotavit. Anno igitur ſaltem 1478 excuſam eſſe oportet noſtram editionem. Verum videtur ea mihi anno 1477. eſſe anterior, quod characteres a me aſſignati ſatis evincunt.

**XLVI. Epiſtolæ S. Bernardi Abbati Clarevallenſis 296. Accedunt ejusdem 1) Tractatus de miſeria & brevitate vitæ. 2) de tentationibus & ocio. 3) de bona & mala voluntate. 4) Speculum ſuper emendatione vitæ hominis religioſi. 5) Libellus de gratia & libero arbitrio. 6) Apologia ad Cluniacenſes de concordia ordinum, ſive excuſacio ad eosdem. in Fol. magn.**

Impreſſum eſt hoc opus chartæ firmiſſimæ, & nitidiſſimæ in duabus columnis, quarum quælibet integra lineas ſexaginta vel ſexaginta & unam complectitur. Signum chartarii ubivis fere occurrens eſt roſa. Semel tantum turrim obſervavi. Litteræ ſunt eædem plane, quas, ut Eggeſteinio proprias, æri inciſas exhibet cl. Steigenberger Tab. II. nn. 2. 3. 4. 5. 6. adnexa ejusdem litterariſch=kritiſchen Abhandlung über die zwo allerälteſte gedruckte deutſche Bibeln ꝛc. Interpunctionis ſignum nullum obſervavi, niſi punctum. Signaturæ, cuſtodes, paginarum numeri, & initiales litteræ deſunt. In fronte operis nullus omnino legitur titulus; ſed primæ epiſtolæ, quæ eſt ad Robertum ſancti viri nepotem, præfixum eſt argumentum, & ſcribendi occaſio. Ceteris etiam ſingulis epiſtolis brevia præfixa ſunt earundem argumenta. In fine epiſtolarum, quæ partem voluminis longe maximam efficiunt, hæc tantum leguntur: *Explicit. Epſt. Beati. Bernardi. Abbatis. Clareuallen̄.* In fine vero Apologiæ, quæ poſtremum eſt hujus voluminis opuſculum, hæc habes impreſſa: *Apologia. Beati Bernardi Abbatis Clarevallen̄ Ad. Cluniacen̄. de. concordia ordinum ſiue excuſatio eius ad eoſdem*

*Finit feliciter.*

Ad partem dexteram vocum *finit feliciter* manus antiqua notam anni 1 ꝝ 81 (1481) adſcripſit. Non videtur autem hæc nota annum impreſſionis deſignare, ſed emptionis, quemadmodum litteris 𝔊 𝔥, quæ vocibus *finit feliciter*, ſubjectæ ſunt, antiquus voluminis poſſeſſor deſignari videtur. Anno enim 1481 certe antiquior eſt hæc editio. Ad calcem adjecta eſt *Tabula. Epſtarum. Beati. Bernhardi. Abbatis Clareuallen̄* tribus foliis impreſſis comprehenſa cum hac ſubſcriptione:

*Explicit tabula Epſtarum. Beati Bernardi cum numero Earum.*

 Com-

Computatis etiam tribus hiſce foliis volumen integrum folia complectitur impreſſa octuaginta novem. Meminit hujus editionis Freytagius in adparatu litterario, Tom. II. pag. 877. eamque vocat rariſſimam. Nihil vero idem de typographo, & loco impreſſionis habet. Ex dictis a me hactenus ſatis, puto, conſtat, hunc librum Argentorati ab Henrico Eggeſtein circa annum 1470 fuiſſe typis excuſum.

*BERTHOLDUS, cui probabiliter cognomen fuit ROTH, Baſileæ excudit opus ſequens.*

**XLVII. Conradi Turicenſis Repertorium alphabeticum nominum propriorum, quæ apud ſcriptores veteres, oratores, hiſtoricos, maxime vero apud poetas, frequentius occurrunt. Præmiſſa ſunt 1) Compendium profanæ hiſtoriæ a Sarug, Abrahami proavo, usque ad Chriſtum natum & 2) Genealogia Deorum, & Dearum verſibus conſcripta. Baſileæ per Bertholdum . . . . in Fol. min.**

In averſa primi folii pagina ſequentia leguntur; quæ omnia hic adſcribenda cenſui, quia de præſentis operis auctore, typographo, & loco impreſſionis notitias continent. Primo igitur hæc leguntur: *Reptorium vocabulorum exquiſitorum* (ſic) *oratorie poeſi & hiſtoriarum cum fideli narracõe earum rerumque ambiguitatem ex hujusmodi vocabulis accipiũt per quod fere omnes occulte & difficultates, & ſubtilitates in ſtudiis humanitatis facile Juxta alphabeti ordinem invenitur. Editum a doctiſſimo lrãrum amatore Magiſtro Conrado Turicenſi eccleſie cantore Et ɔpletus anno domini m° cc LXXIII. In vigilia aſſumcõnis beate marie virginis Indictione prima Incipit feliciter.* His, relicto exiguo ſpacio ſubjecti ſunt verſus ſequentes, ex quibus impreſſionis locum, & typographi nomen, non vero cognomen, diſcimus:

*Unde liber venerit preſens ſi forte requiras*
*Quidue novi referat perlege quod ſequitur*
*Bertoldus nitide hũc impreſſerat in baſilea*
*Utque adeat doctos protinus ille jubet*
*Ille quid abſtruſum ſi diva poemata ſervant*
*Exponit lector ingenioſe ſcies*
*Quid lacium teucri dignum quid grecia geſſit*
*Preterea magnus que videt oceanus*
*Si libet interdum raris gaudere libellis*
*Diſperiam ſi non hic liber unus erit.*

In ſequentis folii prima pagina auctoris incipit Præfatio in opus præſens quæ terminatur averſæ paginæ linea 10. In hac porro præfatione auctor plura recen-

recenſet opera a ſe jam ante Repertorium iſtud edita his verbis: *Ego magr. cōradꝰ canonicꝰ thuricēſ dictꝰ de mure! nec volēs ignavia ſertis ocii torpere! ſz cōi pnulo4 utilitati cupie' deſſu ire! poſt labores novi greciſmi p eiuſdem correctio3 a me habitos! pꝰ libellū de naturis aialiū metrice cōpoſitū! pꝰ ſudores libelli de VII. ſacramētis! ad inſtantē quorūdā ſodaliū meo4 petitio3 antiqꝰ ite4 lado icluſas* — præſens ſcilicet repertorium compoſui. Auctoris præfationem in eadem pagina absque ullo interſtitio, aut titulo excipit compendium profanæ hiſtoriæ, quod terminatur in averſa ſeptimi folii pagina, linea 9. Poſtea legitur impreſſum:

*Hic incipit genealogia ſuper fabulas auctorum.* Genealogia hæc carminibus decantata hexametris terminatur in prima folii decimi quarti pagina, linea 7. Tandem ipſum incipit Repertorium, cui ſequens præfixus eſt titulus.

*Hic incipiūt fabule auct4 ſm ordinem alphabeti.* Vox prima hujus repertorii eſt *Abas*, ſecundum auctorem noſtrum, proprium nomen Centhauri. Fuit tamen, ut docet ipſemet, pluribus commune. Quæ affirmat auctor noſter, ubivis fere veterum, poetarum maxime, auctoritatibus comprobat, proditque diligentem, & ſollicitam in illorum ſcriptis lectionem. Quod externam attinet hujus operis formam, litteræ gothicam habent formam, ſuntque non nihil craſſiores. Interpunctionis ſignum eſt punctum, cui ſæpe impoſita eſt linea, inſtar puncti exclamationis moderni. Duo puncta rarius occurrunt. Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Ad calcem operis tantum legitur, *Amen* (& hæc vox majuſculo charactere impreſſa eſt), uti etiam voces,

*Deo Gracias.*

Non dubito, quin opus præſens inter prima typographiæ baſileenſis monumenta referendum, adeoque ante annum 1477. ſit typis excuſum. At vero inter typographos Baſileenſes ſæculi decimi quinti nullum reperio, Bertoldum nomine, præter Bertholdum Rodt apud *Geſnerum* in *Bibliotheca* ad vocem *Meffret*, cui quidem Geſnerus & præſens repertorium, & ſermones Meffret attribuit. Repertorii exemplar, quod in Bibliotheca monaſterii Lilienfeld in Auſtria adſervatur, jam anno 1477 pretio comparatum eſt. Patet inde noſtræ editionis, quæ rariſſima, & forte unica eſt, antiquitas. Conf. Denis Merkwürdigk. pag. 225 ſeq.

UDAL-

*VDALRICVS GALLVS, vulgo Hahn, præter complures alios, unus fuit [illegible] recenſitos, & nota uniuſ inſignitos libros probabiliter ſequentem etiam librum Romæ circa annum 1470 typorum formulis exſcribendum curavit.*

## XLVIII. Plutarchi vitæ Parallelæ a variis auctoribus e græco in latinum verſæ & in duo volumina in Fol. diſtributæ. – Romæ, ut videtur, circa annum 1470 per Udalricum Gallum (Hahn) impreſſæ.

In fronte primæ paginæ hæc leguntur impreſſa: *Plutarchi Hiſtoriographi greci liber De viris clariſſimis: E greco ſermone in Latinum Diverſis plurimorū interpretationibus viroꝝ illuſtrium tranſlatus Incipit.* Relicto ſpatio vacuo, quod imprimendis duabus lineis ſuffeciſſet, *Epiſtola Philelphi poete In ſvitam atq3 geſta Theſei viri clariſſimi Incipit feliciter.* Terminatur hæc epiſtola averſæ paginæ linea 7. Plerique, & uti non omnes viri docti, qui unam, aut plures ex vitis Plutarchi parallelis latine reddiderunt, iisdem præmiſerunt epiſtolas, ſeu prologos, in hac editione typis iisdem impreſſos, quibus ipſe impreſſus eſt Plutarchi textus. Tum Epiſtolis, tum vitis præmiſſi ſunt tituli, ex quibus interpretis, & ejus, cujus deſcribitur vita, ſaltem nomina diſcimus. Deſunt tamen hinc inde ejusmodi tituli, licet rariſſime. Sic Niciæ, & Craſſi vitis, quæ primum locum in tomo ſecundo occupant, quarumque latinam interpretationem uni, eidemque debemus interpreti, nullus præfixus eſt titulus, nec ex epiſtola his vitis præfixa interpretis nomen innoteſcit. Deſunt quoque tituli ante vitas Demetrii & Antonii, nec non epiſtolas his vitis præfixas, quæ pariter in tomo exſtant ſecundo. Ultimum in tomo primo locum occupant vitæ Cimonis, & Luculli, per Leonardum Juſtinianum *in latinum traductæ Linguagium*, quæ phraſis ubivis fere occurrit in titulis. Tomum ſecundum claudit *vita Caroli Magni Clariſſimi viri E greco ſermone in latinum Per Donatum Acciaiolum Tranſlata.* Inepte poſitum eſſe hunc titulum, patet ex epiſtola dedicatoria Acciaioli, eidem vitæ præfixa, ubi nihil dicit de vita Caroli M. græce primum ſcripta, & a ſe latine reddita, ſed tantum adfirmat, ſe ex plurimorum de vita Caroli M. ſcriptis ea legiſſe, quæ ſibi *fide, & memoria digna* viſa ſunt. Porro in fine hujus Biographiæ, ipſiusque adeo tomi ſecundi nihil prorſus legitur adjectum. Terminatur autem in prima ultimi folii pagina, linea 22. Litteris impreſſum eſt hoc opus rotundis romanis. Pagina quævis integra lineas 49 impreſſas complectitur. Litteræ initiales plerumque deſunt; & in tomo quidem ſecundo initialem parvam ab ipſo typographo adjectam non niſi una, alterave vice obſervavi, frequentius vero in tomo primo. Omnino autem deſunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Diphtongus *ae* ubique exprimitur per *e* ſimplex. Interpunctionum ſigna ſunt punctum & duo puncta. Occurit etiam interrogationis ſignum. Græca vocabula typograpus omiſit, relicto tamen ſpatio vacuo,

illis

illis imprimendis ſufficientia. Patet ex dictis, [illegible] noſtram, antiquiſſimam eſſe. Cl. de Bure *Bibliograph. Inſtruct. n.* 6082. & ante eum Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* excitarunt editionem vitarum Parallelarum Plutarchi latinam, Romæ per Udalricum Gallum in 2 Voll. in fol. factam, & diverſorum latinas interpretationes complectentem. Atque hanc quidem editionem omnium primam haberi adfirmant, excuſam circa annum 1470 vel 1471. Huic vero editioni, teſtibus iiſdem, præfixa eſt Johannis Antonii compani, quem in typographia Udalrici Galli correctoris munere functum eſſe aliunde conſtat, Epiſtola dedicatoria ad Franciſcum Cardinalem de Piccolomini una cum regiſtro, ſeu tabula vitarum, quæ in hac editione deſcribuntur, adnexisque ſequentibus dyſticis.

*Anſer tarpeii cuſtos jovis: unde: q. alis.*
*Conſtreperes: gallus decidit: ultor adeſt.*
*Udalricus Gallus: nequem poſcantur in uſum.*
*Edocuit pennis nil opus eſſe tuis.*
*Imprimit ille die: quantum non ſcribitur anno.*
*Ingenio: haud noceas: omnia vincit homo.*

Atque hæc omnia duobus foliis ſeparatis ſunt comprehenſa. Vix dubito, noſtram editionem eandem eſſe, cum hac editione a Campano curata, hac ſolum diſcrimine, quod in exemplari noſtro deſint duo illa folia priora, Campani Epiſtolam, aliaque complectentia. Sane utraque diverſas diverſorum interpretationes complectitur. Nec aliam etiam, cui hæc convenirent, editionem a quoquam excitatam memini. Characterum inſuper forma in noſtro exemplari ea eſt, quæ minime abhorret a characteribus Udalrici Hahn. Rem decidere facillimum mihi eſſet, ſi paulo adcuratius deſcripſiſſent iſtam editionem Orlandius, & de Bure; quemadmodum facillimum id erit exemplar nacto integrum, ſcilicet Campani epiſtolam cum aliis adnexis complectens, illudque cum deſcriptione a me data conferenti. Id, arbitror, quivis mihi facile concedet, editionem a me deſcriptam anno 1477 anteriorem eſſe. (a)

PHI-

(a) Hæc ſcripta, & prælo jam parata erant, cum ex cl. Zapfii Merkwürdigkeiten der zapfiſchen Bibliothek pag. 46. ſeqq. edocerer, duas exiſtere operis modo recenſiti editiones, quæ ambæ Campani Epiſtolam habent præfixam. In harum vero una deeſt Hexaſtichon, quod incipit *Anſer Tarpeii* &c. cl. Zapfius editionem hanc, Hexaſticho, quod Udalricum Gallum typographum aperte indicat, carentem plane diverſam eſſe ab altera quæ Hexaſtichon habet adjectum, defendit, audacterque erroris accuſat Schelhornium, qui in *Diatriba Præliminar. ad Card. Quirini Librum de optim. Scriptor. Editionibus &c.* editionem eandem cum noſtra deſcripſit, & Udalrico Gallo attribuit, eo quod in exemplari Memingenſi utroque Campani epiſtola operi eſſet præfixa, & Campanus in edendis libris Udalrici Galli prælo [illegible]tus fuerit. Cum cl. Zapfius utriusque editionis exemplaria ſuis oculis inſpexerit, & diverſis eſſe characteribus impreſſa teſtetur; videtur ejus aſſertioni non neganda fides. Fateor itaque, incertum eſſe editionis a me deſcriptæ typographum, locum, & annum impreſſionis. Attamen antiquiſſimam eſſe, & editioni ab Udalrico Gallo adornatæ aut coævam, aut non multo poſteriorem vix dubito.

*PHILIPPO DE LAVAGNIA Mediolanenſi typographo celeberrimo opus ſequens adſcribendum eſt.*

## XLIX. Xenophontis Cyri Paedia latine verſa a Franciſco Philelpho. in Fol. min.

Latina hæc celeberrimi operis translatio typis prorſus iisdem & charactere rotundo elegantiſſimo, impreſſa eſt, quibus Laurentii Vallenſis opus de elegantiis linguæ latinæ anno 1477 ſumptibus Philippi de Lavagnia Mediolani prodiit. Ambo hæc opera apud nos eandem etiam compacturam habent. Nullus igitur dubito, quin circa idem tempus ambo in lucem prodierint. Præter punctum, quod ſtellulam quatuor apicum efformat, occurrunt etiam puncta duo ejusdem formæ, & interrogationis ſignum. Initiales litteras parvas ipſe typographus adjecit. Occurrunt etiam cuſtodes. At deſunt ſignaturæ, & paginarum numeri, ac inſcriptiones. Charta eſt firmiſſima, alba admodum, & polita. Signa chartarii varia obſervavi, nimirum ſtrigilem, caput bovinum, & roſam. Pleræque paginæ integræ lineas 32, quædam etiam 33 complectuntur. Margines ſunt ampliſſimi. Totum volumen foliis conſtat impreſſis 150. In fronte operis capitalibus impreſſa litteris hæc verba leguntur: *Franciſci Philelfi Præfatio In Xenophontis Libros De Cyri Paedia Ad Paulum Secundum Pontificem Maximum.* Terminatur hæc Præfatio in prima folii quinti pagina, linea 10. In fronte folii 71 incipit *Xenophontis de Cyri Paedia Liber Quintus.* Ad calcem folii 149 ſequens legitur notitia: *Huic aūt Cyri Paedia Idem Franciſcus Philelphus eques auratus. Laureatusque poeta extremū* (ſic) *impoſuit manum Mediolani ad XI. Kal. octobres, anno a natali chriſtiano Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo.* Quod ſupereſt folium, Calliphili Bernardini Robiatini quinque continet dyſtica in hanc Xenophontis verſionem, quæ hic integra recitabo:

*Qui cupitis populis reges dominarier æque:*
*Diſcite me tandem diſcite: nam doceo.*
*Attica muſa vocor. dium Xenophonta vocarunt*
*Nos alii. Græcis multa legenda dedi.*
*Unius excelſi paediam ſcripſimus omnem*
*Principis: ut vivat rex bene quiſq; ſibi.*
*Perſarum ſanctas per me tu conſule leges*
*Et per me laudes concipe quaſque tibi,*
*Et doceo bellum, pacem quoque jure tuendam:*
*Imperitare ſimul: imperiumque pati.*

FRI-

*FRIDERICUS CREUSNER, quod ſequitur, opuſculum Norimbergæ impreſſit.*

L. Declaratio arboris conſanquinitatis, & adfinitatis nec non ſpiritualis cognationis. Auctore Johanne Andrea Juriſconſulto ſæc. XIV. celeberrimo. Norimbergæ per Fridericum Creuſner. Sine nota anni. in Fol. min.

Auctor hujus opuſculi, quod decem conſtat foliis impreſſis, in contextu præfationis ſe ipſum nominat his verbis: *ego Johā. andree inter decretoꝝ doctores min⁹ & indign⁹.* Præfatio hæc, nullum prorſus titulum habens præfixum, primam paginam integram occupat. In averſa autem pagina primi folii ab initio ſtatim incipit, ſine ullo pariter titulo, tractatus de arbore conſanquinitatis, qui terminatur in prima quarti folii pagina, quam implet integram, excepta linea ultima, in qua hæc leguntur impreſſa:

*Sequitur figura arboris conſagwineitatis.*

Hæc figura in averſa hujus folii, quarti nimirum, pagina exhibetur. Folia tria ſequentia tractatum continent de arbore affinitatis. Ultima tertii, ſeu computatis quatuor præcedentibus foliis, ſeptimi folii linea hæc impreſſa habes: *Explicit lectũra ſup̱ arboribꝯ ꝯſag & affi Johannis andree.* Prima octavi folii pagina arborem adfinitatis exhibet: averſa ejusdem pagina vacua eſt. Poſtrema duo folia tractatum continent de cognatione ſpirituali. In fine hujus tractatus ſequentia annotantur: *Et ſic eſt finis hujus Tractatus. Deo ſit Laus.* Interpoſito ſpatio vacuo, quod lineam caperet impreſſam, porro legitur:

*Impreſſum ꝑ Fridericum Creuſner*
*de Nuremberga.*

Tituli tractatuum, litteræ eorundem initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Litteræ ſunt gotthicæ. Abbreviaturæ occurrunt plurimæ, nec non ſyllabæ integræ ſculptæ. Interpunctionis ſignum unicum, nempe punctum obſervavi. Parentheſes hinc inde longiores duabus lineis infra, & ſupra lineam impreſſam eminentibus includuntur. Hambergerus in zuverläßigen Nachrichten Thl. 4. pag. 555. aliam excitat hujus opuſculi editionem Norimbergæ ab eodem typographo factam cum nota anni 1483, & ſubſcriptione uberiori. Adfirmat, ſi anni nota careret, merito eam inter antiquiſſima typographicæ artis monumenta numerari poſſe, utpote omnibus inſtructam ſummæ antiquitatis notis. Habet ſane has notas noſtra etiam editio, ut ex data modo deſcriptione patet. Nonne licebit de noſtra adfirmare, quod Hambergerus de ſua incunctanter adfirmaſſet, ſiquidem ea nota anni caruiſſet? Sane cum utraque ex eadem typographia prodierit, perquam vero ſimile eſt, opuſculum idem, jam ante plures forte annos editum, typis iisdem adjecta tandem anni nota excuſum fuiſſe, deficientibus ſcilicet prioris editionis exemplaribus.

*Præcedentes Plagulæ jam fere e prælo exierant, cum ſequentibus quoque libris, quorum characteres interim paulo adcuratius examinaveram, ſuos adſignari typographos poſſe dignoviſſem. Et quidem typis MENTELII argentoratenbus excuſi fuiſſe videntur.*

## LI. Ariſtotelis 1) Libri decem moralium. 2) Libri octo politicorum. 3) Libri duo œconomicorum. Secundum latinam interpretationem Leonhardi Aretini (i. e. Leonhardi Bruni, dicti Aretini, quia Aretii opido ditionis Florentinæ natus erat) in Fol. min.

In noſtro exemplari deeſt primum folium impreſſum, quod initium continet præfationis ab interprete libris Moralium præmiſſæ. Secundum autem incipit verbis illis interpretis: *lingue noſtre. ſup habūdancia inquit &c.* Terminatur Præfatio in averſa tertii folii impreſſi pagina linea 3. Tum incipit primus liber Moralium, ſeu Ethicorum. Huic nullus omnino præfixus eſt titulus: quin in tota hac editione nulli omnino occurrunt tituli aut inſcriptiones ſeu librorum, ſeu capitum, ſeu epiſtolarum, de quibus ſuo loco. Initium igitur & finis capitum atque librorum ſolo ſpatio vacuo, quod typographus reliquit, internoſcuntur. Deſunt etiam ubivis litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Characteres gothicam habent formam, ſuntque iidem omnino, quos cl. Steigenbergerus in **literariſch: kritiſchen Abhandlung über die zwo allerälteſte gedruckte deutſche Bibeln ꝛc.** Tab. I. n. 3. & 4. æri inciſos exhibet, & Johannis Mentelii eſſe probavit pag. 19. & 20. Præter punctum nullum occurrit interpunctionis ſignum. Charta eſt firmiſſima, alba tamen, & munda, in qua typographus ampliſſimos reliquit margines. Pagina quævis integra lineas complectitur triginta duas. Moralium liber decimus terminatur in prima pagina folii 87. impreſſi, linea 18. In eadem pagina immediate ſequitur interpretis ad Papam Epiſtola, qua eidem libros Moralium Ariſtotelis a ſe latine verſos offert. Quamvis vero nec Papæ, nec interpretis nomina exprimantur, illum tamen Martinum V. hunc vero Leonardum Aretinum eſſe ex contextu Epiſtolæ ſatis colligitur. Ita enim inter alia interpres ſcribit: *Cū per vacacōʒ apl'ice ſedis nup in cōſtātiēſi concilio ſubſecutā ipē quoque ab officio quod in curia p̄ſtare conſueui vacarem &c.* Hæc ſane dicta optime conveniunt Leonardo Aretino, qui inde ab anno 1405. apud plures ſummos pontifices ſibi ſuccedentes Secretarii Brevium munere fungebatur, & Conſtantienſi concilio cum Johanne XXIII. præſens aderat, eodem autem depoſito, & Martino V. in ejus locum ſubſtituto ſedem apoſtolicam, ſeque adeo ipſum ab officio, quo apud Johannem XXIII. hactenus fungebatur, vacare veriſſime poterat adſirmare. In prima pagina folii impreſſi octuageſimi octavi incipit ejuſdem Leonardi Aretini præfatio in libros politicorum Ariſtotelis a ſe latine factos, quæ terminatur in averſa folii ejuſdem pagina linea 26. Tum primus

mus incipit liber politicorum, & ſequnter ceteri ſuo ordine libri. Octavus politicorum liber terminatur in prima pagina folii impreſſi 187, linea 6. Reliquum hujus paginæ ſpatium eſt vacuum. In ſequenti autem folio, præmiſſa interpretis præfatione, incipit primus liber œconomicorum, quem interjecto ſpatio vacuo excipit ſecundus qui terminatur in averſa pagina folii 193, linea 12. Spatium quod ſupereſt hujus paginæ, uti etiam ſequentis folii pagina prima ſunt vacua. In averſa autem pagina hujus folii interpretis incipit Epiſtola ad ſummum Pontificem Eugenium IV. ut videtur, qua eidem libros politicorum latine redditos offert. Hanc Epiſtolam excipit alia ejusdem interpretis epiſtola ad Magiſtratum, & cives urbis Senenſis qua libros eosdem offert iisdem in grati animi ſignificationem pro ſingulari honore, quo eum adfecerant, cum ad balnea petriolana curandæ valetudinis cauſa eſſet profectus. Scripta hæc epiſtola eſt Florentiæ, ubi cancellarii munere fungebatur auctor, octav. Kal. Decembris año dñi 1438. Adjecta eſt tandem civium Senenſium Epiſtola ad Leonardum Aretinum reſponſoria, qua gratiſſimum ſibi fuiſſe teſtantur hoc munus. Hæc epiſtola data eſt Senis die 28. Decembr. 1438. Atque hic finis eſt voluminis in averſa folii 196. pagina, linea 11. Patet ex data hactenus deſcriptione, editionem hanc antiquiſſimam, & forte omnium primam eſſe, ſaltem ante annum 1477. a Joh. Mentelin excuſam.

*GEORGIUS HUSNER, & JOH. BECKENHUB, de quibus ſupra N. VII. ſeqq. librum etiam ſequentem impreſſerunt.*

LII. *Laurentij Vallenſis Oratoris Clariſſimi De Libero Arbitrio Et Providentia Divina. Tractatulus feliciter Incipit.*

Hic quaſi titulus in fronte primæ paginæ legitur, majuſculis litteris gothicis impreſſus. In Prologo ad Garſiam, quem Epiſcoporum doctiſſimum, & optimum adpellat, contra eos queritur, qui in Theologicis quæſtionibus nimium tribuere ſolent Philoſophiæ. Porro hunc de Providentia libellum auctor contra Boethii librum V. de conſolatione Philoſophiæ compoſuit, in modum dialogi inter ipſum & Antonium Glaream habiti. Libellus integer decem foliis impreſſis abſolvitur. Litteræ & charta, quin tota facies exterior ſunt prorſus eædem cum operibus ſupra nn. VII. VIII. & IX, recenſitis, & ab Huſnero & Beckenhubio Argentorati impreſſis. Præter punctum nullum occurrit interpunctionis ſignum. Litteræ initiales (duæ autem tantum erant formandæ, nimirum initio prologi, & dialogi ipſius) cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Habet libellus iſte eandem compacturam cum Lactantii editione ad annum 1476. N. XV. deſcripta. Utrumque verò jam compactum Georgius Zingel, Academiæ noſtræ olim Profeſſor & Procancellarius anno 1476. comparavit, ut ipſe manu ſua adſcripſit. Oportet igitur hunc libellum hoc ſaltem anno typis fuiſſe excuſum.

*PETRUS DRACH, Spirenſis typographus, duos ſequentes libros impreſſiſſe videtur.*

## LIII Bartholomæi de S^to^ Concordio, ordin. Prædicat. qui vulgo Piſanus adpellatur, ſumma caſuum conſcientiæ, dicta alias Piſanella, & Magiſtrucia. in Fol. min.

Auctor ſæculo decimo quarto floruit. Præſens ejus opus eſt Lexicon Canonico-morale, ordine alphabetico concinnatum, & ſæculo decimo quinto, immo adhuc decimo ſexto ſæpius typis excuſum. Quam deſcripturus ſum editionem, antiquiſſima eſt, & inter omnium primas jure merito referenda, ut ex ſequenti patebit deſcriptione. Operi præmiſſus eſt index alphabeticus vocum omnium, quæ in ipſo opere occurrunt, foliis quinque comprehenſus, & adnexam habens explicationem abbreviaturarum, quibus uſus eſt auctor. In fronte folii impreſſi ſexti *Summa fratris Bartholomei de ſancto ɔcordio ordinis Predicatorū fratrum. Ad laudem & gloriam &c. &c. Ante lata in Pyſana civitate edita Incipit feliciter.* Hæc verba immediate excipit auctoris Prologus, qui terminatur in averſa pagina folii ejusdem linea 15. Folia indicem complectentia non ſunt numerata. At vero folia ipſum opus complectentia in ſuperiori margine primæ paginæ numeros habent adjectos hac ratione: *Fo.* 2. *ſo.* 6. &c. Litteræ initiales, cuſtodes, & ſignaturæ ubivis deſunt. Litteræ ſunt gothicæ minores, eæque ſculptæ, ut videtur. Sunt autem plane eædem cum litteris, quibus Petrus Drach anno 1477 partem IIdam ſummæ S. Antonini impreſſit. Quare huic typographo hoc opus merito tribuitur. Præter punctum nullum obſervavi ſignum diſtinctionis. Charta eſt plane præſtantiſſima diverſis chartarii ſigni notata. Pleræque paginæ integræ lineas impreſſas 42, quædam tamen 41, quædam tantum 40 complectuntur. Conſtat opus integrum foliis numeratis 308: quibus accedunt quinque folia non numerata, indicem complectentia. In fine nulla prorſus legitur notitia, ſed tantum hæc verba: *Sit. Laus. Deo.*

## LIV. Sermones S. Bernardi Abbatis Clarevallenſis. in Fol. min.

Sermones iſti ſunt typis iisdem impreſſi, quibus opus immediate præcedens. Vix igitur dubito, quin a Petro Drach Spiræ excuſi fuerint. Videntur ambo opera ante annum 1477 prodiiſſe in lucem, & inter prima typographiæ Spirenſis monumenta eſſe referenda. Sermones S. Bernardi in duabus columnis impreſſi ſunt. In fronte primæ columnæ hæc verba leguntur majuſculis impreſſa litteris: *Sermones beati bernardi abbatiſ clarevallis incipiunt feli-*

*feliciter. De adultu domini ſermo primus.* Deſunt initiales litteræ ſermonum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta, & interrogationis ſignum. Charta eſt firmiſſima, alba, & munda. Chartarii ſignum nullum obſervavi, niſi caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. Ad calcem ſermonis ultimi, qui eſt quartus ſuper Salve Regina, hæc tantum verba leguntur, impreſſa typis iisdem, quibus ipſe textus: *Sermones beati bernnardi* (ſic) *abbatis de monte clarevallis Expliciunt feliciter.* Tum ſequitur index ſermonum, qui ſeptem ultimas columnas occupat. Totum volumen foliis impreſſis 293 conſtat, & complectitur ſermones ſacros centum, & octuaginta de tempore, de ſanctis alioſque data opportunitate habitos. Non memini hujus editionis ab ullo Bibliographo factam eſſe mentionem. Hambergerus in zuverläſſigen Nachrichten ꝛc. Thl. 4. pag. 203. citat editionem ſermonum S. Bernardi, quæ in fine adjectam habet epiſtolam, ſcriptam *Ex heidelberga pridie Kalendas ſeptembris anno domini LXXXI. ad Petrum Drach ſpirenſem*, ex qua, ut adfirmat Hambergerus, elucet, ab hoc typographo curatam eſſe illam editionem. Verum hæc epiſtola deeſt in noſtro exemplari, quod tamen nulla parte eſt mutilum. Oportet igitur noſtram editionem ab ea diverſam eſſe, quam Hambergerus excitavit.

*Libris, qui ſequuntur, nota anni, loci, & typographi deſtitutis ſuos aſſignare typographos non auſim. Proferam tamen hinc inde conjecturas probabiles vel proprias vel aliorum.*

## LV. S. Gregorii Papæ Magni Liber regulæ paſtoralis. in 4. Editio Primaria.

In fronte operis tituli loco hæc leguntur: *Incipit liber regule paſtoral' Gregorij pape ad johãnem Archiepiſcopum Rauẽnenſem Prologus.* Terminatur hic prologus in averſa primi folii pagina, linea 22. Opus integrum 152 foliis impreſſis conſtat, & terminatur in prima pagina folii 152, linea 5, quæ hæc tantum verba continet: *ti manus leuet.* His typographus hanc ſubjecit notitiam: *Explicit liber regule paſtoral' gregorii pape: ad Johãnen* (ſic) *archiepiſcopũ Rauẽnenſem.* Capitulis ſingulis præfixi ſunt tituli, ſeu brevia argumenta, & Numeri illorum. Sic, e. g., capitulo decimo quinto hæc præfixit typographus: *Vt ſit rector diſcret*ª *in ſilentio vtilis in verbo. Cap. XV.* Characteres ſunt gothici, denſiores non nihil, ſatis tamen elegantes. Abbreviaturæ non ſunt adeo frequentes, ac in aliis eſſe ſolent antiquiſſimis libris. Interpunctionum ſigna duo occurrunt, nempe punctum & duo puncta, quæ formam habent quadratam magis, quam rotundam. Punctum ſupra litteram Jod magis accedit ad formam rotundam, quamvis ſæpe in lineolam a dextra

fini-

ſiniſtram verſus deſcendentem abeat. Vocum ſyllabas, quæ in fine lineæ ſæpius fuerant ſeparandæ, conjungendas typographus monuit adjectis duabus lineis. In prima pagina folii undecimi tria occurrunt exempla, nimirum epiſco=

patum

offi=

tium

anhe=

las

Litteræ initiales capitum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones ubivis deſunt. Charta ſatis firma eſt, & alba: chartarii ſignum caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. Singulæ paginæ, paucis exceptis, nullo titulo interruptæ lineas impreſſas 24 complectuntur. In nulla plures, in quibusdam ſolum pauciores obſervavi. Sic averſa pagina folii 110 lineas 23, folii vero 111 pagina prima tantum 22 complectitur.

In catalogo Bibliothecæ Regiæ Pariſinæ Tom. I. *de la theologie pag.* 391. *article* 901, eadem editio indicatur his verbis: *Gregorii Pape liber regule paſtoralis, ad Joannem archiepiſcopum Ravenenſem. Editio perantiqua rudibus adhuc Johannis Fauſti Moguntini calcographi typis excuſa, ut aſſeritur a Gabriele Naudæo, harum rerum peritiſſimo in nota manu ipſius ſcripta.* Cl. de Bure in *Bibliographie Inſtructiv. vol. Theologie. N.* 495. *pag.* 316. *ſeqq.* exemplar iſtud Bibliothecæ regiæ ſatis adcurate deſcripſit, ita ſaltem, ut exemplar, quod in Bibliotheca exſtat hujate academica, ejusdem editionis eſſe plane convictus ſim. Non placuit vero clariſſimo de Bure Gabrielis Naudæi, qui harum rerum merito peritiſſimus dicitur ab editore catalogi Biblothecæ regiæ pariſinæ, aliorumque ſententia, editionem iſtam circa annum 1459. a Johanne Fauſto fuiſſe typis excuſam; putatque, circa annum 1470 prodiiſſe in lucem. Fateor: nec ego tantæ antiquitatis hanc editionem judicavi, & quidem ante, quam Cl. de Bure ſententiam legiſſem. Sane litteræ non ſunt adeo rudes, ut Gabriel Naudæus adfirmat. Linearum numerus in ſingulis paginis, ſi paucas admodum excipias, æqualis, uti etiam earumdem diſtantia: Regularis etiam ubivis fere linearum ſitus eſt. Sed hæc aliter ſe habent in plerisque typographicæ artis tentaminibus. Nolim tamen celeberrimi Naudæi, qui ſine dubio longe plura vidit ejusmodi tentamina, ac mihi quidem videre contigit, & hinc longe etiam adcuratius notas illorum characteriſticas potuit agnoſcere, refragari ſententiæ. Id puto, quivis facile largietur: editionem noſtram eſſe rariſſimam, & forte omnium primam, circa annum ſaltem 1470. excuſam. Quodſi vero hoc primum anno prodiit, Fauſto non poteſt adſcribi, ut pote qui aliquot abhinc annis jam obierat.

LVI.

**LVI. 1) Lotharii Diaconi, poſthac Innocentii III. R. P. liber de miſeria humanæ conditionis. 2) Vita Udonis Epiſcopi Magdeburgenſis. 3) Diſputatio inter Clericum & militem de poteſtate prælatis Eccleſiæ, & principibus terrarum commiſſa ſub forma dialogi. 4) Compendium de vita antichriſti. in 4. min.**

Omnia hæc opuſcula iisdem ſunt typis excuſa, eodemque tempore ſimul edita videntur. Litteræ gothicam habent formam. Suntque juſtæ magnitudinis, oblongæ & ſatis pinques. Deſunt initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & tituli. Quævis pagina lineas impreſſas continet viginti ſex. Interpunctionis ſignum occurrit unicum, quod hanc habet formam (") Charta nec alba admodum, nec ſatis firma & munda eſt. Chartarii ſignum eſt caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. In fronte primæ paginæ impreſſæ hæc leguntur: *Prologus lotharii poſtea pape inocencii tercii qui fuit lucerna juris & doctor doctorũ in librũ ſuũ ſequentẽ incipit feliciter.* Comprehenditur iſtud opuſculum foliis impreſſis 41. In averſa pagina folii 41. paulo ante medium paginæ hæc impreſſa leguntur.

*Explicit Innocẽcius*
*De miſeria humane*
*Condicionis. laudetur*
*deus eternaliter.*

Non modo hanc ſubſcriptionem, ſed & antecedentia, quæcunque in ultima hac pagina leguntur, adcurate delineata exhibuit Schelhornius in *Diatriba Prælimin. ad Card. Quirini libr. de optim. Script. Edit. Fig. I. ad pag.* 8. quin lectorem monuerit, ex quanam editione ſpecimen iſtud deſumpſerit licet ipſe pag. 24. n. 14. eandem excitaverit editionem. Cum pag. 8. agat de editione libri ejusdem cum nota anni 1448 a Schöpflino in vindic. typograph. pag. 40, recenſita, lectores facile induci poſſent in errorem, quaſi ſpecimen illud ad hanc pertineret editionem. Opuſculo ſecundo in fronte paginæ 42 hic quaſi titulus præfixus eſt:

*Vita Vdonis epiſcopi incipit feliciter.*

Auctor hujus biographiæ hiſtoriam, quam narrat de interitu Udonis, anno nongenteſimo contigiſſe initio ſtatim adfirmat. In contextu autem hiſtoriæ adfirmat. *Udonem quadam nocte nigrarum monialium abbatiſſam de regali cenobio quod tunc vallis liliorum dicebatur Ciſtercienſis ordinis ſecum habuiſſe.* Cum ordo Ciſtercienſis plus quam ducentis annis poſt ann. ch. 900 fuerit primum inſtitutus: patet auctorem chronologiæ nullam habuiſſe rationem. Tota inſuper hiſtoria ejusmodi eſt, ut ſomnio, quam hiſtoriæ ſit longe ſimilior. Comprehenditur foliis impreſſis ſex tantum, & in fine hanc habet ſubſcriptionem:

*Explicit miſerabilis*
*vita Vdonis epiſcopi*

Duo

Duo hæc opuſcula Schelhornius in *Diatriba Prœliminari ad Cardinal. Quirini Librum de optim. Scriptor. Editionibus &c.* pag. 24 inter primos recenſet libros, qui typis ſculptis mobilibus excuſi ſunt, adfirmatque, extremam redolere antiquitatem. Idem de ſequentibus duobus opuſculis, utpote quæ ex eadem prodierunt typographia, adfirmaſſet, ſiquidem eorum habuiſſet notitiam. Laudata duo opuſcula, in noſtro quidem exemplari folium excipit vacuum. Deinde vero in fronte primæ ſequentis folii paginæ *Diſputacio iter clericum & militē ſup poteſtate prelatis eccleſie atq3 principib3 terra4 commiſſa ſub forma dyalogi incipit feliciter.* Dignus eſt iſte dyalogus, qui vel hodie adhuc legatur a canoniſtis, præſertim quæſtionem de Romani pontificis poteſtate in temporalia regum tractantibus. Negat miles, ullam competere Eccleſiæ poteſtatem quidquam decernendi circa temporalia: idem vero adfirmat clericus. Argumenta utrinque ex ſacris potiſſimum litteris proferuntur firmiſſima. Auctor hujus dialogi ſub Bonifacio VIII. R. P. floruiſſe videtur, quod ex ſequentibus ejus verbis, quæ in averſa primi folii pagina, linea 11. ſeqq. leguntur, colligo: *unde nuper mihi riſus magnus fuit, cum audiſſem noviter ſtatutum eſſe a domino boniſacio octavo q ipſe eſt & eſſe debet ſup omnes principatus & regna.* Ad calcem opuſculi, quod tredecim conſtat foliis impreſſis, hæc tantum leguntur impreſſa:

*Et ſic eſt finis laus criſto neſcia finis.*

In fronte primæ paginæ folii ſequentis *Compendiū be vita anticriſti incipit feliciter.* Idem vero tribus foliis tantum conſtat. Ad calcem folii tertii hæc tantum notantur: *Explicit de vita anticriſti.* Opuſcula hæc in germania fuiſſe impreſſa non dubito. Locum autem & typographum non auſim determinare. Editionem eſſe antiquiſſimam, ante annum 1477 excuſam, aſſignati characteres, puto, evincunt.

## LVII. Fortalitium fidei contra Judæos, Saracenos, & alios Chriſtiani nominis hoſtes. in Fol. max.

De auctore hujus operis non una eſt criticorum ſententia. Conf. *Vincentii Placcii Theatrum Anonymorum & Pſeudonymorum. De Scriptoribus Theologicis. n.* 737. Caſimirus Oudinus in Commentario de *Scriptoribus Eccleſiæ Antiquis Tom. III. Col.* 2572. *ſeqq.* Johannem Wolphium, qui anno 1600. Rerum memorabilium volumina duo vulgavit Lauingæ, ſecutus, iſtud opus adſcribit Thomæ, Patriarchæ Barbarienſi in partibus infidelium, ordinis Minorum, adfirmatque compoſitum fuiſſe circa annum ch. 1440. Poſſevinus in *Apparatu Sacro* ad vocem *Fortalicium* de auctore ſilet. Operis vero ipſius hanc dedit analyſin: *Fortalitium fidei: ſic prœnotatur liber, quo agitur de armandis fidelibus, & de ſex armorum ſpiritualium generibus: quin & quibus armis muniendi ſint veri concionatores: ubi plura de bello contra Hœreticos, Saracenos, Judœos, & eorum, ac dœmonum fraudes adverſus nos.* Sæculo XV. bis impreſ-

ſum

ſum eſt. Norimbergæ per Antonium Koburger, nimirum anno 1485. in Fol. & ann. 1494. in 4. Utramque hanc editionem pluribus annis præceſſit noſtra hæc, ut patebit ex ſequenti recenſione. Paginæ ſingulæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. In fronte primæ columnæ *Incipit prohemiū in quo divine laudes annotāt' & mittit' querela aūtronū majeſtatꝫ dei & ponit' intencō ſcribentꝫ.* Atque hæc quidem verba ſunt rubro colore impreſſa: quemadmodum etiam tituli quinque librorum, in quorum primo de fide chriſtiana, potiſſimum vero de Meſſia in veteri lege promiſſo generatim differitur. In ſecundo agit auctor primum quidem de hæreſi generatim. Tum vero errores quosdam catholicæ doctrinæ oppoſitos ſingulatim refutat: liber tertius Judaicæ ſuperſtitioni eſt oppoſitus: quartus eſt Contra Saracenos, & confutantur in eo Mahometis falſa dogmata. In quinto de poteſtate & fraudibus demonum diſſeritur. Quinque hi libri cum Prologo auctoris foliis impreſſis 232. ſunt comprehenſi. Accedit in fine tabula materiarum, ſecundum librorum, & capitum ordinem concinnata, cui ſubnexa eſt narratio duorum miraculorum. Primum anno 1455. contigiſſe narratur. Quodſi Thomas Barbarienſis quemadmodum Oudinus adfirmat, fortalitium fidei circa annum ch. 1440. compoſuit, hæc ſane narratio ab alio poſtmodum adjecta fuit. Tabula, & horum miraculorum narratio octo foliis impreſſis continentur. Litteræ ſunt gothicæ formæ, oblongæ, juſtæ magnitudinis nec denſæ admodum. Videntur ſculptæ non fuſæ. Interpunctionis ſignum occurrit unicum nempe punctum. Charta magna eſt, & inſolitæ latitudinis: firma admodum, alba & polita. Chartarii ſignum eſt littera D, nunc major, nunc minor, quam ſtilus ſecat ex una parte in annulum, ex altera in crucem deſinens: Quælibet columna, nullo titulo interrupta, lineas impreſſas 47. complectitur. Litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ paginarum numeri, & inſcriptiones deſunt. Vir cl. Georgius Wolfgangus Panzer in der Geſchichte der Nürnbergiſchen Ausgaben der Bibel ꝛc. pag. 3. in Not. 3. meminit editionis fortalitii fidei ſine nota loci, anni, & typographi in Fol. magn. quam putat ante annum 1470. Norimbergæ excuſam & omnium primam eſſe. Brevem noſtri exemplaris deſcriptionem eidem cl. Panzer miſi, qui datis ad me litteris teſtatus eſt, exemplar Norimbergenſe cum noſtro ejusdem eſſe editionis. Eſſe antiquiſſimam, characteres aſſignati ſatis evincunt. Anno ſaltem 1474. prodiiſſe in lucem, illud ſatis probabile efficit, quod manus eadem, quæ litteras initiales, & alias quasdam rubricas adjecit, ad finem libri quinti notam quoque anni 1474 (1ꝝ^ꝝ) adjecerit. Quod vero locum impreſſionis, & typographum attinet, puto ex characteribus eos me detexiſſe. Sunt enim characteres ſeu litteræ, quibus impreſſum eſt hoc opus, prorſus eædem cum litteris, quibus impreſſa ſunt Biblia ad ann. 1475. N. I. recenſita. Quodſi igitur verum eſt, quod de his Bibliis ex mente cl. Maſchii ibidem dixi, Baſileæ nimirum a Bernardo Rihelio excuſa fuiſſe illa Biblia: præſens etiam opus eidem typographo recte adſcribitur.

## LVIII. Wilhelmi Epiſcopi Lugdunenſis ordinis Prædicatorum, ſumma, ſeu Tractatus moralis de vitiis. in Fol.

Litteræ, quibus impreſſum eſt hoc opus, magnam habent ſimilitudinem cum litteris, quibus impreſſum eſt fortalitium fidei immediate præcedens. Quamvis igitur non ſint eædem, certum tamen videtur illas ad harum normam, forte ab eodem artifice, efformatas fuiſſe. Quare probabiliſmum mihi eſt, eodem in loco, eademque ex typographia ambo prodiiſſe opera. Deſunt ubivis litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones. Signum interpunctionis nullum occurrit niſi punctum. Charta eſt firmiſſima, alba tamen & admodum polita. Pagina quævis integra lineas triginta quatuor complectitur. In fronte voluminis præmiſſus eſt index tractatuum, & capitulorum foliis impreſſis duodecim comprehenſus. Tum folium ſequitur vacuum. Operi ipſi ſequens quaſi titulus in fronte folii impreſſi tertii decimi præfixus eſt: *Incipit ſumma vicioꝝ ſeu tractatus moralis edita* (ſic) *a fratre W.lhelmo epo lugdunenſi ordiniſq3 frm pdicatoꝝ.* Totum volumen foliis conſtat impreſſus 351. Ad calcem ultimi hæc tantum impreſſa leguntur: *Explicit ſumma de viciis. ſeu tractatus moral' Wilhelmi epiſcopi lugdinenſis* (ſic) *ordiniſq3 fratrum predicatoꝝ.*

## LIX. Monachi cujusdam Carthuſiani tractatus de modo perveniendi ad veram & perfectam Dei & Proximi Dilectionem. in 4to.

Litteræ aut eædem omnino, aut ſimillimæ ſunt litteris, quibus impreſſum eſt opus immediate præcedens. Præter punctum vero in hoc tractatu occurrit ſæpiſſime linea oblonga, ſæpe non nihil elatior, & ſubjectum habens punctum hoc modo (!) Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Tituli capitum ſingulorum iisdem, quibus ipſe textus, ſunt litteris impreſſi, ſed colore rubro. Quatuor priora folia auctoris Præfationem, & ſingulorum ordine capitulorum indicem exhibent. Quinti folii pagina prima vacua eſt: in fronte autem paginæ ſecundæ *Incipit de caritate materia. Caritatis lex ut in corde ſcribat' petit'. cap pmum.* Integrum opuſculum foliis conſtat impreſſis 124, & quævis pagina lineas 25. complectitur. Ad calcem opuſculi nihil prorſus legitur adjectum.

## LX. 1) Summa S. Thomæ Aq. de articulis fidei, & Eccleſiæ Sacramentis — 2) Tractatus de periculis contingentibus circa ſacramentum Euchariſtiæ, & remediis eorum ex dictis S. Thomæ — 3) Henrici de Haſſia expoſitio orationis dominicæ.

5)

4) Ejusdem expoſitio Ave Maria. 5) S. Auguſtini expoſitio Symboli. 6) Ejusdem expoſitio orationis Dominicæ. in Fol.

Omnia hæc opuſcula eodem charactere, eidemque chartæ impreſſa ſunt. Quare vix dubitari poterit, quin ex eadem typographia, nec diu alterum poſt alterum prodierint. Porro typi non nihil majores & oblongi ſunt, admodum ſimiles typis, quibus impreſſa ſunt tria opera præcedentia. Interpunctionum ſigna ſunt punctum, comma ſupra & infra lineam prominens, e. g. *vertatur in mortem* | Huic lineæ ſæpe ſubjectum eſt punctum (!) Chartarii ſignum frequentiſſime occurrens eſt caput bovis admodum exiguum, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. Pagina quævis integra triginta lineas complectitur. Litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Opuſculum 1) terminatur fol. 13. pagina prima, linea 28, & hanc hahet ſubſcriptionem: *Explicit ſūma edita a ſco Thoma. De aqno De articulis fidei & eccleſie ſacrāmētis.* In averſa ejusdem folii pagina *Incipit tctatꝰ de periculis q̄ ↄtingūt ĭca ſācmētū euchariſtie & de remediis eorūdē ex dictis ſancti thome de aquino.* Folio 29, pagina prima, linea 25 terminatur Henrici de Haſſia expoſitio orationis dominicæ, cui hæc a typographo adjecta eſt ſubſcriptio: *Explicit expoſitio vēnerabilis magiſtri heinrici de haſſia. Super oratōnē domīcam.* Averſa hujus folii pagina eſt vacua. Poſtremum opuſculum, n. 6. terminatur folio 39, paginæ averſæ linea 17, & hanc habet ſubſcriptionem:

*Explicit ſermo beati Aguſtini* (ſic)
*de oratione dominica.*

LXI. *Incipiunt ſermones notabiles & formales ꝑ eximiū dn̄m doctorē ſacre theologie patrē Jacobū cartuſieñ domus extra muros Erfordn̄ vicariū de p̄cipuis feſtivitatibus celebribus per anni circulū tam de tempē q̄ʒ de ſanctis. auctoriſati per dn̄m calixtū terciū. an̄o ſuo primo In octavo viſitacōis marie glorioſe virginis Anno dn̄i. ᴍ. cccc LV.* — in Fol. min.

Hæc verbotenus leguntur in fronte primæ paginæ, & repetuntur in fine operis, ita tamen ut loco *Incipiunt*, poſitum ſit, *Expliciunt.* Litteræ ſunt gothicæ paulo majores, rudes admodum & inæquales, ut ſculptæ videantur, non fuſæ. Interpunctionis ſignum unicum occurrit, nempe punctum. Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones ubique deſunt. Charta eſt firmiſſima, minus alba & polita, nullo chartarii ſigno notata. Quævis pagina integra triginta duas lineas impreſſas continet. Volumen integrum folia impreſſa 274 complectitur. Celeberrimus Schwarzius

 apud

apud Schelhornium in *Diatriba præliminari &c.* pag. 22. hanc editionem a primordiis typographiæ prope abeſſe judicavit, etſi de typographo & impreſſionis loco nihil ibidem pronunciet.

## LXII. Aureola, ſeu flores S. Hieronymi ab incerto auctore ex S. Hieronymi operibus excerpti. in Fol. min.

Opus, ut ipſe indicat titulus, ex variis S. Hieronymi operibus excerptum eſt, eſt que ſecundum varias virtutes chriſtianas, de quibus agere voluit compilator, in capitula triginta & unum diviſum. Habentur etiam flores S. Bernardi, & S. Auguſtini. Præſens florum S. Hieronymi editio in fronte primæ paginæ hanc habet inſcriptionem: *Aureola ex ſuaviſſimis ſalutiferiſq3 floribus gl'oſi confeſſoris atq3 doctoris eccleſie beati Ieronimi ad ſabre contexta Feliciter incipit.* His verbis ſubjecta eſt Præfatio in hoc opus a Thoma Dorniberg de Memmingen Decretorum & artium liberalium Doctore confecta. In averſa autem pagina index capitulorum impreſſus legitur. Tandem folio ſecundo, pagina prima, quæ ut ſequentes omnes, non item prima præcedens, in duas columnas diſtincta eſt, opus ipſum incipit, charactere impreſſum partim goothico, partim rotundo romano, utroque admodum rudi, nec ſcite in voces compoſito. Signum interpunctionis unicum occurrit, nempe punctum, & hoc quidem plerumque informe, & in æquale. Initiales litteræ capitum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones ubique deſunt. Charta eſt firmiſſima, & alba admodum, ſed minus polita. Signum chartarii paſſim occurrens eſt caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exſurgit in ſtellam definens. Semel occurrit caput humanum criſpatis crinibus in cujus vertice ſtilus exurgit in ſtellam definens. Bis obſervavi caput bovis, cujus inter cornua lilium, gallorum inſigne conſpicitur. Quævis columna integra lineas impreſſas triginta duas complectitur. Totum vero opus foliis conſtat impreſſis 41. Ad calcem hæc tantum leguntur: *Explicit doct'na beati Ieronimi ex ſuis opibus dinũerata.* Videtur mihi opus iſtud in germania typis excuſum, eo tempore, quo litteras romanas rotundas in impreſſione librorum adhibendi nec dum conſuetudo obtinuerat apud typographos in germania circa annum nempe 1470 & 1471. Anno enim 1472 Guntherus Zainer typis rotundis perelegantibus Iſidori Hiſpalenſis libros XX Etymolog. jam impreſſit, ut dixi ad hunc annum. Forte tamen lilium in charta bis occurrens typographum in Gallia commorantem prodit.

## LXIII. Enchiridion S. Auguſtini. In Fol.

In fronte primæ paginæ tituli loco hæc leguntur impreſſa: *Incipit lib' encheridion ſãcti auguſtini d' fide ſpe & caritate.* Tum ſine aliquo titulo incipit Prologus S. Auguſtini ad Laurentium, qui terminatur auerſæ paginæ linea

nea 13. In ſequenti linea incipit *C.* 1. enchiridii. Capitum initia reliquorum alia etiam ratione non notantur, quam præfixo competenti numero. e. g. C. XII, C. XX. &c. Litteræ ſunt ſculptæ, non fuſæ, quod earum inæqualitas abunde demonſtrat. Signum interpunctionis unicum obſervavi, nempe punctum, quod ipſum tamen plerumque deeſt, ubi fuerat exprimendum. Occurrunt enim paſſim integræ paginæ, in quibus vix tria quatuorve expreſſa ſunt puncta. Litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Pagina quævis integra lineas complectitur 34. Terminatur opuſculum folio 31. averſa pagina linea 26, cui hæc tantum ſubjecit verba typographus:

*Deo gracias.*

In ſequenti folio 32. *Incipiunt tituli capitulorum libri encheridion beati auguſtini,* qui terminantur folii 33. pagina prima, linea ſeptima. Poſtrema huic lineæ ſubjecta vox, majoribus litteris impreſſa eſt.

*AMEN.*

Non dubito, quin hæc editio ſit antiquiſſima & forte omnium prima ſaltem ante annum 1477. excuſa.

## LXIV. Alani, dicti Magiſtri, Lexicon Alphabeticum, in quo vocum ſignificationes ex uſu illarum in ſacra ſcriptura, vulgata nimirum verſione potiſſimum, nec non apud Theologos & Patres determinantur. In Fol. magn.

In averſa primi folii pagina, columna prima hæc verba leguntur, rubro impreſſa colore: *Venerabilis Alani liber in diſtinctionibꝫ dictionum theologicalium ffeliciter* (ſic) *incipit.* ꝛc Sequitur autem in eadem columna Alani Epiſtola dedicatoria ad Hermengaldum Sancti Ægydii abbatem: in columna vero ejuſdem paginæ ſecunda Alani in præſens opus præfatio, cui nullus præfixus eſt titulus. In prima ſecundi folii columna ſine ullo etiam titulo ipſum demum opus incipit ab explicatione præpoſitionis *a* vel *ab.* Litteram initialem parvam primæ vocis cujusvis litteræ ipſe typographus adjecit, exceptis litteris initialibus vocum *Cadaver* & *Tabula*, quæ ſunt primæ litterarum c & f. In vocibus reliquis litteræ initiales ubique deſunt. Deſunt etiam in toto opere cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Interpunctionis ſignum unicum occurrit nempe punctum. Pro æ eſt ubivis e ſimplex. Voces a littera H incipientes inveniuntur inter voces a vocalibus a, e, i, o, u, incipientes. Sic *habere* reperitur in *a*, quaſi *abere*, *hortus* in *o*, quaſi *ortus*, *Humilitas* in *u*, quaſi *umilitas* ſcriberetur. Litteræ ſemigothicæ ſunt. Occurrunt plures ſyllabæ ex una matrice fuſæ, aut eodem ex trunco, vel plumbo ſculptæ. Abbreviaturæ etiam ſunt frequentiſſimæ. Charta magna eſt, & firmiſſima, habetque amplos margines. Columna quævis integra lineas com-

## LXVI. Suetonii Tranquilli (ſeu verius: *Aurelii Victoris*) Liber de viris illuſtribus. in 4. min.

In fronte primæ paginæ *Petrus melle⁹ magnifico & præclariſſimo uiro Petro poſterulæ ducis inſubrium ſeatori digniſſio. ſ. p. d.* His verbis immediate ſubnexa eſt epiſtola dedicatoria, in qua teſtatur Petrus Melleus, ſe in edendo iſthoc opere Bonini Mombritii opera adjutum fuiſſe. Porro Boninus Mombritius Mediolanenſis fuit, ejusque potiſſimum opera Euſebii Chronicon per Philippum de Lavagnia Mediolani circa ann. 1475. primo omnium typis editum eſt. Conf. N. XXIII. ad ann. 1475. Inde probabilis admodum mihi conjectura ſubnaſcitur, præſentem libellum pariter Mediolani circa idem tempus, in eademque typographia fuiſſe excuſum. Cur Petrus Melleus hunc de viris illuſtribus libellum Suetonio, & non potius Plinio ſecundo, vt multi olim, aut quæ hodie communior eſt ſententia, Aurelio Victori adſcripſerit, hanc adfert in laudata epiſtola dedicatoria rationem: *apud optimum quemque divi Hieronymi anctoritatem valere & in hoc uti & in ceteris plurimum ſpero qui eo quidem in opere cuius & ipſe inſcriptionem de viris illuſtribus eſſe voluit, his plane verbis ſe tranquillum imitaturum dixit, ejusque dicta ad verbum ſubiiciam: Hortaris Dexter, ut tranquillum ſequens eccleſiaſticos ſcriptores in ordinem digeram, & quod ille in enumerandis gentilium litterarum virisfecit illuſtribus, ego in noſtris faciam, quibus quidem verbis plane conſtare arbitror, id opuſculum a Suetonio, non a Plinio fuiſſe editum.* Verum non eſt firmum, quod ex Hieronymi verbis petitur, argumentum pro Suetonio tranquillo hujus libelli auctore. Videtur enim S. Hieronymus Suetonii libellos de claris Grammaticis & Rhetoribus potius deſignaſſe, quam hunc de viris illuſtribus libellum. Sed quidquid ſit de auctore libelli, præſens ejus editio certe rariſſima, omnibus, qui mihi ad manus ſunt, Bibliographis in cognita, & forte omnium antiquiſſima eſt. Quare deſcriptionem ejusdem uberiorem dabo. Primum folium impreſſum Petri Mellei Epiſtolam dedicatoriam ad Petrum Poſterulam complectitur. Folia ſecundum & tertium tabulam continent ſeu indicem illuſtrium virorum, quorum vitæ in hoc opuſculo deſcribuntur. In fronte quarti demum folii capitalibus litteris hæc leguntur Impreſſa: *Suetonius Tranquillus De Præclare Geſtis Romanorum.* Tum immediate ſequitur narratio de Proca Rege Albanorum ſine ullo titulo. Nullus etiam titulus præfixus eſt vitis reliquorum illuſtrium virorum. Litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & tituli ubivis deſunt. Litteræ rotundæ ſunt, eæque elegantiſſimæ. Interpunctionum ſigna ſunt punctum, & duo puncta. Plagularum faſciculis opuſculum integrum conſtat quatuor. Tres priores ſunt quinterni, ultimus ternus eſt. Ternionis iſtius folium ultimum eſt vacuum: in prima autem penultimi folii pagina poſt medium capitalibus litteris leguntur ſequentia.

*De Rebus Præclare Ge*
*ſtis Virorum Illuſtrium*

His

His interjecto exiguo ſpatio, ſubjecti ſunt hi verſus, eodem, quo ipſum opuſculum, charactere impreſſi:

*Romanas acies regū que illuſtria facta*
*Si cupis hoc ſuas fac breve lector opus:*
*Quod breve ſit quāvis īgētia pōdera rerū.*
*Continet & ueterū fortia facta virum.*

Charta eſt firmiſſima, & amplos, ſpectata formæ quantitate, habet margines. Pagina quævis lineas complectitur viginti quatuor. Videtur mihi hæc editio, ut jam inſinuavi, ex typographia Philippi de Lavagnia Mediolani circa annum 1475 prodiiſſe.

## LXVII. Magni Turci (Mohometis ſcilicet ſecundi) Turcarum imperatoris, qui ob magnitudinem rerum geſtarum hoc nomine fuit inſignitus, Epiſtolæ a Laudivio Equite Hieroſolymitano latine edite. in 4. min.

Præmiſſa eſt *Laudivii* (hoc nomen capitalibus litteris impreſſum eſt, non item ſequentia) *equitis hieroſolimitani ad Frāciſ̄ Beltrandū in epl'as magni Turci p̄fatio;* quæ quidem præfatio lineis ſedecim, non integris, abſolvitur. Eidem in eadem pagina ſubnexum eſt *Argumentum Epiſtolarum.* Hujus auctor argumenti adfirmat, Magnum turcum *Epiſtolas ad innumeras orbis gentes plurimas dictaſſe. partim ſyro & greco ſermone compoſitas. partim etiam ſcythica linqua ſcriptas. Quas quidem Laudiuius eques Hieroſolymitanus earum poſt ſententias aſſecutus latinas edidit.* His verbis argumentum concluditur in averſa primi folii pagina, linea 11. Sed videntur mihi hæ epiſtolæ ſuppoſitæ, & a quodam exercitii cauſa ſermone ſtatim latino conſcriptæ, quod ex ſtilo laconico, & miro ingenii artificio inter ſe connexis ſententiis jam ante me opinati ſunt editor der Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu Dreßden pag. 463. & Frid. Gotthilf Freytag in *Apparatu litterar. Tom. I. pag.* 190. Ceterum plures tum a Freytagio loc. cit. tum ab aliis harum epiſtolarum citantur editiones. Sed noſtram hanc a nemine excitatam inveni. Quare rariſſimam eſſe oportet, & forte omnium primam, & originalem. Antiquiſſimam eſſe & anno 1477. anteriorem vix dubito. Patebit id etiam ex deſcriptione, quam ſtatim ſubjungam. Omnes iſtæ epiſtolæ duobus plagularum faſciculis continentur. Prior quinternus, alter vero ternus eſt. Litteræ ſunt rotundæ quidem, ſed admodum rudes, & impolitæ, nec inter ſe æquales, adeo, ut ſculptæ videantur, non fuſæ. Situs illarum in ſingulis vocibus, & lineis eſt admodum inordinatus. Initiales litteræ ſingularum epiſtolarum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones ubivis deſunt. Littera Jod vix unquam punctum habet ſibi impoſitum. Interpunctionis ſignum unicum occurrit, nempe punctum. Pro *ae* eſt ubivis *e* ſimplex. In fine primæ ultimi folii paginæ hæc tantum leguntur impreſſa: *Epl'e Magni Turci finiūt.* Averſa

pagina vacua eſt. Eidem vero manus coæva notam anni 1ЯΛΛ (1477) & dyſtica duo Turci ad Papam, & totidem Papæ ad Turcum adſcripſit: quæ tamen hodie vix legi poſſunt. Adſcribam tamen ea integra, prout mihi quidem legenda videntur.

*THURCUS AD PAPAM.*

*Fata monent, ſtelleq3 docent aviumq3 volatus*
*Totius ſubito malleus orbis ero.*
*Roma diu Titubans magnis erroribus ejus*
*Decidet & mundi deſinet eſſe caput.*

*RESPONSIO PAPE.*

*Fata ſilent ſtelleq3 tacent nil proficis armis*
*Solius proprium ſiſtere fata dei.*
*Niteris incaſſū petri pēruertere navem*
*Eſtuet at nunquā deperit illa navis.*

Prima manus loco *navis*, ſcripſerat *ratis*.

LXVIII. Suetonii Tranquilli libellus de claris Grammaticis & Rhetoribus, a Johanne Aloyſio Tuſcano Advocato Conſiſtoriali primum editus. in 4. min.

In prima pagina exſtat Johannis Aloyſii Tuſcani epiſtola dedicatoria ad Johannem Tituli SS. Nerei & Achillei Presbyterum cardinalem Novarienſem in qua teſtatur editor, Suetonii Librum de claris Grammaticis & Rhetoribus, ſibi ante in cognitum, nuper primum in manus ſuas deveniſſe. Ex hoc ſane teſtimonio mihi probabilis admodum ſubnaſcitur conjectura, libellum hunc ante needum typorum formulis fuiſſe exſcriptum, primumque ejus editorem eſſe Johannem Aloyſium Tuſcanum, qui ſe ipſum in dedicatoria epiſtola Advocatum conſiſtorialem adpellat. Inter hujus libelli editiones, nota anni inſignitas, antiquiorem a Bibliographis excitatam non inveni, ac ea eſt, quam unacum Modeſti Libello de Re Militari nec non de Magiſtratibus, Sacerdotiis & legibus venetiis anno 1474. prodiiſſe teſtatur cl. de Bure *Bibliographie Inſtructiv. n.* 2131. Hæc editio Johannem Aloyſium Tuſcanum latere debuit cum ſuam, quam modo ſum deſcripturus, adornaret. Latere autem vix potuiſſet, ſi diu poſt annum 1474. edendi hujus libelli conſilium cepiſſet Tuſcanus. Id igitur ſaltem mihi concedent æqui judices, non diu poſt annum 1474 noſtram prodiiſſe editionem, ſi non eodem anno, aut omnino jam ante prodierit. Oportet eandem eſſe rariſſimam. A nullo enim excitatam inveni, niſi forte Orlandi in *Origine e Progreſſi della Stampa pag.* 411. ſtatim ab initio his verbis eam indigitaverit: *Alia editio* (Suetonii) *ſine ullo ſigno anni &c. Et eſt de Rhetoribus & Grammaticis Clariſſimis.* 4. Operæ igitur pretium eſt, ut de ea dicam uberius. In prima ut dixi primi folii pagina exſtat editoris epiſtola dedicatoria. In averſa autem ejusdem folii pagina & quidem in fronte paginæ hæc verba leguntur impreſſa: *Suetonius de Grammaticis*

*ticis*, in eademque pagina præmiſſa Suetonii Præfatione opus ipſum de Grammaticis ſine ullo titulo incipit. Terminatur autem in prima undecimi folii pagina, linea 24; cui hæc tantum verba ſubjecit typograpus:

*Finis. Laus Deo.*

Averſa hujus folii pagina eſt vacua. Vacua etiam eſt prima pagina folii duodecimi. In averſa autem hujus folii pagina ſine ullo titulo Libellus de claris Rhetoribus incipit, idemque terminatur in averſa pagina folii decimi quinti, linea 25; cui hæc tantum ſubjecit typographus.

*Laus Deo.*

Totus igitur libellus duobus conſtat quaternionibus, & ſecundi quidem quaternionis folium ultimum eſt vacuum. Litteræ, quibus impreſſus eſt iſte libellus ſunt rotundæ, & perelegantes. Charta firmiſſima eſt, alba tamen, Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & tituli deſunt. Interpunctionis ſignum unicum occurrit, nempe punctum. Pro *ae* ubivis impreſſum reperi *e* ſimplex, præterquam in voce Cæſar.

## LXIX. S. Auguſtini 1) Sermo ſuper oratione Dominica. 2) Expoſitio Symboli. 3) Sermo de ebrietate cavenda. in 4. min.

Tria hæc opuſcula ex eadem typographia ſimul prodiiſſe, dubitari non poteſt. Ita enim inter ſe cohærent, ut ſeparari ab invicem non poſſint. Characteres ſunt gothicæ formæ, minuti, ſed admodum pinques. Interpunctionis ſignum unicum occurrit, nempe punctum paulo craſſius plerumque hujus formæ (*r*). Litteræ initiales ſingulorum opuſculorum, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri & tituli deſunt. Imprimendis hisce tribus opuſculis octo folia ſuffecerant. Quævis pagina integra viginti ſeptem lineas complectitur. In fronte primæ paginæ primi folii *Incipit ſermo beati Auguſtini epiſcopi. ſuper orationem dominicam;* Idemque terminatur in prima tertii folii pagina, linea ſecunda. Tum exiguo ſpatio relicto ſequitur: *Explicit ſermo beati Auguſtini, de orōne dominica. Incipit expoſitio eiuſdē ſup ſybolū.* Ad finem primæ quinti folii paginæ, linea penultima incipit *Alia expoſicō ſup ſymbolū*, quæ terminatur in averſa ſexti folii pagina, linea 20. Quæ ſuperſunt paginæ, eas tertium implet opuſculum. Ad hujus vero calcem nihil prorſus legitur adnotatum a typographo. Hæc etiam opuſcula in germania ſaltem ante ann. 1477. excuſa eſſe non dubito. Litteræ maximam habent ſimilitudinem cum litteris Udalrici Zell. Conf. N.'I — V. Sunt tamen paulo minores.

## LXX. Guilliermi Tardivi Baſis grammaticæ. Accedit auctoris ejusdem commentarius in hanc baſin — 4.

In fronte primæ paginæ hæc leguntur: *Guillermus tardivi anicienſis Karolo. mariete pariſienſi litterarū amorē optat.* Tum ſequitur Epiſtola dedicatoria



ad

ad eundem Karolum, qui, ut ex ejusdem Epiſtolæ contextu patet, filius fuit Henrici *Regii criminum Locum tenentis Caſtilieti.* Nomen accepit a Carolo Aquitaniæ duce, fuitque tunc admodum juvenis, cum hanc auctor ad eum epiſtolam ſcriberet. Porro hæc epiſtola ſcripta eſt *Pariſius ſecundi ominis loco anni mileſimi quadringenteſi unde ſeptuageſimi* (1469) *ianuarii die primo.* Ut de operis argumento aliquid nunc dicam, agit auctor in baſi de octo orationis partibus, nomine nimirum, pronomine, verbo, participio, adverbio, interjectione, præpoſitione & conjunctione totidem capitulis, ſeu ſectionibus, quibus tamen ſingulis nullus præfixus eſt titulus. Capitulum de nomine incipit initio folii ſecundi: capitulum vero de conjunctione terminatur in averſa noni folii pagina, linea 12. Quæ immediate ſequuntur, tria folia tabulam continent conjugationum, cujus ad calcem hæc leguntur impreſſa:

*Guillerimi Tardivi anici*
*enſis baſis grãmatice finit.*

In ſequentis folii pagina prima *Guillerimi tardiui anicienſis ſup ejuſdẽ baſi grãmatice cõmentariũ incipit:* Terminatur autem in averſa folii 24 pagina, linea 7; cui hæc tantum ſunt ſubjecta:

*Guillerimi Tardivi anicienſis ſup ejuſdẽ*
*baſi grammatice cõmentarium finit.*

Spectata typorum indole, aliisque antiquitatis notis libelli hujus editio haud immerito ad annum 1469, quo data eſt epiſtola dedicatoria, vel certe ad annum anno 1477. anteriorem, referri meretur. Litteræ enim gothicæ ſunt formæ, oblongæ, & minus denſæ, admodum inter ſe inæquales, ut ſculptas eſſe non dubitem. Interpunctionis ſignum unicum occurrit, nempe punctum. Deſunt etiam initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginatum numeri & inſcriptiones. Ut diſtinqui hæc editio ab aliis, quæ forte exiſtunt, facilius poſſit, illud etiam adnotabo, quamvis paginam lineas impreſſas viginti octo complecti.

LXXI. Juridica varia 1) Modus legendi abbreviaturas in utroque Jure, cui accedit index ſeu Regiſtrum materiarum in ſequentem proceſſum judiciarium. 2) Proceſſus Judiciarius Johannis de Aurbach. 3) Tractatus de Præſumptionibus. 4) Magiſtri Dominici de civitate Viſencia Tractatus ad inſtitutionem eorum, qui Notarios agunt Archiepiſcoporum & Epiſcoporum. 5) Tractatus generalis de arte Notariatus. 6) Tractatus de Proceſſu Judiciario. 7) Introductio brevis ad Procuratoris officium. 8) Defenſorium Juris. 9) Tractatus de exceptionibus Innocentii IV. R. P. 10) Tractatus de Præſcriptionibus Domini Dyni de Mugilo Legum Doctoris.

11)

11) Tractatus de Arbitris & Arbitratoribus Petri Jacobi, Legum Doctoris, de Monte Peſſulano. 12) Doctrinæ legum & canonum Domini Galnaui de Bononia. in Fol. min.

Omnia hæc opuſcula juridica, foliis impreſſis 227. comprehenſa, ſunt impreſſa litteris gothicis, admodum rudibus, & inæqualibus, ut ſculptas eſſe, non fuſas, vix dubitem. Paginæ ſingulæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. Interpunctionis ſignum proprie non niſi unicum occurrit, nempe punctum, formam habens quadratam. Occurrit tamen etiam (ſæpe in medio ſententiæ contextu) linea longa, utpote ſupra & infra lineam impreſſam prominens. Poſt citationes ſæpe occurrit aſteriſcus quidam informis hujus figuræ (z) Charta eſt alba admodum, ſed minus polita. Chartarii ſigna varia occurrunt, & præter alia frequentius caput bovinum, & integri bovis figura. Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Videtur mihi hæc editio magnam ſapere antiquitatem & certe ante annum 1476. excuſa eſſe. In fine Tractatus, quem ſub N. 14) allegavi ſequentia leguntur impreſſa: *Explicit regiſtrū ordis ſive ɔpceſſꝫ iudiciarii in q° facilit' invenies quālibꝫ materiā eundē pceſſū ɔcernentē cuꝫ aliquibus in marginibꝫ ānotatis.* Tractatus autem ultimi ſequens eſt ſubſcriptio: *Expliciunt drē legum & canonū domī. Galnani de bononia.*

LXXII. Eadem opera juridica, quæ N. præcedenti recenſita ſunt. in Fol. min.

Editio hæc gothico quidem charactere, cui litteræ majuſculæ romanæ ſunt admixtæ, impreſſa eſt, ſed minus rudi, & magis æquabili, quam in editione præcedenti. Ceterum hæc quidem non niſi prioris repetitio dici poteſt. Ita enim illam hæc imitatur, ut pagina paginæ, columna columnæ, & plerumque linea lineæ quam exactiſſime reſpondeant. Differunt ſolum hinc inde in ortographia, & interpunctione. Præter punctum enim occurrunt hinc inde, licet rarius, etiam duo puncta. Litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones pariter deſunt. Bibliopegi culpa fuit, quod libellus de legendis abbreviaturis in jure, qui in editione præcedenti primum occupat locum, in hoc poſtremum occupet. Subſcriptiones ambæ, quas ſupra recitavi proprias editioni præcedenti, in hac poſteriori paulo aliter ſeſe habent. In priori enim ſubſcriptione pro in marginibus annotatis, poſterior editio habet *materiā ɔcernētibus.* Poſteriorem vero ſubſcriptionem ita præſens exhibet editio: *Drē legū & canonū dn̄i Galnani de bōnia expliciūt.*

## LXXIII. Petri Lombardi commentaria in Pſalmos maximam partem ex Origene, Hilario, Hieronymo, aliisque antiquis Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis excerpta. in Fol.

In averſa primi folii pagina leguntur ſequentia impreſſa: *Petri lumbardi* (ſic) *Quem & magiſtꝝ ſententiaꝝ dicimũs gloſa ordinaria in prophetam. de quo dominus ait Elegi mihi david, viꝝ ſecundũm cor meum. hic intitulatur liber.* Indicantur deinde auctores, ex quibus ſua deprompſit Lombardus, & explicantur ſigna, quæ in editione occurrunt. In prima pagina folii ſecundi ſine ullo titulo incipit auctoris præfatio, quæ terminatur in prima quarti folii pagina, linea 13. In averſa pagina folii ejusdem ipſi incipiunt Pſalmi & in eosdem commentaria, hæc quidem litteris gothicis paulo majoribus & denſioribus, illi vero minoribus impreſſi. In ſuperiori margine cujusvis paginæ nomina leguntur impreſſa eorum, ex quibus Lombardus ſua deſumpſit commentaria. Initiales litteræ ſingulorum verſuum Cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri omnino deſunt. Præter punctum nullum etiam occurrit ſignum interpunctionis. Totum volumen foliis conſtat impreſſis 414. Ad calcem nihil aliud legitur impreſſum, quam hæc duo verba: *Finis operis.* His manus coæva rubricatoris, ut videtur vel antiqui poſſeſſoris notam anni 1478 (1 ᴙ Λ8) & ſequentia inſuper colore rubro adſcripſit: *Mḡr michael puterſas pñs pſalteriũ emit cp* 10 *ſolidis & decem octo denariis in nigra moneta ĩ univerſitate ingolſtatēſi.* Editionem hanc noſtram, nota loci, anni, & typographi impreſſa carentem apud nullum reperi Bibliographum, niſi forte Weislingerus in *Catalogo Librorum Impreſſorum in Bibliotheca ord. Hieroſolymit. Argentorati aſſervatorum pag.* 132. eandem deſignavit, ubi editionem citat ſine nota loci, anni, & typographi, eamque ante editionem Norimbergenſem ann. 1478 recenſet. Videtur ſane & mihi noſtra editio Norimbergenſi iterato laudata eſſe aliquot annis antiquior. Antiquitatem editionis præter characteres aſſignatos illud etiam probat, quod pſalmi careant numeris, nec proinde eorum initia aut finis alia ratione poſſint diſtinqui, quam ex titulis qui in manuſcriptis æque codicibus, ac editionibus aliis pariter occurrunt.

## LXXIV. Wilhelmi Epiſcopi Lugdunenſis, ord. Prædic. Summa ſeu Tractatus Moralis de Vitiis. in Fol. min.

Hæc editio ad normam editionis N. LVIII. recenſitæ facta fuiſſe videtur. Primo enim totidem conſtat ſoliis impreſſis, quot illa. Initio præmiſſus eſt index pariter foliis impreſſis 12. comprehenſus. In fronte folii 13. eadem plane verba cum eodem ſphalmate typographico leguntur, ſcilicet: *Incipit ſumma viciorum ſeu tractatus moral' edita* (ſic) *a fratre Wilhelmo epõ lugdunēſ. ordiniſq3 fratrũ predicatoꝝ.* Ad calcem voluminis legitur, prorſus ut in priori editione: *Explicit ſuma de viciis: ſeu Tractatus moral' vihelmi* (ſic) *epiſcopi*

*lug-*

*lugdunẽſ ordiniſq; fratrũ predicat4.:* Litteræ ſunt gothicæ formæ, oblongæ & admodum pinques. Habent magnam ſimilitudinem cum litteris Fauſti & Schoyfferi majoribus, quibus primam partem ſummæ S. Thomæ Aquinatis ſupra N. XXXVIII. recenſitam iidem impreſſerunt, vel Fauſto defuncto impreſſit Schoyfferus. Quamvis vero non ſint eædem, videntur tamen vel hæ ad illarum, vel iſtæ ad harum imitationem factæ fuiſſe. Deſunt ubivis cuſtodes, ſignaturæ, litteræ initiales, paginarum numeri & inſcriptiones. Diſtinctionis ſignum nullum obſervavi niſi punctum. Charta eſt plane præſtantiſſima, alba, munda, firma. Quævis pagina integra lineas 34. complectitur, ut in editione priori N. LVIII. recenſita.

## LXXV. S. Thomæ Aquinatis Summa de fidei articulis, & Eccleſiæ Sacramentis. in 4to.

Hoc opuſculum; foliis conſtans impreſſis tredecim, charactere admodum minuto gothico impreſſum eſt. Litteræ ſunt admodum rudes, & in æquales, ut ſculptas eſſe, non fuſas vix dubitem. Præter punctum nullum omnino occurrit ſignum diſtinctionis. Nec ipſi operi in fronte, nec articulis, aut capitibus, in quæ diviſum eſt, præfixi ſunt tituli aut inſcriptiones. Deſunt etiam ubivis litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones. Charta eſt admodum firma, alba, & polita. Chartarii ſignum, ſemel tantum occurrens, unicum obſervavi, nempe caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. Ad calcem opuſculi ſequens legitur notitia typis iiſdem, quibus ipſe textus impreſſa:

*Explicit ſumma de articulis fidei & ec*
*cleſie ſacramentis. edita a fratre tho*
*ma de aquino. ordinis fratrum p̃redi*
*catorum. Deo gracias.*

Ex characteribus hujus editionis a me aſſignatis puto facile poſſe concedi, librum iſtum ſaltem circa annum 1470. fuiſſe typis excuſum. Ut autem diſtinqui hæc editio ab aliis ſine loco, & anno editionibus poſſit facilius, illud inſuper annotabo, paginam quamvis lineas complecti 34, & textum opuſculi terminari in prima pagina folii decimi tertii, linea decima tertia. Antiquitatem editionis illud etiam probat, quod in fine linearum abruptæ vocum ſyllabæ nullo ſigno cum ſequentibus ſyllabis conjungendæ indicentur & nulla fere linea in eadem etiam pagina ſit ejuſdem longitudinis cum altera quacumque.

## LXXVI. 1) Lotharii Diaconi Cardinalis, poſtea Innocentii III. R. P. Liber de Miſeria conditionis humanæ. 2) Tractatus bipartitus incerti auctoris de creatione mundi, formatione

Ange-

Angelorum & pluribus aliis religionis capitibus, nullo nexu inter ſe cohærentibus. 3) Summa brevis de Pœnitentia. 4) Sermones pro mortuis. 5) Litigatio Sathanæ contra genus humanum. — in 4to.

Omnia hæc opuſcula ſunt iisdem characteribus, eidemque chartæ impreſſa, ita quidem, ut ſeparari alterum ab altero non poſſint. Quare nullum eſt dubium, quin ex eadem typographia eodem tempore ſimul prodierint in lucem. Porro litteræ gothicæ ſunt, majores ac denſiores litteris, quibus impreſſum eſt opus immediate præcedens & his etiam magis inter ſe æquabiles. Videntur nihilominus ſculptæ eſſe, non fuſæ. Diſtinctionis ſignum nullum occurrit, niſi punctum. Deſunt etiam initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Capitibus, in quæ diviſa ſunt pleraque hæc opuſcula, nulli præfixi ſunt tituli, numeri, vel argumenta. Diſtinquuntur ſolo ſpatio vacuo inter illa relicto. In fronte primi opuſculi hæc leguntur impreſſa: *Incipit liber miſerie condicōnis humane a Lothario dyacono cardinali ſanctorū Sergi & Bachi qui poſtea Innocentius papa appellatus eſt.* Tum immediate *Incipiūt capitula* (capitulorum argumenta) *primi libri.* Ad calcem vero partis tertiæ hujus operis, in prima folii 36. pagina, linea 16. terminati, hæc tantum impreſſa leguntur: *Explicit liber de miſeria condicōnis humane.* In averſa pagina folii ejusdem *Incipit brevis Tractatus de creacione mundi & formacione angelorū de ſituacione & ordinacione mundi & pluribus aliis & primo de trinitate.* Terminatur hoc opus in averſa pagina folii 59, linea 6, cui ſubjecta ſunt ſequentia:

*Explicit ſuña brevis & vtilis ſup diuerſis cōpoſita.*
*Incipit ſumma penitentie brevis & vtilis.*

Hæc ſumma pœnitentiæ ad folii usque ſexageſimi quarti averſam paginam, lineam decimam ſeptimam ſeſe extendit. Quæ ſuperſunt duo opuſcula, ſpatium ejusdem paginæ reliquum, & folia quatuordecim ſequentia occupant. Ad calcem poſterioris hæc tantum leguntur:

*Explicit litigacio ſathane contra gen⁹ humanū.*

Videntur mihi & hæc opuſcula ante annum ſaltem 1476. excuſa fuiſſe, etſi typographi, loci, & anni nota careant. Quævis pagina integra lineas 28. complectitur. Charta eſt plane firmiſſima eademque alba admodum.

## LXXVII. S. Bonaventura in librum primum ſententiarum Petri Lombardi. in Fol. magn.

Hunc codicem Georgius. Zingel, Academiæ noſtræ Doctor, Profeſſor, & Procancellarius anno 1476. pretio duorum florenorum comparavit, ut ipſe manu ſua ad calcem primæ paginæ adnotavit. Oportet igitur hoc ſaltem anno fuiſſe excuſum. Præmiſſus eſt ſine vllo titulo auctoris Prologus, quatuor

tuor foliis, exceptis quinque lineis columnæ quartæ folii quarti, comprehenſus. Ad calcem hujus prologi hæc tantum leguntur impreſſa: *Explicit prologus.* Quinque lineas dictæ columnæ poſtremas immediate ſequentes operis initium ſibi vindicat. Litteræ ſunt gothicæ quidem, ſed talis formæ, quæ ad rotundas quodammodo accedit. Deſunt ubivis initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones. Præter punctum nullum etiam occurrit ſignum diſtinctionis. Charta eſt admodum firma, munda, & alba. Chartarii ſignum frequentiſſime occurrens eſt roſa diverſæ magnitudinis. Semel caput bovis obſervavi: aliquoties ſtrigilem, non niſi bis, terve uvam. Columna quævis 62. lineas complectitur. Sunt tamen margines ſatis ampli. Totum opus foliis impreſſis conſtat 163. Accedunt vero duo folia ſeparata, quæ indicem continent materiarum. In fronte hujus indicis hæc leguntur impreſſa: *Sequūtur queſtiones ſeraphici doctoris dñi bonauenture cardinalis ſuper primo libro ſentenciaꝝ. & primo quatuor queſtões pambule ſcdm quadruplex genus cauſe.* Nec in fine hujus indicis, nec in fine ipſius operis quidquam legitur adnotatum ut adeo locus, annus, typographus lateant, qui ex characteribus, ſeu litteris non ſatis etiam poſſunt agnoſci. Librum anno ſaltem 1476. eſſe excuſum, initio monui.

## LXXVIII. Sermones Sacri pro feſtis per annum diebus, dicti *Sermones Dan.* in Fol.

Paginæ ſingulæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. Prima columna exhibet *Regiſtrum Sermonum opis dan de ſactis. Et nota q3 numeri añpoſiti nõ quotant folia libri ſ3 originem ꝯtentoꝝ ĩ libro Dan.* Terminatur hoc regiſtrum in averſa pagina folii ſecundi columna prima paulo ante medium. In eadem columna legitur impreſſum *Incipit tabula libri*, hoc eſt, index alphabeticus materiarum. Incipit hæc tabula folio 3tio, & quinque implet folia. Folio demum impreſſo octavo *Incipit opus de ſanctis.* Sequitur autem immediate brevis auctoris introductio, ex qua diſcimus, eundem etiam ſermones ſacros de tempore edidiſſe. Porro huic prologo præfixit verba ſequentia ex Deuteronomii Cap. XXXI. deprompta: *Dan catulus leonis fluit largiter de Baſan.* Inde conjicio, ſermonibus iſtis nomen, *Sermones Dan*, fuiſſe inditum. Impreſſum eſt hoc opus charactere gothico, ſatis pinqui, & magis rotundo, quam oblongo. Initiales litteras magnas ligno inciſas typographus adjiciendas curavit. Cuſtodes vero, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Charta eſt firmiſſima, ſed minus alba & polita. Chartarii ſignum frequentius occurrens eſt littera D, quam ſtilus ſecat ex una parte in annulum, ex altera in crucem deſinens. Minus frequenter corona occurrit. Quævis columna integra lineas 57. complectitur. Conſtat volumen integrum foliis impreſſis 246. In fine nihil prorſus legitur adjectum. De typographo & loco impreſſionis nolim hariolari. Librum ipſum ante ann. 1480. impreſſum eſſe, perquam mihi probabile eſt.

**LXXIX. Guilelmi Poſtilla in Evangelia & Epiſtolas de tempore, & diebus Dominicis, de Sanctis, de communi Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum & pro defunctis. in Fol. min.**

Auctoris nomen in hac editione exprimitur voce *Gvuilerinus*. Eundem alii Guilhermum, alii Guilielmum adpellarunt. Ex plerorumque ſententia idem fuit cum Guilielmo Pariſienſi Epiſcopo, qui anno 1249. diem obiit ſupremum. Sed diverſum fuiſſe præſentis operis auctorem ſeu compilatorem a Guilielmo pariſienſi, inde patet, quod paſſim in hac poſtilla excitaverit Nicolaum de Lyra, quem etiam in Præfatione inter eos numerat, ex quorum ſcriptis ſua depromſit. Fuit igitur integro ſaltem ſæculo poſterior Guilielmo Pariſienſi. Immo ſæculo primum decimo quinto floruit. In ſubſcriptione enim, quam ipſe auctor adjecit, Poſtilla hæc collecta dicitur Anno dñi M. CCCC. XXXVII. Quis fuerit, ego quidem non auſim determinare, ſufficientibus deſtitutus monumentis. Ipſe in præfatione de ſe loquitur in hæc verba: *Ego frater* (videtur igitur Religioſi cujusdam ordinis fuiſſe alumnus) *Gvillerimus ſacre theolouie profeſſor minimus Pariſius* (ſic) *educatus*. Atque hæc quidem de auctore, nunc de præſenti diſſeram editione. In averſa primi folii pagina auctoris legitur præfatio, in qua adfirmat, ſe opus iſtud pro minus expertis clericis & incipientibus prædicatoribus compilaſſe ex diverſis auctoribus, quos etiam nominat. In prima pagina ſecundi folii opus ipſum incipit, diviſum quodammodo in duas partes, quarum prima expoſitiones epiſtolarum altera Evangeliorum complectuntur. Pars prima octo plagularum faſciculis comprehenditur, ſignatis A — H, ſuntque omnes quaterni, præter G & H ternos. In fronte folii 61. *Incipit Poſtilla ſup evangelia dñicalia ſcdm ſenſū lrālem*, ſeu pars operis ſecunda, plagularum faſciculis quatuordecim comprehenſa, ſignatis A — O. qui omnes ſunt quaterni excepto ultimo, qui ternus eſt, & ultimum folium habet vacuum. Litteris impreſſum eſt hoc opus gothicis, rudibus admodum & inæqualibus, nec ſcite in voces compoſitis. Abbreviaturæ ſunt frequentiſſimæ. Interpunctionis ſignum nullum occurrit, niſi punctum, & hoc rariſſime, ſaltem, ubi ſenſus terminatur. Plerumque enim tantum occurrit ante & poſt citationes. Initiales litteræ, cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Charta eſt plane firmiſſima; ſed minus alba & polita. Cl. Zapfius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte pag. 143. aliam citat editionem nota loci, anni, typographi carentem, quam tamen Gunthero Zainer attribuit, uti alteram etiam, quam ad annum 1476. recenſuit, utpote nota anni ejusdem inſignitam. Noſtra editio ab utraque diverſa eſſe videtur. Litteræ enim parum reſpondent Zainerianis variis, quas mihi quidem videre contigit. Quare de loco impreſſionis & typographo non habeo, quæ proferam, ſatis probabilia. Quod annum impreſſionis attinet, videtur mihi ad annum 1476. referenda eſſe editio. In poſtilla enim in evangelium de communi virginum:

*Simile*

*Simile eſt regnum cælorum decem virginibus &c.* verbis illis *Moram autem faciente ſponſo dormitaverunt omnes & dormierunt*, ſequens adjecta eſt expoſitio: *Mora iſta eſt decurſus temporis ab aſcenſione Chriſti ad diem judicii quod vocatur mora propter longitudinem. Jam enim duravit M. cccc. LXXVI.* annos. Hic ſane numerus nequit annum deſignare a Chriſti aſcenſione milleſimum, quadringenteſimum, ſeptuageſimum ſextum, qui eſſet poſt Chriſtum natum circiter 1509. Multis enim annis antiquiorem eſſe editionem unumquemvis ipſe conſpectus edocet. Deſignat igitur annum a Chriſti nativitate currentem. Porro hæc anni deſignatio non eſt ab operis compilatore facta, utpote qui compilationem ſuam in ſubſcriptione factam eſſe teſtatur anno 1437. Igitur probabiliſſimum eſt mihi, eum qui editioni huic præfuit, annum a Chriſti nativitate tum currentem voluiſſe deſignare. Certe in aliis etiam editionibus hic loci annus editionis fuit mutatus. Sic, Teſte cl. Gemeiner in Nachrichten von der Regensburger Stadtbibliothek ꝛc. pag. 282. editio Baſilienſis hujus operis anno 1506. facta pro *duravit annos M. cccc. Lxxvi* habet *duravit annos* 1507. Subſcriptionem, ſeu auctoris Epilogum integrum recitavit Zapſius loc. cit. Nec is quidem, niſi uno alterove verbo, differt ab Epilogo, qui legitur ad calcem noſtri exemplaris.

## LXXX. Bartholomæi Anglici de Proprietatibus Rerum Libri XIX. in Fol.

Auctorem hujus operis quidam ordinis Prædicatorum, alii vero, quorum ſententiam ipſe *Quetif de Scriptoribus ord Præd. Part. I. pag.* 486. tuetur, jure potiori ordinis Franciſcanorum alumnum fuiſſe adfirmant. Præſens ejus opus in novendecim libros pro rerum, quarum exponit proprietates, diverſitate & numero diviſum eſt. Quæ mihi præ oculis eſt ejuſdem editio, editionibus omnibus, ab Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* pag. 276, recitatis antiquior eſt. Hoc ipſum quippe exemplar, quod deſcripturus ſum, Georgius Zingel, Academiæ noſtræ olim Procancellarius & Profeſſor jam anno 1479. ſibi comparavit, ut ipſe manu ſua ad calcem primæ paginæ adnotavit. Porro pagina quævis in duas columnas diſtincta eſt. In fronte primæ columnæ paginæ primæ *Incipit ꝓhemiū de ꝓprietatibus re4 fratris bartholomei anglici de ordine frat4 mino4.* In fine vero voluminis, quod 215. foliis conſtat impreſſis, leguntur ſequentia: *Explicit tractatus de proprietatibus rerū editus a fratre bartholomeo anglico ordinis fratrū minorum.* Hanc ſubſcriptionem immediate præcedit catalogus alphabeticus auctorum, ex quorum ſcriptis auctor pleraque depromſit. Litteræ ſunt gothicæ, minus pinques. Interpunctionis ſigna ſunt punctum, & linea cum puncto ſubjecto (!) Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Charta eſt plane firmiſſima, ſed minus alba & polita. Chartarii ſigna ſunt oppido varia. Inter alia aliquoties occurrit caput humanum, in cujus vertice ſtilus exurgit in ſtellam deſinens.

## LXXXI. Iſidori Hiſpalenſis Libri XX. Etymologiarum. in Fol. magn.

Prima celeberrimi hujus operis editio ea cenſetur, quæ anno 1472. Auguſtæ vindelicorum prodiit, a me ſupra ad hunc annum deſcripta. Hac vero non multum poſterior, ſi non coeva, præſens hæc eſſe videtur, quam modo deſcripturus ſum. Litterarum, quibus impreſſa eſt, figura, quam proxime accedit ad characteres rotundos romanos. Litteræ etiam majuſculæ, quibus impreſſi ſunt tituli librorum, capitum, aliarumque ſectionum minorum, capitalium formam imitantur. Utriusque vero generis litteræ romanis minus nitidæ, & æquabiles ſunt. Litteris vocibusque græcis, uti etiam figuris aliis, e. g. geometricis, & aſtronomicis typographus deſtitutus fuiſſe videtur. His enim adſcribendis ſpatium vacuum reliquit. Litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri omnino deſunt. Interpunctionis ſignum paſſim occurrens eſt punctum: rariſſime duo puncta occurrunt. Paginæ ſingulæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. Columna quævis lineas impreſſas 51. complectitur. Charta eſt firmiſſima, & alba admodum, ſed minus polita. Chartarii ſignum frequentiſſime occurrens, & facile diſtinquendum eſt roſa. Obſervavi ſæpe ſtrigilem, nec raro etiam pileum principis cum cruce ſuper impoſita. Opus integrum foliis impreſſis 141. conſtat. In prima columna primæ paginæ hæc leguntur impreſſa majuſculis litteris: *Incipit Epiſtola Iſidori Junioris Hiſpalenſis Epiſcopi Ad Braulionem Cęſar Auguſtanum Epiſcopum.* Sequuntur deinde geminæ Iſidori ad Braulionem Epiſtolæ, quarum ſingulis ſubnexa eſt Braulionis reſponſoria. His accedunt duæ aliæ Iſidori ad Braulionem Epiſtolæ, in quarum prima ſcribit inter alia: *Codicē ethimologiarū cum aliis codicibꝰ de itinere tranſmiſi. & licet inemēdatū ꝑ valitudine tamen tibi modo ad emendandū ſtatueram offerre ſi ad deſtinatū locū cōcilii ꝑueniſſē.* Secunda vero breviſſima eſt hujus tenoris: *En tibi ſic pollicitꝰ ſum miſi opꝰ de origine quorūdā* (ſic) *rerū ex veteris lectionis recordacōe collectū atque ita in quibuſdā locis annotatum ſicuti exſtat cōſcriptum ſtilo maiorū.* Huic ſubjuncta eſt monitio ad lectorem de immediate ſequenti tabula, ſeu indice breviſſimo materiarum cujusque libri. In ſecundi folii quarta demum columna *Incipiunt capitula primi libri*, hoc eſt, capitum ſingulorum tituli; cujusmodi ceteris etiam libris ſingulis ſunt præfixi. In fine operis, quod terminatur in ſecunda folii 141. columna, linea 43, nihil prorſus legitur adnotatum.

## LXXXII. Liber 1mus, 2dus & 4tus canonis Avicenæ a Magiſtro Gerhardo Cremonenſi ex Arabico latine verſi. in Fol.

Litteræ, quibus impreſſum eſt hoc opus ſunt ſimillimæ, aut omnino eæcum litteris, quibus impreſſum eſt opus immediate præcedens. Charta plane eadem videtur. Chartarii quoque ſignum omnium frequentiſſi-

me

me occurrens eſt Roſa diverſæ magnitudinis. Occurrunt tamen ſæpius etiam Strigil & Uva. Non niſi bis terve obſervavi caput bovis, nec ſæpius pileum principis cum cruce ſuperimpoſita. Signa interpunctionis ſunt punctum & duo puncta. Hæc tamen rarius occurrunt. Paginæ ſingulæ ſunt in duas columnas diſtinctæ. Columna quævis integra lineas 56. impreſſas continet. Conſtat volumen integrum foliis impreſſis 297. In fronte primæ columnæ primæ itidem paginæ litteris iisdem, quibus ipſe textus, impreſſa leguntur ſequentia. *Liber canonis pm⁹ quē pnceps abohali abinſceni de medicina edidit. tranſlatus a Magiſtro Gerhardo cremonenſi ī toleto ab arabico in latinum. Verba abohali abiuſceni.* Tum auctoris ſequitur præfatio, quam excipit index materiarum primo generalis omnium quinque librorum Canonis, tum particularis libri primi. Terminatur autem primus liber in averſa pagina folii 92, columna prima. In ſequenti folii pagina prima columna prima *Incipit liber canonis ſecund⁹ auicēne de ſimplici medicina v̄ba pncipis abhoali.* Secundum librum immediate excipit quartus, ita cum illo connexus, ut tertius in hac editione non impreſſus videatur. Exſtat canonis Avicennæ editio Patavina ann. 1476. Videtur noſtra huic aut coæva aut omnino anterior. In fine voluminis noſtra hæc tantum verba impreſſa exhibet: *Liber q̄rt⁹ canonis auicēne explicit.*

## LXXXIII. Dialogorum S. Gregorii M. Libri quatuor. in Fol.

Siquis alius, hic certe liber nota anni, loci & typographi carens ante annum 1477, & forte pluribus ante annis, impreſſus dici poteſt. Habet enim omnes remotiſſimæ antiquitatis notas. Litteris impreſſus eſt gothicis ſculptis, non fuſis, ut earum inæqualitas ad oculum demonſtrat. Interpunctionis ſignum aliud non occurrit, quam punctum. Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt omnino. Pagina quælibet eſt in duas columnas diſtincta. Columna quævis integra lineas impreſſas quadraginta duas complectitur. Chartarii ſignum eſt caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in polygonum deſinens. Incipit ſine ulla inſcriptione verbis illis: *Quadam die nimiis quorūdam ſeculariū &c.* Primus liber terminatur folio undecimo, pagina prima, columna ſecunda, linea vigeſima ſexta. Spatium, quod ſupereſt hujus columnæ, eſt vacuum. In prima vero averſæ paginæ columna *Incipit liber ſecundus dyalogorum de vita & miraculis ſancti benedicti abbis*, & terminatur folio vigeſimo ſecundo, averſæ paginæ columna ſecunda, linea vigeſima cui hæc tantum ſunt adjecta: *Explicit vita beati benedicti abbatis.* Liber tertius in ſequenti folio ſine ulla inſcriptione incipit, quemadmodum etiam quartus, cujus exordium eſt in averſa folii trigeſimi noni pagina columna prima, linea prima. Folio quinquageſimo ſeptimo, eoque ultimo, pagina prima, columna ſecunda, linea trigeſima tertia finitur liber quartus. Subſcriptionis loco hæc tantum ſubjecit typographus.

*Explicit liber quartus*
*Dyalogoꝝ gregorii.*

**LXXXIV. S. Joh. Chryſoſtomi Sermones XXV. cum Epiſtola ejusdem ad Theodorum Monachum, qua eum ad Monaſterium revocat. in Fol. min.**

Sunt hi ſermones rotundis quidem litteris, ſed admodum inæqualibus, ut ſculptæ videantur, non fuſæ, impreſſi. Nec ſermones, nec epiſtola præfixos habent titulos, ut adeo eorum initia haud alio indicio, quam ſpatio vacuo inter præcedentem & ſequentem relicto, dignoſcantur. In fine primæ lineæ ſermonum ſecundi & tertii typographus numerum adpoſuit hac ratione: *Sjj*, hoc eſt, ſermo ſecundus, *SIII*, hoc eſt, ſermo tertius. Litteræ initiales ſermonum, & epiſtolæ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Charta eſt varia, interdum minus firma, ubique tamen alba & munda. Præter punctum & duo puncta occurrit etiam interrogationis ſignum moderno ſimillimum. Pagina quævis integra lineas complectitur 27. In fronte primæ paginæ ante primum ſermonem typographus amplum reliquit ſpacium, cui noſtri exemplaris rubricator inſcripſit ſequentia colore rubro: *Sermones beati Jo. Cri. quinque & viginti p venerabilem prēm cſtopho4 pſonam* (Chriſtophorum perſonam) *Ro.* (Romanum) *p̄orem* (forte Procuratorem) *ſcē Balbine nup e greco in latinū traducti ac reverendiſſimo dn̄o Marco barbo veneto cardinali ſcī Marci viro oī laude cumulato. dedicati & inſcp̄ti. 9° 4 pmus cont̄ auaritiā ſiue pecūia4 amorē ſic incipit.* Diſcimus ex his nomen interpretis, & cardinalis, cui inſcriptum vel dedicatum eſt iſtud opus. Ipſa vero dedicatio, cum duplici indice 1) alphabetico materiarum, 2) ſermonum in noſtro quidem exemplari ſermonibus, & Epiſtolæ eſt ſubnexa. Nec in fine ſermonum, nec in fine dedicationis atque indicum quidquam legitur adnotatum. In fine Epiſtolæ ad Theodorum Monachum hæc ſolum verba leguntur impreſſa, & quidem in eadem linea, qua epiſtola ipſa terminatur: *Explicit Epiſtola Criſoſtimi* (ſic). Dedicatio & indices novem implent folia. Antiquiſſimam eſſe editionem iſtam, & certe ante annum 1477. factam nullus dubito. Annum autem impreſſionis, locum, & typographum non auſim determinare. Sermones omnes ſunt moralis argumenti. Primus eſt contra avaritiam. 2do demonſtratur, nequitiam eſſe voluntariam, nec a natura ortum habere. Tertius inſectatur incitamenta libidinis. Quartus opera miſericordiæ inculcat. Sed forte nimis foret longum ſermonum ſingulorum recenſere argumenta.

**LXXXV. Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium Libri Novem. cum commentariis Omniboni Leoniceni. Venetiis ſine nota anni & typographi. in Fol.**

In averſa primi folii impreſſi pagina leguntur *Valerii Maximi dictorum & factorum memorabilium rubricæ*, h. e. indiculus capitum cujusque libri, qui terminatur in prima ſequentis folii pagina. In averſa folii ejusdem pagina exſtat

ſtat *Valerii vita*, lineis comprehenſa tredecim. Tum in noſtro quidem exemplari folium ſequitur vacuum. Quarto demum folio ipſum opus cum commentariis incipit. Textus æque ac commentaria, quæ extremos tres margines occupant, ſunt rotundo charactere impreſſa, ille quidem majori perèleganti, hæc vero minori. Cuſtodes, & paginarum numeri deſunt. Initiales litteras parvas, & ſignaturas ipſe typographus adjecit. Plagularum faſciculi univerſim ſunt 26, iique omnes quaterni, excepto ſecundo b, & ultimo R. qui terni ſunt. In ſuperiori paginæ ſiniſtræ margine capitalibus litteris *Liber*, in paginæ vero dextræ margine libri numerus, e. g. *Octavus* legitur impreſſus. Ad calcem primæ ultimi folii paginæ hæc pariter impreſſa leguntur: *Opus Valerii Maximi cũ omniboni Leoniceni uiri p̄ſtātiſſimi examinata interpretatiōe fœliciter explicit. Impreſſum Venetiis.* In averſa pagina legitur *Regiſtrum* hoc eſt, index primarum cujusvis plagulæ vocum. Editores Valerii Maximi Bipontini duas excitarunt hujus ſcriptoris editiones venetas cum expoſitione, ſeu commentariis Omniboni Leoniceni, alteram quidem anni 1482, alteram anni 1485. Utraque annis aliquot antiquior videtur eſſe noſtra, cujus nulla apud editores Bipontinos, de Bure, Hamberger, Orlandi, Harwood exſtat memoria. Typi Jenſoniani eſſe videntur.

## LXXXVI. M. Celii Fabii Quinctiliani Inſtitutionum oratoriarum Libri XII. Ex recenſione Omniboni Leoniceni. In Fol.

In averſa primi ſolii impreſſi pagina incipit *Tabula Quinctiliani*, ſeu index capitum cujusque libri, in duabus columnis impreſſus, qui terminatur in averſa ſecundi folii pagina. Tertii folii prima pagina vacua eſt. In averſa autem pagina folii ejusdem legitur editoris ad Moyſen de Buſarellis Epiſcopum Belumnenſem Epiſtola, in qua teſtatur, ſe *tertio abhinc anno* (quam ſcilicet ejus edendi conſilium cepiſſet) *librum iſtum auditoribus ſuis exponere aggreſſum ita vitiatum reperiſſe, ut nusquam ferme ſincerus videretur: interdum etiam fuiſſe, ubi nullus omnino ſenſus elici poſſet.* Quare ejus emendandi conſilium ſe demum cepiſſe, ad id auctoritate laudati præſulis præcipue permotum. Folio demum quarto opus ipſum incipit, charactere impreſſum rotundo, eoque plane nitidiſſimo, vt æque nitidum in nullo libro hactenus deſcripto me reperiſſe putem. Charta quoque ſatis munda, & alba eſt. Chartarii ſigna duo obſervavi, & quidem frequentiſſime libram circulo incluſam, rarius caput bovinum, cujus inter cornua duplex ſtilus aſcendit modo in roſam, ſeu, ſi mavis, polygonum, modo, ſed rarius in coronam deſinens. Capitibus præfixa quidem ſunt brevia argumenta. Sed numerus capitum non eſt expreſſus hac e. g. vel ſimili ratione *caput ſecundum, caput tertium.* Libris autem ſingulis charactere capitali præfixi ſunt tituli hunc, vel ſimilem in modum: *Marci Fabii Quinctiliani oratoriarum Inſtitutionum liber quartus.* Initiales litteræ librorum & capitum, cuſtodes, & paginarum numeri deſunt. Plagularum faſciculi ſunt 28, ſignati a — z, adeoque 23, nec non &. *A. B. C. D.*

Sunt omnes quaterni, præter c. e. g. i. l. n. p. t. A. G. ternos, & D duernum, cujus ultimum folium vacuum eſt. Prima duo folia, quæ indicem capitum complectuntur non ſunt ſignata. Pagina quævis integra lineas complectitur 39. unam tantum alteramve 40 lineas complectentem obſervavi. Occurrunt puncta, duo puncta, & interrogationis ſignum, nec non diphtongus æ. In fine libri duodecimi capitalibus litteris hæc tantum impreſſa leguntur: *M. Fabii Quinctiliani oratoriarum Inſtitutionum Libri Duodecimi & ultimi finis.* Editionem venetam harum Inſtitutionum ab Omnibono Leoniceno curatam, & Venetiis a Nicolao Jenſon anno 1471 vulgatam multi, & vix non omnes, quos præ manibus habeo Bibliographi excitarunt. Verum de noſtra, hac quæ nota anni, loci, typographi caret, omnes altum ſilent, præter Orlandum, qui in indice alphabetico ad vocem Quinctilianus noſtram forte deſignat editionem, dum unam laudat impreſſam charactere pulcherrimo ſine anno, loco, & typographo. Veneta illa anni 1471. græca non habet, ut editores Quinctiliani Bipontini adfirmant: noſtra vero habet. Iisdem teſtibus editoribus in Epiſtola Omniboni Leoniceni ad Moyſen de Buſarellis hæc inter alia leguntur: *Accedebant juſtæ preces magiſtri Nicolai Jenſon Gallici alterius, (ut vere dicam) Dædali: qui librariæ artis mirabilis inventor: non ut ſcribantur calamo libri: ſed veluti gemma imprimantur: ac prope ſigillo primus omnium* (putavit ergo Omnibonus, vir cetera doctiſſimus, & eruditiſſimus, Nicolaum Jenſon fuiſſe artis impreſſoriæ inventorem) *ingenioſe monſtravit, ut huic viro, qui de re literaria tam bene meruerit, nemo ſit, qui non favere ſummopere debeat.* Hæc autem deſunt in epiſtola Omniboni ad eundem Moyſen noſtræ editioni præfixa, leguntur autem cetera omnia, quæ ex eadem, qualis quidem Jenſonianæ editioni eſt præfixa, excerpſerunt editores bipontini, ut adeo ea ſola ſtudio ſublata in noſtra editione videantur, quæ Nicolaum Jenſonium attingunt. Atque exinde quidem probabilis mihi admodum conjectura ſubnaſcitur Jenſonianam editionem forte non diu, poſtquam prodiit in lucem, ab alio quodam typographo venetiis aut alibi etiam commorante iteratam fuiſſe, græcis nunc adjectis atque iteratam hanc editionem noſtram eſſe puto. Nolim tamen ſine teſtibus, aut facta utriusque editionis collatione præcipitare ſententiam.

## LXXXVII. Franciſci Philelphi Epiſtolarum Libri XVI. in Fol.

In fronte primæ paginæ capitalibus litteris impreſſa leguntur ſequentia: *Franciſci Philelfi Epiſtolarum Liber Primus.* His ſubjecta iisdem litteris inſcriptio primæ epiſtolæ: *Franciſcus Philelfus Leonardo Juſtiniano Salutem Plurimam Dicit.* Tum immediate ſequitur prima epiſtola. Singulis etiam epiſtolis ſimilis præfixa eſt inſcriptio, charactere tamen eodem, quo ipſæ epiſtolæ, impreſſa. In fine ſingularum epiſtolarum notantur dies, & annus, quibus ſcriptæ ſunt. Continentur autem in hac editione epiſtolæ, quas auctor celeberrimus, Orator, & Poeta Laureatus, in celeberrimis Italiæ academiis

græ-

græcarum, & latinarum litterarum Profeſſor, Eques auratus, & ad principes Italos legatus ab anno 1427. usque ad annum 1461. partim ad viros illius ætatis litteratiſſimos: partim ad ſummos principes partim ad amicos dedit. Vixit auctor, teſte Orlandio in *Origine e Progreſſi della ſtampa* ad annum usque 1481. cl. de Bure præſentem editionem omnium primam eſſe incunctanter adfirmat: eandemque ex litterarum ſimilitudine cum litteris Johannis de Colonia veneto huic typographo celeberrimo adſcribi teſtatur, excuſam circa annum 1475. Quamvis vero hæc editio non omnes complectatur Philelphi epiſtolas (harum quippe poſthac numerus eo excrevit, ut libros efficerent triginta octo) in magno tamen apud eruditos, teſte eodem de Bure, habetur pretio, eo quod omnium editionum ſit prima: ejus quoque rara ſint exemplaria. Impreſſum eſt autem iſtud opus charactere rotundo pereleganti, & chartæ mundiſſimæ. Græca etiam vocabula non ineleganti ſunt charactere expreſſa. Litteras initiales parvas ipſe typographus adjecit. Cuſtodes vero, ſignaturæ, & paginarum numeri deſunt. Interpunctionum ſigna ſunt punctum, & duo puncta. In fine operis ſeu epiſtolæ Philelphi ad Ludovicum Caſellam ex Mediolano quarto Idus Martias anno 1461. datæ nihil aliud legitur, quam vox, *Finis.*

## LXXXVIII. S. Antonini Archiep. Florentin. Tractatus de Excommunicationibus tam majori, quam minori. Interdicto Eccleſiaſtico, Suſpenſione & Irregularitate. in 4to.

Tractatus iſti in duabus columnis charactere gothico minori impreſſi ſunt. In prima primæ paginæ columna hæc, tituli loco, leguntur impreſſa: *Reverendiſſimi domini archiepi florẽtini beati antonini ordis pdicatoꝝ viri utriuſqꝫ pagine pitiſſimi. Tractat⁹ ſuper cẽſuras. Feliciter incipit.* Tum immediate in eadem columna ſine ullo alio titulo incipit Tractatus de excommunicationibus. Capitulis nulli præfixi ſunt tituli. Attamen typographus ſpatium reliquit vacuum, iis adſcribendis ſufficiens. Deſunt quoque litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Interpunctionis ſignum unicum obſervavi, nempe punctum. Littera Jod raro punctum habet ſibi impoſitum, idque adeo exiguum, ut pene oculos fugiat. Pro *ae* ubivis eſt *e* ſimplex. Charta eſt firma admodum, munda & alba, habetque margines ſatis amplos. Tractatibus de interdicto, ſuſpenſione, & irregularitate non ſunt præfixi peculiares tituli, ſed ſolo ſpatio vacuo, quod typographus reliquit, diſtinquuntur. In fine Tractatus de irregularitate hæc tantum leguntur: *Finit. Laus Deo.* Accedit tabula tribus foliis comprehenſa argumenta exhibens ſingulorum cujusvis Tractatus, ſeu, ut hic dicuntur, tituli capitum. In fine hujus tabulæ non niſi hæc habentur impreſſa: *Finit Tabula rubricarũ felicit.* Typi viden-

 tur

tur eſſe veneti aut Nicolai Jenſon. aut Joh. de Colonia. Non immerito hanc editionem, quam a nemine excitatam reperi anno 1477. anteriorem a me haberi, patet ex deſcriptione a me data.

## LXXXIX. Hiſtoria Friderici I. Henrici VI. Philippi. Othonis IV. & Friderici II. Imperatorum, ab Anonymo, coævo tamen ſcripta, in Fol.

In fronte primæ paginæ typis iisdem, quibus ipſe textus impreſſa hæc leguntur: *Hiſtoria Friderici imperatoris magni. hui⁹ nomis primi ducis ſuevorum & parētele ſue:* tum immediate ipſa incipit hiſtoria. Initio autem operis auctor de majoribus agit Friderici I, atque de illis præcipue, qui ante eundem imperii habenas moderati ſunt: quemadmodum narratis rebus a Friderico I. geſtis ea ſubtexuit, quæ ab ejusdem Friderici in Romano imperio ſucceſſoribus ſupra nominatis geſta ſunt. Stilo uſus eſt pro temporis illius ratione ſatis culto, & veritatis amorem ubivis prodidit. Ad annum 1205. de ſe ipſo adnotavit: *Eodem anno ego ad religionē veni:* ad annum vero 1207: *Ego ad ordinem p̄monſtratenſem veni.* Continuavit hiſtoriam usque ad ad annum 1220. Sed de externa hujus editionis forma nunc loquar. Liber totus in capita ſeu ſectiones triginta octo diviſus eſt. His vero nec numeros, nec titulos præfixit typographus, adeo ut relicto ſolum ſpatio vacuo, quod adpingendæ initiali cujusvis litteræ ſufficeret, plerumque ſecernantur. Deſunt enim ubivis litteræ initiales, uti etiam cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Quævis pagina triginta octo lineas impreſſas continet. Totus vero liber paginis impreſſis quadraginta quatuor abſolvitur. Litteræ ſunt rotundæ easque perelegantes. Abbreviaturæ occurrunt paucæ. Pro æ ubivis, eſt *e* ſimplex. Signum interpunctionis in ipſo contextu aliud non obſervavi, quam punctum. In fine vero quorundam capitum puncti loco, duo puncta occurrunt. Opus terminatur in averſa folii quadrageſimi quarti pagina, linea trigeſima ſecunda. Exſtat hujus editionis, certe rariſſimæ, exemplar in Bibliotheca Monaſterii Imperialis Weingarten in Suevia, cujus meminit cl. Zapfius in Reiſen in einige Klöſter Schwabens &c. pag. 32. Adfirmat idem, tam rara eſſe ejus exemplaria, ut manuſcriptis pene codicibus æquiparentur. Putat opuſculum iſtud circa annum 1470. eſſe typis excuſum.

## XC. Honorii Auguſto-dunenſis Libri tres de Imagine Mundi. in Fol.

Primus liber mundi hujus aſpectabilis deſcriptionem continet generalem. In ſecundo auctor agit de tempore, ejusdemque variis diviſionibus & menſuris apud varias gentes. Liber tertius eſt chronicon breviſſimum a mundi origine usque ad Conradum III. Imperatorem deductum. De hoc vero hæc tantum adnotavit auctor: *Conradus regnavit años XIIII.* Atque ex hoc quidem conjecturare licet, quo tempore auctor vixerit. Obiit nimirum Conradus III. anno 1158. oportet igitur auctorem noſtrum ſæculo duodecimo floruiſſe. Quis, aut unde fuerit, non ſatis conſtat. Natione gallum, & ſcholæ Auguſtodunenſis (gallice *Autun*) rectorem fuiſſe olim communis erat opinio. Verum cum in ſuis operibus, quæ oppido multa & varia ad noſtram ætatem pervenerunt, fere tantum germanos ſcriptores, ritus quoque germanos commemoret, germanum fuiſſe recentiores non nulli docte probarunt, inter alios Le Beuf in *Recueil de diver. ecrits pour eclaircir l'hiſtoire de France tom. I. pag. 254. ſeqq.* Ex eo certe, quod Auguſtodunenſis adpelletur, Gallum fuiſſe, non probatur. Auguſtodunum enim nomen eſt pluribus civitatibus olim commune, & in ipſa germania, quod hodie *Augſt* dicitur oppidulum, haud longe a territorio Baſileenſi remotum, olim Auguſtodunum, & Auguſta Rauracorum dicebatur. Qui plura de noſtro auctore, ejusque ſcriptis noſſe cupiunt, adeant P. Bernardi *Pez. Diſſertationem Iſagogicam ad tom. II. Theſauri Anecdot.*

In fronte primæ paginæ hæc verba leguntur: *Criſtianus ad ſolitariū quemdam de ymagine mundi. Honorio.* Sequitur deinde Chriſtiani ad Honorium Solitarium epiſtola, qua eundem rogavit, ut hunc de mundo aſpectabili librum componeret. In eadem pagina incipit *Prologus de ymagine mundi. Honorij*; qui terminatur averſæ paginæ linea 24. In eadem linea legitur: *Incipit ymago mundo.*

*De forma mundi.*

Capitulis ſingulis ſimiles præfixi ſunt tituli, quin numerus, aut capitulum expreſſis verbis indicetur, e. g. Capitulum *De creationē mundi*, quod eſt ſecundum primi libri. Terminatur autem primus liber folio 21, pagina prima, linea 30, his verbis, *Explicit liber pm⁹.* In fronte averſæ paginæ *Incipit Secundus*, idemque terminatur folio 34, prima pagina, linea 18, cujus ultima verba ſunt: *Explicit liber ſcd3.* Immediate autem

*Incipit tertius.*

Ad finem libri tertii nihil prorſus eſt adjectum, ſed terminatur hic liber folio 46, pagina prima, linea 10, ipſis auctoris verbis: *Conradus regnavit años XIIII:* Deſunt ubivis litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Litteræ ſunt gothicæ formæ, oblongæ, & perelegantes.

gantes. Interpunctionis ſignum aliud non occurrit, quam punctum. Charta eſt omnino mundiſſima, & habet ampliſſimos margines. Quid multa? Typi & charta prorſus conveniunt cum typis & charta, quibus impreſſæ ſunt vitæ Philoſophorum, & Alcinoi Epitoma Diſciplinarum Platonis recenſitæ ad annum 1472. N. 4. Differunt ſolum tria hæc opuſcula in numero linearum cujusvis paginæ. Nam in Imagine mundi quævis pagina non niſi 30. lineas impreſſas complectitur, in vitis Philoſophorum 31, in Epitoma alcinoi vero 33. cl. Michael Denis in Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliothek pag. 201. vitas Philoſophorum, ſecundum hanc editionem, recenſuit, eandemque a Friderico Creuſner Norimbergenſi typographo excuſam eſſe adfirmavit. De Imagine mundi vero, & de Epitoma Alcinoi nihil omnino commemorat. Aſt Hambergerus *Part. IV. pag. 246. & pag.* 535, nec non cl. de Bure *Bibliograph. Inſtructiv. N.* 1267. meminerunt editionis, quæ tria modo laudata opuſcula ſimul complectitur. Uterque tamen ſolius Maittairii, ad quem provocant, teſtimonio ſubnixi fuiſſe videntur, & in eo erraſſe cum duce ſuo, quod epiſtolam dedicatoriam Epitomes Epiſcopi Tropienſis ad Cardinalem Cuſanum anni, quo ſcripta eſt, nota inſignitam eſſe adfirmaverint. Sane cl. de Bure expreſſis verbis adfirmat, id, quod inſinuavit tantum Hambergerus loc. cit. pag. 535. in fine voluminis, id eſt, Epitomes Alcinoi hæc verba legi: *Epiſcopus Tropienſis affatur Nicolaum Cuſenſem M. CCCC. LXXII. XXIV. die Novemb.* Subſcriptio autem in fine Epitomes ſecundum noſtrum exemplar longe aliter ſe habet. Conf. N. IV. ad ann. 1472. Quidquid ſit: ego quidem non dubito, quin imago mundi, modo recenſita, vitæ Philoſophorum, & Alcinoi Epitoma, quæ duo poſteriora opuſcula ad annum 1472. N. IV. deſcripſi, ex eadem prodierint typographia vel ſimul, vel certe non diu alterum poſt alterum. Facile mihi conſentiet, qui dicta tum hic, tum ad annum 1472. N. IV. fine præjudicio inter ſe contulerit. Maittairium in aſſignandis librorum titulis & ſubſcriptionibus frequenter erraſſe, aliosque in errorem induxiſſe, multoties obſervavi. Quare probabiliſſimum mihi eſt, Maittairium horum trium opuſculorum eandem excitaſſe editionem, quam modo deſcripſi: & in eo ſolum lapſum eſſe, quod ſubſcriptionem falſam, ex alio forte libro per errorem transſcriptam excitaverit.

## XCI. Johannis Nider ord. Præd. Præceptorium divinæ legis ſive Expoſitio Decalogi. in Fol.

Initio ſtatim, ſine ullo titulo, duplex legitur index, prior quidem alphabeticus materiarum, qui terminatur in prima folii 27. pagina, columna ſecunda, alter vero ſingulorum cujusvis præcepti, ſeu libri capitum. Terminatur in averſa pagina folii 28, columna ſecunda, linea 22, cui hæc tantum ſunt ſubjecta: *Et ſic ē finis.* In fronte primæ columnæ folii 29. tituli loco

loco hæc leguntur impreſſa: *Incipit prologus ī expoſitionē decalogi ſcdm fr̄em Johānē Nider ſacre theologie pfeſſorem ōdinis pdicatoꝝ*. In fronte ſecundæ columnæ ejusdem paginæ: *Incipit pceptoriū diuine legis capitulum primum.* In ſuperiori margine cujusvis paginæ Præceptum & Capitulum notavit typographus e. g. *Primum Præceptum Capitulum tredecimum* vel *Capitulum XV*. Capitula in ſectiones minores diviſa ſunt, Indicantur illæ litteris in margine adpoſitis a. b. c. &c. Volumen integrum foliis impreſſis conſtat 331. Ad calcem circa medium ſecundæ columnæ folii 331. ſequens legitur ſubſcriptio: *Explicit preceptorium divine legis. Fratris Johannis Nyder ſacre theologie profeſſoris eximii ordinis predicatorum. Conuentualis Nurembergenſis.* Litteræ gothicam habent formam, ſuntque paulo majores, & ſculptæ, ut videtur, non fuſæ. Deſunt litteræ initiales capitum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Interpunctionis ſigna duo obſervavi, punctum ſcilicet, & duo puncta; quæ tamen illic rarius occurrunt. Aliam hujus operis editionem recenſui ad an. 1475. N. XI. Hambergerus in zuverläſſigen Nachrichten 2c. Thl. 4. pag. 702. editionem ejusdem excitat nota anni, loci, & typographi deſtitutam. Subſcriptio totidem conſtat verbis cum ſubſcriptione editionis modo recenſitæ. Sola differunt orthographia. Hambergerus *pceptorii — fris Johānis — pfeſſoris — predicatoꝝ conuētual*; quæ verba aliter non nihil impreſſa ſunt in noſtro exemplari. Quare dubitare licet, an Hambergeri editio ſit eadem cum noſtra: noſtra certe antiquiſſima eſt, ante annum ſaltem 1476. excuſa, ut ex characteribus a me aſſignatis colligitur.

## XCII. Guilielmi Duranti Repertorium Aureum ſeu Breviarium Gloſſarum & Textuum Juris Canonici. in Fol.

In fronte operis *Epiſtolaris plogus Guilielmi Durāti ſpeculatoris in Repertoriū aureū: ad fere oīa in Jure canonico tā gloſſaꝝ q̄ textuū cōphenſa: Incipit feliciter.* Hunc prologum auctor inſcripſit *Matheo ſancte Marie in porticu dyacono cardiāli.* Terminatur Prologus in prima pagina ſecundi folii, columna ſecunda: linea 3, cui hæc ſunt ſubjecta: *Explicit plogus. Incipit lib' Prim⁹.* Sequitur nempe auctor ordinem V. librorum decretalium. Primus liber terminatur in averſa pagina folii 47, columna ſecunda, linea 7. Tum immediate *Incipit liber ſecundus. de judiciis. Rubrica.* Libro tertio coronidem impoſuit typographus in averſa pagina folii 133, columna prima, linea 24, cui ſubjecit ſequentia: *Repertorii Aurei Guilhelmi duranti ad Jus canonicū tertius liber finit feliciter. Deo gracias.* Hæ duæ voces ſunt charactere majuſculo impreſſæ. In fronte primæ columnæ folii 134 *Incipit liber quart⁹ de ſponſaliis & matrimonii⁵.* ℞. Quinti libri finis eſt in averſa pagina folii 206, columna ſecunda, linea 29, ſine ulla ſubſcriptione. Folium immediate ſequens vacuum eſt. In fronte autem folii 208. incipiunt *Caſus toci⁹ iuris*

*in*

in q̄bus t aliq̄s ip̄o fol ſuſpenſio̧ ꝝ. Ad calcem horum [illegible] folio 297, pagina prima, columna ſecunda poſt medium hæc legitur ſubſcriptio: *Explicit reptorium Magiſtri Guilielmi duranti. deo Gracias.* His ſubjecti ſunt duo verſiculi ſequentem in modum impreſſi:

*Quē pridem pl... ura* *ſunt ſparſim tradita i... ura*
*Hec nunc ſunt* ... *facili monſtrat tibi c*...

Litteræ gothicam habent formam. Videnturque ſculptæ eſſe, non fuſae. Charta eſt admodum firma, ſed minus alba. Columna quævis integra lineas complectitur impreſſas 35. Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones deſunt. Interpunctionis ſignum aliud non obſervavi, quam punctum. Non dubito, quin hæc editio ſit antiquiſſimis accenſenda, & ante annum ſaltem 1477. excuſa. Antiquiorem editione veneta anni 1496, quam excitarunt Orlandi, & Hambergerus, a nemine excitatam memini.

## XCIII. Petri Comeſtoris Hiſtoria Scholaſtica. in Fol.

Hæc editio ſi non prior vel coæva, certe tamen non multo poſterior eſt Auguſtana, quam ad annum 1473. recenſui, ubi etiam de auctore, & operis argumento quædam breviter dixi: Habet certe ſummæ antiquitatis notas. Incipit ſine ullo titulo verbis illis Epiſtolæ auctoris Dedicatoriæ: *euerēdo patri ac dn̄o ſuo guilhelmo dei grā ſenōnenſi archiēpo. Petrus ſeru⁹ criſti pſbiter trecenſis. Vitā bonā & exitum btm̄ &c.* Typographus nec libris titulos, nec capitulis numeros præfixit. Deſunt etiam litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri, & inſcriptiones. Libris tamen ſingulis præfixa ſunt breviſſima ſingulorum capitum argumenta, quæ initio ſingulorum denuo repetuntur. Litteræ ſunt gothicæ formæ, & ſuo in genere admodum elegantes. Interpunctionis ſignum paſſim occurrens eſt punctum. Puncta duo admodum raro occurrunt. Charta ſatis firma, & alba eſt. Quævis pagina in duas columnas diſtincta eſt, quarum quælibet integra lineas impreſſas 42. complectitur: Liber Geneſis terminatur in averſa folii impreſſi quadrageſimi pagina, columna ſecunda, linea 38. In prima columna folii impreſſi 221, linea 17. *Incipiūt Capitula hiſtorie evangelice*, quæ terminantur in prima columna averſæ paginæ folii 222, linea 4. Ad calcem operis, ſeu paginæ primæ folii 303. hæc tantum impreſſa leguntur: *Explicit hiſtoria ſcolaſtica.* Silent de hac editione omnes, quotquot conſului, Bibliographi præter Hambergerum in zuverläßigen Nachrichten ꝛc. Thl. 4. pag. 264. qui eandem forte deſignavit.

## XCIV. Matthæi de Cracovia Theologiæ Profeſſoris liber de arte moriendi. in 4.

Auctor hunc libellum in ſex partes diviſit, quarum una eſt de ſcientia bene moriendi, 2da de tentationibus bene morientium, 3tia interrogationes continet faciendas morientibus. 4ta inſtitutiones iisdem ſuppeditandas, nec non precationes, 5ta exhortationes. 6ta preces coram morientibus, dum animam agunt, fundendas. In fronte opuſculi loco tituli hæc leguntur impreſſa: *Incipit ꝓlogus in librum de arte moriẽdi magiſtri mathei de cracouia ſacre theologie profeſſoris.* Tum ipſe ſequitur prologus lineis 10. comprehenſus. Litteræ gothicam habent formam. Interpunctionum ſigna ſunt punctum quod ſæpe hanc hanc habet formam (ꝛ), Semicolon (;) in fine majorum ſectionum, & tertium quoddam hujus formæ (⁄). Initiales litteræ, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Charta eſt firmiſſima, alba admodum, ſed minus polita. Quævis pagina 27. lineas impreſſas continet. Opuſculum finitur in averſa pagina folii 17, linea 6, cui hæc ſubjecta leguntur: *Explicit liber vtilis de arte moriendi Mgri Mathei de Cracovia.*

## XCV. Tractatus de Miſſa ſeu officio Miſſæ Magiſtri Nicolai Andreæ. in 4.

Eſt explicatio precum & ceremoniarum, quæ in miſſa tum privata tum ſolemni recitandæ, ac obſervandæ ſunt. In fronte opuſculi leguntur ſequentia tituli loco: *Incipit Tractatus* (hæc verba ſunt capitalibus litteris impreſſa, non item ſequentia) *de miſſa ſeu officio miſſe editus. A magiſtro. Nicolao Andree de civitate. Theatina doctore venerabili decretorum.* Integrum opuſculum foliis impreſſis 28. abſolvitur. Characteres ſunt rotundi, non inelegantes, ſi ſinguli ſpectentur; at minus regularis eorum eſt ſitus in integris vocibus. Littera initialis initio opuſculi deeſt. Deſunt etiam cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Ad calcem non niſi hæc verba leguntur litteris capitalibus impreſſa:

*Sit : Laus : Deo.*

## XCVI. Salomonis III. Epiſcopi Conſtantienſis Gloſſarium latinum. in Fol. Magn.

Salomon, cui Gloſſarium iſtud poſt Trithemium a plerisque fuit adſcriptum, monachus primum ad S. Gallum, tum Ludovici Germaniæ regis Capella-

pellanus, ab eodemque Abbatiis Elvacenſi, Kampidunenſi, & S. Galli ſucceſſive Præfectus, tandem circa annum 890. Conſtantienſis Epiſcopus creatus eſt, quo quidem in munere anno 920. diem ſupremum obiit. conf. Ceillier *Hiſtorie generale des auteurs ſacrés & Eccleſiaſtiques* tom. 19. pag. 539. ſeqq. Idem vero auctor adfirmat, Gloſſarium, ſeu vocabularium, de quo loquimur, non eſſe Salomonis, ſed Iſonis Monachi ad S. Gallum, qui Salomonis Magiſter exſtitit, & Gloſſas in Prudentium ſcripſit. Ante ipſum idem adfirmavit Du Cange in *Præfatione ad Gloſſarium* N. 42, & in indiculo auctorum, & plures alii. Verum qui præſentem curavit editionem auctor anonymus, trecentis, & amplius annis nos ætate præcedens, in *Epiſtola prælibaticia*, quam vocat, operi præfixa illud incunctanter tribuit Salomoni Conſtantienſi Epiſcopo, nulla Iſonis facta mentione. Idem Salomonem hujus lexici auctorem adpellat *Salomonem* hujus nominis *ſecundum*. Tertium adpellavi, communiorem ſententiam ſecutus. Sed quidquid de hujus libri auctore ſit, præſens ejus editio, forte unica, eſt rariſſimis libris accenſenda. Exſtat tamen ejus exemplar etiam in Bibliotheca Academiæ Altorfinæ, de quo, uti etiam de auctore operis, ejusdemque œconomia fuſius agit cl. Humelius in der neuen Bibliothek von ſeltenen, und ſehr ſeltenen Büchern ꝛc. Stück 7. Quare breviorem mihi licet eſſe. Impreſſum eſt iſtud opus in duabus columnis chartæ magnæ, & firmiſſimæ, amplis inſtructæ marginibus, charactere pereleganti. Interpunctionum ſigna duo occurrunt, punctum ſcilicet, & duo puncta. Hæc tamen rarius. Rariſſimæ etiam ſunt abbreviaturæ. Litteræ initiales ligno inſculptæ, & floribus ornatæ, ab ipſo typographo adjectæ ſunt incluſæ quadrangulo, quod altitudine ubivis fere impreſſas duodecim lineas ſibi ſuccedentes adæquat. Hoc vero de litteris eſt intelligendum, ubi prima vice in ordine alphabeti occurrunt. Easdem vero iterato ponendas, & novam inchoantes ſectionem typographus omiſit. Deſunt etiam ubivis cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones. Columnæ omnes, quotquot numeravi, lineas impreſſas 55. complectuntur. Signa chartarii ſunt plura. Omnium frequentiſſime occurrit roſa, ſeu, ſi mavis, flos alius, diverſæ magnitudinis, nec æqualem habens numerum foliorum. Quæ majores ſunt roſæ, octo ubivis fere habent folia: minores ſeptem conſtant foliis, nec ſemper ſtilo ſunt inſtructæ, immo rarius ſtilum obſervavi, Sæpe etiam occurrit uva. Ter, ni fallor, aut quater obſervavi ſtrigilem. Semel tantum vidi triangulum, cujus baſin ſtilus admodum longus in roſam deſinens ſecat mediam. Cl. Humelius loc. cit. pag. 336. duo tantum commemorat chartarii ſigna his verbis: Das eine iſt eine ſiebenblätterige Blume an einen langen Stiel, das andere eine Striegel. Quæ cum in libris quibusdam a Petro Schæffero Moguntiæ impreſſis pariter occurrant, inde conjicit, editionem præſentis operis eidem eſſe typographo adſcribendam. Verum non videtur mihi argumentum iſtud ex chartarum ſimilitudine depromptum eſſe firmum, cum plures typographi eadem uti charta potuerint, & idem

typo-

typographus diverſa in eodem libro, quod ſæpe factum eſt, & noſtri exemplaris chartæ demonſtrant. Oppido enim ſigna chartarii in noſtro exemplari diverſa ſunt a chartarii ſignis in exemplari Altorfino occurrentibus. Characteres inſuper, quibus impreſſum eſt hoc opus, cum Schoifferi characteribus parum concordant. Nihil igitur de typographo auſim adfirmare. Opus integrum foliis impreſſis ducentis octoginta ſeptem comprehenſum eſt. Sed folio 239. novum incipit alphabetum ab A — Z decurrens, quod inſtar ſupplementi ad præcedens Lexicon ſpectari poteſt. Cl. Humelius adfirmat, exemplar Altorfinum plagulis (Bögen) conſtare 141, ſeu foliis impreſſis 282. Oportet igitur mutilum eſſe exemplar iſtud, deficientibus in eo quinque foliis. Ad calcem operis nihil omnino legitur. In prima autem primi folii columna hæc leguntur verba: *Epiſtola prelibaticia in ſequentis operis cōmendationem brevibus abſoluta incipit feliciter.* In fronte autem ſecundæ columnæ paginæ ejusdem: *Salemonis* (ſic) *eccleſie conſtantienſis epi gloſſe ex illuſtriſſimis collecte auctoribus incipiunt fæliciter.* Ceterum illud eſt notatu dignum, Manuſcriptum hujus operis charactere auctori coævo optime conſervatum adhuc dum exſtare in Monaſterio ad S. Gallum, quod nos docet Celſiſſimus S. R. I. Princeps & Abbas Martinus Gerbertus in Itinere Alemanico pag. 108. In Merkwürdigkeiten der zapfiſchen Bibliothek pag. 130. ſeqq. eadem recenſetur editio. Adfirmat vero editor: Es iſt wunderbar, daß dieſes Werk von keinen Litterator bemerkt worden. Atqui cl. Humelius loc. cit. fuſam, & eruditam de eadem editione dedit notitiam.

## XCVII. Mammotrectus in Fol. min.

In fronte operis Editoris legitur præfatio, quæ incipit: *D* (Ad) *intelligendum ordinē preſentis operis &c.* Hanc excipit in eadem pagina regiſtrum alphabeticum eorum, quæ in hoc opere continentur; quod terminatur in averſa pagina folii tertii. Quarto demum folio *Prologus* (ipſius auctoris) *in mammotrectum Incipit.* Ordo materiarum in hac editione eſt alius, ac in editione ſupra N. XIV. recenſita. Litteræ ſunt gothicæ formæ. Initiales ab initio uſque ad octoginta circiter ultima folia typographus plerumque omiſit relicto ſpatio vacuo, quod majuſculis adpingendis ſufficeret. In poſtremis octoginta circiter foliis initiales parvas ubivis fere ipſe typographus adjecit. Cuſtodes vero, ſignaturæ, & paginarum numeri ubivis deſunt. In ſuperiori tamen margine librorum inſcriptiones habentur impreſſæ, e. g. *Sup Geneſi, ſup Canticis cāticorum.* Interpunctionis ſignum aliud non occurrit, quam punctum. Littera Jod puncti loco plerumque lineolam habet ſibi impoſitam, & a dextra ſiniſtram verſus inclinatam. Charta minus firma, minus quoque polita & alba

 eſt

eſt. Pagina quævis triginta ſex lineas impreſſas continet, non adnumerata librorum inſcriptione in ſuperiori margine cujusvis paginæ. Volumen integrum foliis conſtat impreſſis 253. Ad calcem primæ paginæ folii ultimi hæc leguntur impreſſa: *Liber expoſitori⁹ totius biblie, ac aliorũ que ĩ eccleſa recitant⁹. qui mãmotrectus appellat⁹ feliciter explicit.* Eandem ſubſcriptionem in exemplari, quod exſtat in Bibliotheca Ratisbonenſi civica, haberi teſtatur vir cl. Carolus Theodorus Gemeiner in Nachrichten von der in der Regensburgiſchen Stadtbibliothek befindlichen Büchern ꝛc. pag. 34. Loco *expoſitori⁹* habet tamen *expoſitionis.* Sed videtur de ſenſu potius, quam verbo fuiſſe ſollicitus quemadmodum idem bibliographus in deſcribendis aliorum etiam librorum ſubſcriptionibus plerumque modernam ſequitur orthographiam, non obſervatis, quæ in antiquis libris occurrunt, abbreviaturis. Convenit præterea exemplar a cl. Gemeiner loc. cit. deſcriptum cum noſtro exemplari in numero foliorum, & ceteris notis characteriſticis. Deſunt nempe in utroque exemplari Cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri: habet vero utrumque inſcriptiones paginarum in ſuperiori margine, ut paulo ante dixi de noſtro exemplari. Vix igitur, puto, dubitandum eſſe, quin noſtrum exemplar ejusdem ſit editionis cum exemplari a cl. Gemeiner deſcripto. Porro hic adfirmat, celeberrimum Schwarzium hanc editionem omnium primam judicaſſe. Ipſe vero addit, probatu difficile futurum, noſtram hanc editionem eſſe Moguntina anni 1470. priorem, qua in re facile conſenſerim. De typographo & loco impreſſionis nec ſatis probabiles quidem conjecturas habeo. Siluit quoque ea de re cl. Gemeiner ſine dubio, quod & ipſe non haberet, quod ſatis eſſet probabile.

## XCVIII. Johannis Nider ordinis Prædicat. Præceptorium divinæ Legis. in Fol. min.

Præmiſſus eſt index duplex, Alphabeticus materiarum, & ſingulorum ordine capitum, foliis comprehenſus impreſſis 23. Paginæ ſingulæ cum indicis hujus, tum ipſius operis in duas columnas diſtinctæ ſunt, & impreſſæ gothico charactere non ſatis æquabili chartæ admodum firmæ, ſed impolitæ & minus albæ. Initiales litteræ capitum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. In ſuperiori margine cujusvis paginæ indicatur præceptum & capitulum, e. g. *Tercium Preceptum capitulum octavum.* Capitulis ſingulis non ſunt præfixa ſummaria, ſed ſolus eorum numerus hac ratione, e. g. *Capitulum Sextum.* Interpunctionis ſignum nullum aliud occurrit, quam punctum, formam habens quadratam. Columnæ ſingulæ in opere ipſo, quotquot numeravi, lineas impreſſas complectuntur 43. Totum vero volumen

cum

cum duplici indice 260. conſtat foliis impreſſis. Ad calcem voluminis circa finem quartæ columnæ folii ultimi ſequens legitur notitia typis impreſſa: *Johānis Nider ſacre paginis* (ſic) *Egregii doctoris ordinis predicatorum conventualis Nurenbergenſis pceptorii pclariſſimum opus finit feliciter.* Hujus editionis nullam reperio mentionem apud Bibliographos, qui mihi ad manus ſunt.

**XCIX.** ***Opus vtiliſſimum ɔtinens caſus breves ſup totū corpus legū p lrā tiſſimū & doctiſſimū virū Mgrm̄ iohannē de turnout artiū magiſtrū & in vtroque iure licētiatū ac in alma vniuerſitate lauanienſi lectionē inſtitutionū ordinariā & cotidianā indies legentē, ac per alios diuerſos legū licētiatos magna cū diligentia, ex lecturis bar. bal. & Jacobi de bel. in unū collectos & ordinatos magnisqȝ laborib᷒ & expēſis eoꝝ defectus, & incorrectiones, ſuppletos & correctos Incipit feliciter.*** **in Fol.**

Hæc in fronte leguntur vaſtiſſimi voluminis, utpote quod 553. circiter conſtat foliis impreſſis in Fol. Charta eſt plane nitidiſſima. Litteræ vero ſunt gothicæ, admodum rudes, & inæquales, ut ſculptas eſſe non dubitem. Nullum etiam occurrit interpunctionis ſignum, præter punctum, quod aſteriscus eſt informis hujus figuræ (ı) interdum vero formam quadratam habet. Legum verba, quæ exponuntur, duabus lineis ſunt incluſa, hoc modo: ⌞*Et antea*⌟. Litteræ initiales majorum diviſionum, puta librorum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones deſunt. Ad calcem voluminis hæc tantum verba leguntur: *Explicit caſus breves duodecim libri codicis.* Videtur hoc opus excuſum eſſe Lovanii, ubi auctor docuit, & unum ex primis eſſe typographiæ Lovanienſis monumentis. Characteres certe a me aſſignati maximam produnt hujus editionis antiquitatem.

## C. Johannis Gerſon opuſculum tripartitum de præceptis Decalogi, de confeſſione & de arte moriendi. in Fol. min.

Primæ paginæ tres margines, interiorem, ſuperiorem, & inferiorem ambit figura continua ligno eleganter inciſa, floribus, avibus, aliisque diſtincta ornamentis. Paginæ ſingulæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. In prima primæ paginæ columna initio ſtatim hæc leguntur impreſſa: *Incipit opuſculū triptitum de p̄ceptis decalogi. De ɔfeſſione. & de arte moriendi ꝑ eximium ſacre theologie ꝓfeſſorem Magiſtrum iohānem de Jerſona* (ſic) *alme univerſitatis ꝑiſienſis cancellarium.* Litteræ gothicam quidem formam habent, ſunt tamen admodum elegantes. Initiales capitum, cuſtodes, ſignaturæ, & paginarum numeri, ac inſcriptiones ubivis deſunt. Charta eſt firmiſſima, ſed minus alba & polita. Interpunctionis ſignum nullum occurrit, quam punctum, vel aſteriſcus potius informis (⁎) Omnia autem hæc opuſcula ſedecim foliis impreſſis ſunt comprehenſa. In fine nihil prorſus adjecit typographus, ſed opuſculum de arte moriendi terminatur in averſa pagina folii 16, columna ſecunda, linea 9. Duæ ultimæ lineæ his conſtant verbis:

*Sicut ī domo dei pariſienſi lau*
*dabiliter obſervatur.*

## CI. Gregorii Magni Libri XXXV. Moralium in Librum Job. in Fol.

Folia viginti priora occupat index alphabeticus materiarum, quæ in hoc opere pertractantur, in duabus columnis, ut ipſum opus, impreſſus. Indici præmiſſa eſt brevis de ejusdem uſu, & œconomia inſtructio. In averſa pagina folii 21. legitur narratio de his libris Romæ in Eccleſia S. Petri poſtliminio repertis. In prima autem ſequentis folii columna tandem incipit *Præfacō beati Gregorii pape in beatum Job*, quæ terminatur in averſa pagina folii 25, columna ſecunda, linea 9. tum immediate *libro4 moralium primus beati Gregorij pape ſuꝑ Job: incipit feliciter.* Litteræ ſunt gothicæ, pinquiores non nihil, ſculptæ, non fuſæ, ut earum inæqualitas demonſtrat. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta, ſed hæc rarius. Litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt ubivis. Charta eſt firmiſſima, & ſatis alba, ſed minus polita. Chartarii ſigna ſunt varia. Præ ceteris frequentius occurrunt libra, & corona. Columnæ pleræque integræ quinquaginta octo lineas complectuntur, quædam tantum quinquaginta ſex, aut ſeptem. Vocum ſyllabæ in fine lineæ abruptæ nullo ſigno con-

jun-

jungendæ indicantur. Exemplo ſint duæ lineæ priores folii penultimi columnæ ſecundæ in averſa pagina:

*Tis ſue tpa in vanitate ɔſumit. At contra ple*
*nus die4 dī cui nequaq̄ dies pereūdo tranſe*
*unt: &c.*

Terminatur opus in prima pagina folii 329, columna ſecunda, linea 29. Typographus nullam prorſus adjecit notitiam: nec ego, quis fuerit, auſim determinare. Editionem hanc ante annum 1480. prodiiſſe in lucem, nullus dubito. Non memini, ab ullo Bibliographo ejusdem eſſn factam mentionem. Et hinc rarioribus libris videtur eſſe adnumeranda.

CII. Johannis Gerſon tractatus varii 1) de Simonia. 2) de Examinatione Doctrinarum. 3) de Duplici ſtatu in Eccleſia, curatorum, & privilegiatorum, i. e. Religioſorum. 4) Admonitio brevis, quomodo caute legendi ſint quorundam libri propter occultos errores. 5) de Appellatione cujusdam peccatoris a divina Juſtitia ad divinam miſericordiam. 6) Opuſculum de unione Eccleſiæ. 7) Dubium de delectatione in ſervitio Dei. 8) Tractatus de Aſtrologia Theologiſata. in Fol. min.

Omnia hæc opuſcula, foliis 24. comprehenſa, gothico charactere paulo majori, & denſiori atramento nigerrimo & chartæ firmiſſimæ, non ſatis politæ, impreſſa ſunt. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Præter punctum occurrunt etiam linea recta inſtar commatis, & alia linea non nihil elatior, ſubjectum habens punctum, hoc modo (!). In fronte primi tractatus, qui octo foliis impreſſis conſtat, hæc leguntur impreſſa: *Incipit tractatꝰ de Simonia Magiſtri Joannis Gerſon con* (ſic) *cellarii Pariſienſis:* In fine vero opuſculi octavi ſequentia: *Trilogiū aſtrologie theologiſate Johannis de Gerſona doctoris ſacre theologie celeberrimi explicit feliciter. In quo ne mireris lector optime ſi quas dictōnes aliter q̄m vulgo ſcribi ſolēt effigiatas inueneris! vt quum pro cū aduerbio, ad dra3 cum prepoſitōis. z ſimilia. malui enim approbatiſſimo4 virorum firma3 auctoritatem ſequi! q̄m inſtabilem vulḡi abuſum imitari.* Opuſcula numeris 2 — 7. comprehenſa folia implent 22, nec ſeparari alterum ab altero poſſunt. Primum vero, & octavum ſeparari, & ſeorſim poſſunt haberi.

que in media linea interlocutorum, Rationis & conſcientiæ, nominibus typographus ſpatium vacuum reliquit. Diſtinctionis ſignum nullum occurrit, niſi punctum. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones, littera etiam initialis initio opuſculi; quod lineis continuo ſeſe excipientibus, ſine interſtitio impreſſum eſt. Conſtat foliis impreſſis 22. Ad calcem ſequens legitur notitia: *Tractatus racionis & conſciencie de ſumcōne pabuli ſalutiferi corꝑis dñi noſtri ihū Xpi. Finit.* Hoc etiam opuſculum ante annum 1476. impreſſum eſſe non dubito.

*Errorem typographicum inſignem.*

*Pag.* 14. *lin.* 24. Aurbach *corr.* De aurbach.

# BIBLIOTHECÆ
## ACADEMICÆ INGOLSTADIENSIS
# INCUNABULA TYPOGRAPHICA

SEU

LIBRI ANTE ANNUM 1500 IMPRESSI CIRCITER MILLE ET QUADRINGENTI;

QUOS

SECUNDUM ANNORUM SERIEM DISPOSUIT, DESCRIPSIT, ET NOTIS HISTORICO-LITTERARIIS ILLUSTRAVIT


**SEBASTIANUS SEEMILLER**

CANONIC. REG. POLLINGANUS, SERENISS. ELECT. PAL. BAV. CONS. ECCLES. ACT. THEOL. DOCTOR ET PROF. PUBL. ORD. BIBLIOTHECÆ ACADEM. PRÆFECTUS, THEOLOG. FACULTATIS h. t. ITERUM DECANUS.


## FASCICULUS II.

QUI

LIBROS COMPLECTITUR NOTA ANNI IMPRESSA INSIGNITOS ULTRA DUCENTOS ET VIGINTI, EOSQUE OMNES SEPTENNII SPATIO AB ANNO 1477 — 1483 IMPRESSOS.

ACCEDUNT

QUADRAGINTA ET AMPLIUS NOTA ANNI IMPRESSA CARENTES, SED PROBABILISSIME QUOAD MAJOREM PARTEM PARITER ANTE ANNUM 1484 IMPRESSI.

*CUM ADPROBATIONE THEOLOGICÆ FACULTATIS.*


INGOLSTADII

*Vendit* JOH. WILHELMUS KRÜLL BIBLIOPOLA ACADEM.

*Impreſſit* Sebaſtianus Valentinus Haberberger Electoralis Univerſitatis Typographus. 1788.

# PRÆFATIO.

Operis hujus Bibliographici Faſciculum Primum, anno ſuperiori editum, viris doctiſſimis, & in hoc literaturæ genere verſatiſſimis pergratum fuiſſe, ex publicis eorum teſtimoniis edoctus ſum (a) Fuerunt etiam non pauci, qui datis ad me literis ad opus, ea, qua ceperam, ratione continuandum etiam atque etiam hortati ſunt. Horum igitur doctiſſimorum virorum tam publicis, quam privatis adhortationibus animatus ea, qua potui, diligentia opus continuavi, & jam partem ejus longe maximam abſolvi. Habe interim, Amice Lector, faſciculum ejus ſecundum. Fuerunt, qui ad primum faſciculum addenda quædam, atque emendanda ſubminiſtrarunt. His pro ſua in me benevolentia grates jam ago publicas. Perplura ipſe poſt impreſſionem Faſciculi I. copiam nactus librorum, quos ante oblato etiam pretio habere non poteram, vel qui nunc primum publici juris facti ſunt, obſervavi, quibus a me dicta vel confirmantur, vel illuſtrantur, vel emendantur. Atque hæc quidem, cum aliis aliorum obſervationibus, benevole mecum communicatis, hic ſubjiciam.



(a) Conf. Nürnberg. gelehrt. Zeitung. LXIX. Stück. Dienſtag den 28. Auguſt. 1787. N. 257. Die zu Jena herauskommende allgemeine Litteratur = Zeitung. Jenner 1788. N. 17. b. Col. 179. ſeqq. Wirzburger gelehrte Anzeigen. X. Stück. Samſtags den 2. Februar 1788. pag. 92. ſeqq.

# ADDENDA, ET EMENDANDA
## AD
## FASCICULUM I.

Pag. 11. De hac L. Apuleii editione plura habet notatu digna Cardinalis Quirini de *Optimorum Scriptorum editionibus Romanis.* Edit. Schelhorn. pag. 209. ſeqq. ubi integram Johannis Alerienſis Præfationem exhibuit In ſubſcriptione vero ibid. pag. 221. lin. 30. male legitur *epitomata* pro *epitoma.*

Pag. 12. lin. 12. poſt *Johannes* add. *Andreas.*

Pag. 13. Editionem hanc Auli Gellii fuſius deſcripſit, & Præfationem editoris integram recitavit Quirini loc. cit. pag. 195. ſeqq. Dignus etiam eſt, qui de eadem conſulatur, P. Audiffredi in Catalogo Roman. Edit. Sæc. XV. pag. 19. ſeqq.

Pag. 14. De verſibus: *Aſpicis illuſtris lector* &c. editioni Auli Gellii, ſecundum Hambergerum, & Editores A. Gellii Bipontinos, adjectis nihil quoque habent Quirini, & Audiffredi loc. cit.

Ibid. lin. 24. pro *Aurbach.* legendum eſſe *De aurbach.* jam monui ad calcem Faſciculi I.

Pag. 35. *Sermones ſacri ab anonymo conſcripti, latine.* 1471. &c. Sermones iſti non ſunt anonymi, ſed Leonardi de Utino, Ord. Præd. Hujus editionis integrum exemplar vidi in Bibliotheca Imperialis Monaſterii Ord. S. B, ad SS. Udalr. & Afram Auguſtæ, in cujus fronte legitur: *Quadrageſimale aureū editum ꝑ egregiū excellentiſſimū ac famoſiſſimum artiū & ſacre theologie doctorē frēm Leonardū de Vtino almi ordis frūm predicatorū ac doctrine anglice* (ſic) *acutiſſimū defenſorē feliciter incipit.* Iisdem litteris, quibus impreſſum eſt hoc opus, Franciſcus de Hailbrun,

brun, Alemannus, anno 1472 Venetiis impreſſit Quadrageſimale Roberti de Licio. Ea de re certiorem me fecit Adm. R. P. Placidus Braun, Bibliothecæ in Imperiali Cœnobio ad SS. Udalr. & Afram Auguſtæ Præfectus, qui opus utrumque, utpote in eadem Bibliotheca exſtans, adcurate contulit, & in deſcribendis Bibliothecæ ſibi concreditæ Incunabulis typographicis, pretioſis illis quidem, nec ſane paucis, laudabiliſſimo ſtudio occupatur. Satis igitur, puto, confidenter adfirmari poteſt, opus præſens ab eodem typographo impreſſum fuiſſe. Exſtat eadem editio in Bibliotheca Cann. Regg. in Rebdorf. Conf. Monumenta Typograph. Biblioth. Cann. Regg. in Rebdorf. pag. 106. Vir Cl. Michael Denis in Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliotheck pag. 45. & 46. editionem hujus operis Venetam a Franciſco de Hailbrun, & Nicolao de Franckfordia anno 1473. curatam ut editionem originalem habuit. Noſtram igitur anni 1471. tum quidem adhuc ignoravit.

Pag. 45. lin. 14. Loco *Præſens hæc ſecunda eſt*, omnino legendum, *Præſens hæc tertia eſt.* Nam Schoifferus idem opus etiam anno 1470. Moguntiæ excudit, ut ex *Bibliotheca Moguntina* — Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Stephani Alexandri Würdtwein, Auguſtæ Vind. anno 1787 edita, diſcimus. Conf. pag. 101. Exſtat etiam hæc anni 1470. editio in Bibliotheca Monaſterii ord. S. Ben. Fauceniis (Füſſen) ut literis me docuit Vir Clariſſimus, & in hoc genere literaturæ verſatiſſimus Chriſtianus Carolus *Am Ende*, Paſtor Evangelicus Kaufburæ. Cui harum additionum partem magnam me debere gratus publice profiteor.

Pag. 51. Summæ Aſtexani tres diverſas editiones, nota anni impreſſa deſtitutas vir. Cl. Michel Denis in Merkwürdigkeiten der garell. Bibliotheck pag. 44. commemorat. Noſtram, quæ etiam in Bibliotheca exſtat Garelliana, ab illa diſtinguit, quam Weislingerus in *Armamentario Cathol.* pag. 18. & in *Catalogo Alphabet.* pag. 13. excitavit. Habet poſterior hæc editio in fine manu rubricatoris adſcripta ſequentia:

*Ex-*

*Explicit ſuma fr̄is aſtexani arte impſoria formata per venabilē virū johēʒ mentel anno dn̄i MCCCC°LXIX.* (1469) Verum notæ ejusmodi Manuſcriptæ merito habentur ſubleſtæ fidei, ut alias jam ſæpius monui. Conf. *Clement* Bibliotheque curieuſe Hiſtorique & Critique Tom. II. pag. 169 ſeqq. Idem editiones hujus operis plures, nota anni inſignitas, recenſuit.

Pag. 52. N. XIII. Nihil de hac oratione habet Audiffredi in Catalogo Roman. Edit. Sæc. XV.

Pag. 53. N. XIV. Cl. P. Audiffredi loc. cit. pag. 145. perperam aſſeruiſſe videtur, in fine hujus orationis legi ſequentia: *Rome in domo nobilis viri Joh. Philippi de Lignamine Meſſanen. S. D. N. familiaris anno eius tertio XXIII. Decembris.* Hæc enim verba (quibus etiam hæc ſunt præmiſſa: *M. CCCC. Lxxiii. Impreſſe* (ſic) *ſūnt iſti ſermōes*) leguntur ad calcem orationis de humana felicitate quæ quidem oratio in exemplari, quod viderat P. Audiffredi, cum noſtra hac oratione eandem habebat compacturam, ut ipſe, poſthac certiora edoctus, teſtatur pag. 442.

Pag. 53. N. XV. Cl. P. Audiffredi pag. 442. fatetur, *veriſimillime* a ſe orationem hanc ad annum 1472, quo habita eſt, pag. 119. perperam fuiſſe relatam.

Pag. 53. N. XVI. Tractatum hunc P. Audiffredi ad annum 1473. pag. 140. recenſuit.

Pag. 55. lin. 3. Literis C. W. editorem deſignari, non typographum, conjectura eſt doctiſſimi viri, qui Faſciculum I. in Novellis Literariis Norimbergenſibus recenſuit. LXIX. Stück. pag. 547. ann. 1787. Idem recte animadvertit, ſcribendum fuiſſe W. C. non C. W. ſi Wolfgangus Cephaleus (Wolfgang Köpfel) fuiſſet deſignandus. Qui recenſionem faſciculi primi in Novellis literariis Jenenſibus (allgemeinen Literatur=

Zei=

Zeitung — Jenner 1788. N. 17. b.) ſcripſit, non eſt alienus a ſententia Rubricatoris, qui litteris C. W. Conradum Wolfach deſignari adnotavit in margine noſtri exemplaris. Putat vero artificis forte id nomen eſſe, qui litteras ſculpſit in editione hac adhibitas.

Pag. 57. N. VI. Nec ex ſubſcriptione, nec aliunde certo colligi poteſt, an Bononiæ, an alibi hoc opus impreſſum fuerit. Maittaire Tom. I. pag. 346. aliud opus ab eodem typographo, pariter ſine nota loci impreſſum excitavit. Idem vero Bibliographus Tom I. pag. 756. Ariſtotelis Problemata a Joanne Vurſter (Wurſter) & Johanne Baumeiſter Mantuæ impreſſa recenſuit. Editio hæc Problematum Ariſtotelis caret quidem nota anni impreſſa. Verum facta eſt *Lodovico de Gonzagha Marchione ibidem tunc regnante.* Igitur ſaltem ante 12. Junii ann. 1478. quo Ludovicus de Gonzaga diem obiit ſupremum. Forte Johannes Vurſter jam etiam anno 1474 Mantuæ libris imprimendis operam dedit. Hæc ſi vera eſſet conjectura, opus hoc Mantuæ impreſſum fuiſſe, jure majori adfirmari poſſet. Faciendæ hujus obſervationis occaſionem mihi fecit Faſciculi primi Cenſor Norimbergenſis, qui loc. cit. pag. 547. ex me interrogavit: hat der Johann Wurſter de Kampidonia wohl zu Bologna gedruckt?

Pag. 59. XII. Editio hujus operis Cl. P. Audiffredio in Catalogo Rom. Edit. Sæc. XV. fuit incognita.

Pag. 60. XVI. Editionem hanc jam excitavit Freytag in Analect. Literar. pag. 545. Exſtat ejusdem Exemplar Norimbergæ, a Cl. de Murr in *Memorabilibus Bibliothec. Norimberg.* pag. 277. commemoratum; qui tamen, forte per errorem typographi, formam ei aſſignat in 4. Exemplar aliud reperitur in Bibliotheca Cann. Regg. Novacell. Conf. Raritas Librorum &c. pag. 23. & 24.

Pag. 63. XXI. Hæc eadem editio exſtat in Bibliotheca Cann. Regg. Novæcellæ prope Brixiam. Conf. Raritas Librorum in Bibliotheca Novacellenſi &c. pag. 24. Quin etiam Maittaire Tom. I. pag. 773. & ex eodem Cl. P. Audiffredi pag. 172. forte noſtram deſignarunt editionem: *Thurecenſis. Phiſici Tractatus de Cometis. in 4°. Rome* 1474.

Ibid. XXII. Libros N. 1) & 2) Cl. P. Audiffredi inter libros nota anni carentes recenſet pag. 368. Librum vero N. 3) ſeu Tractatum Nicolai de Ubaldis &c. ſecundum hanc editionem non novit. Excitavit vero aliam *Rome Anno dñi. M. cccclxxiii. — die. xxviii. Menſ. Maii* factam pag. 147.

Pag. 64. lin. 7. poſt vocem *inuentario* addenda ſunt ſequentia: *Ac etiam quedam forma Inuentarii.*

Pag. 66. II. Hæc editio a Cl. P. Audiffredio recenſetur in appendice pag. 466. Idem vero ad h. a. pag. 197. excitavit editionem Tractatus ab eodem auctore ſcripti de Servitutibus Ruſticorum prædiorum, Romæ a Joaanne Reynard de Eningen impreſſam. Romana editio ejusdem Tractatus nota loci, anni, & typographi carens, ſed iisdem literis, quibus Tractatus a me recenſitus de ſervit. Urban. præd. impreſſus in fine hujus præfationis recenſebitur.

Pag. 67. linea 30. pro MCCCCLXXV. omnino legendum MCCCCLXXIIII. quod quidem lector ipſe ex paulo poſt a me dictis potuiſſet intelligere.

Pag. 70. VIII. Editionem hanc Valerii Maximi Maittaire Annal. Tom. IV. pag. 354. ut librum a ſe viſum excitavit. Exſtat eadem in Bibliotheca Norimbergenſi civica.

Pag. 75. XVI. Deciſiones Rotæ Rom. Novæ circa annum 1470. ſine nota anni ex typographia Udalrici Galli Romæ jam prodierunt. Conf. Audiffredi pag. 40. Idem Bibliographus Deciſionum tam novarum quam veterum editionem Romanam ad annum 1472. excitavit pag. 120. Sed Deciſiones antiquæ carent nota anni impreſſa: ſunt vero iisdem

typis

typis impreſſæ, quibus deciſiones Novæ hoc anno per Udalricum Gallum, & Simonem de Luca excuſæ ſunt. Præter editionem a me indicatam eodem anno 1475 & in eadem typographia Georg. Laur duæ aliæ prodierunt collectiones Deciſionum Rotæ: altera quidem per Thomam Faſtoli, altera per Bernardum de Biſgneto curata. Conf. Audiffredi pag. 179.

Ibid. lin. 5. pro *Horboch* leg. *Horborch.*

Ibid. XVII. Litteræ, quibus impreſſum eſt hoc opus, Eggeſteinianæ ſunt, eædem nimirum, quibus impreſſa ſunt Biblia Germanica Faſc. I. pag. 2. ſeqq. nec non opera alia pag. 136. N. XLII. ſeqq. deſcripta, minoribus nimirum illis, quas æri inciſas exhibuit b. Steigenbergerus Tab. II. n. 3. & 4. adjecta ejusdem Abhandlung über die zwo allerälteſte gedruckte deutſche Bibeln &c.

Pag. 83. lin. 27. De typographo Joh. Schallo, qui Orlandio fuit incognitus, Maittaire Annal. Tom. IV. pag. 266. deque hac ipſa editione idem ibid. pag. 342. agit.

Pag. 85. Editionem hanc Regularum Juris Audiffredi pag. 208. non niſi ex Schelhornii Amænit. Liter. Tom. III. pag. 132. noverat.

Pag. 86. lin. 9. Ad hanc lineam Cenſor Faſciculi I. in der allgemeinen Literatur-Zeitung hæc adnotavit: *MCCCCXLVIIII.* ſteht unrichtig ſtatt *MCCCCLXXVI.* Verum ego, qui librum nunc denuo præ oculis habeo, adfirmare poſſum, recte omnino anni MCCCCXLVIIII. notam ibi expreſſam eſſe. Non enim, quod forte putavit Cenſor Jenenſis, hæc nota eſt anni, quo liber impreſſus eſt, ſed anni, quo *Franciſcus Philelphus Huic Satyrarum Operi Extremam Manum Mediolani impoſuit*, ut legitur expreſſe lin. 7. & 8. ibid.

Pag. 90. lin. 30. poſt vocem puch omnino inſerendum eſt der peyn, ut recte monuit Cenſor Jenenſis.

Pag. 92. X. Cl. P. Audiffredi pag. 216. operis ejuſdem Romanam editionem eodem anno per Johannem Raynaldi, & Paulum Leenen curatam recenſuit.

Pag. 94. XIII. De horum ſermonum auctore non ſatis certo, & de adpellatione eorundem, *Sermones Succi*, plura habet Freytag in Analectis Liter. pag. 873 - 875. Ego id unum adnoto, a multis Bibliographis ſermones iſtos citari ſub titulo: *Succi ſermones*, vel *Socci ſermones;* quaſi nimirum Soccus, vel Succus nomen eſſet auctoris horum ſermonum. Hinc in Bibliotheca quadam horum ſermonum exemplar vidi, cui titulus ſequens manu adſcriptus erat: *Fratris Socci Ord. Ciſterc. Sermones* &c. quin in ſubſcriptione editionis ſermonum Succi de Sanctis, qui diverſi ſunt a noſtris de tempore ſermonibus, a Freytagio loc. cit. pag. 874. deſcripti, ſermones iſti expreſſe dicuntur *ſermones fratris Socci ordinis Ciſtercien.* Sed aliunde derivandam eſſe hujus adpellationis originem patet ex recitatis a me pag. 94. lin. 30 & 31. verbis: *quia de Succo* &c.

Pag. 106. V. Tractatus Joh. Gerſonis 1) de Paſſionibus Animæ, & 2) de modo vivendi omnium Fidelium etiam celeberrimus Meermannus in *Origin. Typograph.* Tom. I. pag. 59. in not. i. Udalrico Zell adſcripſit. Adſcripturus ſine dubio eidem & reliquos Tractatus hic commemoratos, ſi eosdem ipſi videre contigiſſet.

Pag. 110. X. Nullum ex libris, qui ab hoc N. X — XVI. tanquam a Chriſtophoro Valdarfer impreſſi recenſentur, innotuiſſe *Joſepho Ant. Saxio in Hiſtoria litterario - Typographica Mediolanenſi* teſtatur Faſciculi I. Cenſor Jenenſis jam ſemel, iterumque laudatus. Hinc & ipſe dubius hæret, an revera a Valdarfero excuſi fuerint hi libri. Verum nec ego aliud quidquam adfirmavi, idque iterum adfirmo, libros nimirum his numeris comprehenſos eſſe iisdem typis impreſſos, quibus Chriſtophorus Valdarfer Bartholomæi de Chaimis confeſſionale impreſſit. Addidi quoque pag. 111. in not. (a) typis iisdem a Georgio Ryſer impreſſum fuiſſe anno 1483. Breviarium Eyſtettenſe, recenſitum Faſcicul. II. ad ann. 1483. N. XXII. Quare libros

iſtos

iſtos a me vel a Georgio Ryſero, vel a Chriſtophoro Valdarfero haberi impreſſos. Si in germania a Ryſero impreſſi ſunt hi libri, facile, puto, fieri potuit, ut Saxium omnes laterent. Minus id quidem probabile eſt, ſi a Valdarfero vel Mediolani, vel Venetiis (utrinque enim libris imprimendis operam dedit) impreſſi ſunt. At fieri tamen potuit, ut eum laterent. Ceterum optaſſem, ut vir doctiſſimus, Cenſor Jenenſis, eorum quoque feciſſet mentionem, quæ pag. 111. in nota (a) adnotavi de Georgio Ryſer.

Pag. 111. XI. In Bibliotheca Canonicorum Regg. Novacellenſi (Conf. Raritas Librorum in Bibliotheca Novacell. &c. pag. 50.) exſtat ejusdem Alphabeti editio, quæ eandem in fine ſubſcriptionem habet. Oportet vero hanc editionem a noſtra diverſam eſſe. Noſtra enim impreſſa eſt litteris valde abhorrentibus a litteris Udalrici Zell, cui quidem Exemplar Novacellenſe adſcribitur.

Pag. 118. XX. Cl. P. Audiffredi hujus operis, certe impreſſi Romæ, non meminit. Idem vero Bibliographus ad annum 1473 & 1474. excitavit quædam opera Romæ ab eodem typographo impreſſa. Conf. pag. 147. 155. 156. 393. 426. &c.

Pag. 124. lin. 4. loco zu Augsburg, legendum eſſe zu Ulm recte monuit Cenſor Jenenſis. Ceterum de Johanne Steinhöwel, Phyſico, ſeu Medicinæ Doctore Ulmenſi, plura habet ſcitu jucunda Freytag in *Adparat. Liter.* pag. 287. ſeqq.

Pag. 126. XXVIII. Auctor hujus itinerarii a Freytagio in *Analect. Liter.* pag. 918. adpellatur Ludolphus de Suchem (Suchen) ab aliis Petrus Parochus zu Suchen. Conf. *Nyerup* in *Spicilegio Bibliographico Spec. III.* pag. 118. & Meuſel *Bibliotheca Hiſtor.* Tom. I. Part. II. pag. 76.

Pag. 134. (per errorem typographi 341) XXXIX. S. Thomæ Aquin. Secunda Secundæ. In Bibliotheca Monaſterii ord. S. Benedicti Faucenſi (Füſſen) exſtat hujus editionis exemplar, cui Rubricator adſcripſit ſequentia: *actum lxvj.* (ſc. ann. 1466) alius vero hæc: *ad fauces Al-*

*Alpium pertinet iſte liber* 1268. Hæc ex literis ad me datis Clariſſimi viri Chriſtiani Caroli Am Ende, paſtoris evangelici Kaufburani.

Pag. 137. XLV. (per errorem typographi LXV.) Hujus practicæ Exemplar, quod eſt in Bibliotheca Monaſterii Faucenſis, adſcriptam habet anni 1473 notam. Hæc quoque notitia ex literis Cl. Am Ende deſumpta eſt.

Pag. 142. Genuina exemplaria Romanæ editionis Plutarchi in multis differunt ab editione hac noſtra. Deſunt enim in illis omnino tituli vitarum, & hinc nullibi occurrit phraſis: *in latinum traductæ linguagium:* nec vita Caroli magni e græco translata aſſeritur. Hexaſtichum: *Anſer Tarpeii* &c. poſt indicem vitarum in omnibus etiam exemplaribus genuinis exſtat. Conf. Audiffredi pag. 37. & 38.

Pag. 148. N. LIII. Hæc editio ſummæ Piſanellæ Supplementa Nicolai de Auſmo revera non habet. Hæc adnotanda putavi, quod a viro quodam Literatiſſimo interrogatus fuerim, an non forte per errorem memoriæ nullam de ſupplementis mentionem fecerim. Putavit ille nimirum, ſummam Piſanellam ſine ſupplementis illis nunquam fuiſſe typis expreſſam.

Pag. 152. LVII. Editionis hujus Fortalitii Exemplar quod eſt in Bibliotheca Monaſterii Faucenſis, ad calcem ſingulorum quinque librorum notam habet adjectam, emptum ſcilicet exemplar illud jam anno 1472 fuiſſe & quidem a Joh. Schüſsler, Typographo illo celeberrimo Auguſta-Vindelico. Ex hoc autem non ſequitur, a Schuſslero impreſſum quoque opus fuiſſe: immo impreſſum non fuiſſe litterarum a Schuſslerianis differentia commonſtrat. Hæc pariter, quoad rei ſubſtantiam, ex literis Cl. Am Ende.

Pag. 154. N. LIX. Tractatum hunc iisdem eſſe literis impreſſum, quibus Michael Wenſsler celebris apud Baſileenſes Typographus, anno 1478 decem Collationes, & Codicem Juſtinianæum impreſſit, didici ex literis Adm. R. P. Placidi Braun, Bibliothecarii SS. Udalr. & Afr.

Aug.

Aug. qui opus utrumque adcurate contulit. Ipſe ego literas hujus tractatus cum literis, quibus Mich. Wenſsler S. Auguſtinum de civitate Dei anno 1479 impreſſit, adcurate contuli, deprehendique maximam inter has literas ſimilitudinem intercedere. Licet enim literæ poſterioris operis non nihil pinguiores videantur: ſunt tamen hæ ad illarum, aut illæ ad harum imitationem formatæ.

Pag. 157. LXIV. Hoc Lexicon iisdem eſſe literis impreſſum, quibus Raymundi de Sabunde Theologia naturalis per Richardum Paffroed Daventriæ ſine nota anni impreſſa prodiit, idem P. Placidus Braun ex accurata utriusque collatione me docuit. Addidit tamen, literas theologiæ naturalis eſſe paulo minores.

Pag. 162. LXVIII. Hanc Suetonii editionem Cl. Audiffredi pag. 393. Joh. Gensbergio tribuit, adfirmatque, eodem eſſe charactere impreſſam, quo tria alia opera ab eodem typographo anno 1474 *auſpicio & favore* ejusdem Tuſcani impreſſa ſunt.

Pag. 165. lin. 2. pro *Doctrinæ* lege *Differentiæ*.

Pag. 172. LXXXI. & LXXXII. Duo hæc opera iisdem eſſe literis impreſſa jam animadverti. Porro literas plane easdem Joh. Mentellius adhibuit, dum ab anno 1473 - 1476 Specula Vincentii Bellovacenſis imprimeret. Hæc ex literis iterato jam laudati P. Placidi Braun.

Pag. 174. LXXXIV. Meminit hujus operis Auctor *du Catalogue des Livres du feu M. le Duc de la Valliere* N. 399. adfirmatque, circa annum 1470 fuiſſe excuſum Romæ in Monaſterio S. Euſebii. Litteras enim eſſe easdem teſtatur, quibus in eodem monaſterio anno 1470 Homiliæ S. Joh. Chryſoſtomi, per Franciſcum Arretinum e græco in latinum translatæ impreſſæ ſunt. Harum ipſe notitiam dedit ibid. n. 398. Recenſet eandem editionem P. Audiffredi pag. 360. nec eſt alienus a ſententia auctoris catalogi La - Valleriani, dum Georgio Lauer hanc iſtorum ſermonum editionem tribuit. Nam Georgius Lauer in Monaſterio S. Euſebii typographicam artem exercuit.

Pag.

Pag. 178. LXXXIX. Opus hoc typis prorſus iisdem impreſſum eſt, quibus, Gloſſa Salomonis infra pag. 183. N. XCVI. recenſita.

Pag. 180. XCI. Lackmannus in Annalibus Typograph. pag. 107. excitavit exemplar hujus editionis, quod jam anno 1472 emptum fuerat.

Pag. 183. XCVI. Typos eſſe eosdem, qui operis pag. 178. N. LXXXIX. recenſiti, paulo ante monui. Initiales vero literæ magnæ ligno inciſæ pariter eædem ſunt, quæ occurrunt in Summa Hoſtienſi a Ludovico Hohenwang anno 1777, ſine nota loci, impreſſa, & ad h. a. N. XXVI. a me recenſita. Ceterum exemplar hujus editionis Gloſſæ Salomonis, quod exſtat in Bibliotheca Cann. Regg. in Rebdorf, Collegio huic jam anno 1476 dono datum eſt. Conf. Monumenta Typographica, quæ exſtant in Bibliotheca Cann. Regg. in Rebdorf. Euſtadii 1787. in 4. pag. 16.

Pag. 186. N. XCVIII. Hujus editionis exemplar exſtat in Bibliotheca Imperialis Cœnobii ad SS. Udalr. & Afr. Auguſtæ. Porro adfirmat Bibliothecæ hujus Cœnobii Præfectus P. Placidus Braun literas hujus editionis easdem eſſe, quibus impreſſa Piſani Summa Reutlingæ, ſine typographi nomine, prodiit anno 1482.

Atque hæc quidem habui addenda ad Faſciculum Primum, eaque fere omnia vel hauſta ex libris, quorum nunc primum plena mihi copia facta eſt, vel communicata ab amicis. Addam pauca de hujus operis Titulo, *Incunabula Typographica;* quem quidem, primum Faſciculum cum ederem, ab omni cenſura immunem futurum exiſtimaveram, quin de cenſura in eundem ne cogitaveram quidem. At Cenſor Jenenſis (in der allgemeinen Literatur-Zeitung) Faſciculi I. qui ceteroquin cum aliis Cenſoribus & ipſum opus, & operis auctorem encomiis longe majoribus, quam ſperare præſumpſeram, mactavit, initio ſtatim recenſionis ſuæ adfirmat, libros, qui in artis typographicæ *incunabulis* impreſſi ſunt,

inep-

inepte *Incunabula Typographica* adpellari (**iſt eben ſo unrichtig, als wenn man Kinder in der Wiege ſelbſt Wiegen nennen wollte.**) Hæc verba ſunt Cenſoris, quibus veri aliquid ſubeſſe nemo doctus negare poterit. Libros quippe, in artis Typographicæ *incunabulis* impreſſos ab *incunabulis* ipſis differre facile omnes largientur, qui ad vocis, *Incunabula*, etymologiam reſpexerint. Verum id quoque certum eſt, vocabula ex uſu loquentium longe alios interdum nanciſci ſignificatus, quam qui ipſis, ſpectata eorum origine, atque etymologia, competunt. Porro ignorare non potuit Cenſor Jenenſis, vir doctiſſimus, & in hoc genere literaturæ, ut ipſa Faſciculi mei primi recenſio commonſtrat, verſatiſſimus, a ſexaginta jam fere annis a doctiſſimis Bibliographis libros *Sæculo XV.*, & *initio XVI.* impreſſos *Incunabula Typographica* adpellari. Putabam igitur, eodem hujus vocis ſignificatu, nunc quidem civitatis jure donato, mihi quoque uti licere.

## ADPENDIX AD FASCICULUM II.

*Ad pag.* 18. de Ludov. Hohenwang plura dixi infra de libris nota anni carentibus ad N. CXIV.

*Ad pag.* 20. Libris Anno 1477 impreſſis addendum eſt opus ſequens, nunc primum repertum:

XXIX. Johannis Andreæ Quæſtiones Mercuriales ſuper regulis Juris. Venetiis impreſſæ per Adamum Rotweil 1477.

Opus hoc, cujus editionem aliam priorem ad annum 1475. N. XVII. recenſui, eſt gothico charactere pereleganti in duabus columnis firmiſſimæ, ac præſtantiſſimæ chartæ impreſſum. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, numeris, & inſcriptionibus paginarum, habet vero ſignaturas ab a — q. Circa finem columnæ ſecundæ folii noni quinternionis *q* ſequens ſubſcriptio legitur: *Queſtiones mercuriales ſup regulis iuris Jo. an. impreſſe venetiis per Magiſtrum Adam de Rotvil. Anno dñi. M. cccc.* lxxvij. *quarto nonas Julii: finiũt feliciter.* Typographi noſtri ad annum 1480 primum meminit Maittaire Tom. I. pag. 414.

ubi

ubi Decretum Gratiani ab eodem Venetiis impreſſum excitavit. Idem cum Orlandio ad annum 1482 excitavit vitas Plutarchi parallelas in Italicum idioma verſas per Baptiſt. Alex. Jaconellum, & a Typographo noſtro Aquilæ eodem anno impreſſas. Forte Adamus iſte de Rothweil, cujus, adjecto falſo tem typographi nomine pauciſſima occurrunt monumenta, idem eſt cum Adamo Typographo Veneto, cujus aliqua monumenta typographica jam anno 1471 edita excitavit erunditiſſimus Schelhornius in notis ad Card. Quirini librum de Optim. Scriptorum editionibus &c. pag. 82 ſeqq. Meminit Schelhornius Adami Rot, Clerici Mettenſis, & Adami de Ambergau (vulgo Ammergau) nihil vero habet de Adamo de Rothvil, forte ſibi ignoto.

*Ad pag.* 100. *lin.* 13. & 14. Editionem operis de Regimine principum anni 1473 ſine nota loci, & typographi Cl. de Bure immerito ſuſpectam habuit. Exſtat enim hæc editio in Bibliotheca Cann. Regg. Rebdorfii. Conf. *Monumenta Typographica* hujus Bibliothecæ anno primum 1787. edita pag. 109. ſeqq.


*Pag.* 144. *lin.* 39. pro *Lxxxii.* legendum *Lxxxvii.*

Ad Claſſem IIdam. Librorum nota anni carentium, quos recenſui Faſc. II. inde a N. CXV – CXXIV. ſequens etiam opus pertinet:

Bartholomæi Cepollæ Tractatus de Servitutibus Ruſticorum Prædiorum. Sine l. a. & typographo. in Fol. magn.

Præmiſſus eſt index materiarum foliis quinque comprehenſus. Folio ſexto *Tractatus ſeruitutum ruſticorum prediorū dñi Bartholomei Cepolla Veronē. utriuſq3 iur| doctoris famoſiſſimi Incipit feliciter.* Deſunt ubique cuſtodes, figuræ, numeri, & inſcriptiones paginarum. Literas initiales parvas typographus nunc adjecit, nunc omiſit. In fine hæc leguntur; *Tractatus de Seruitutibus ruſticorum prediorū, domini Bartholomei Cepolla Veronēſis utriuſq3 iur| doctor| famoſiſſimi finit feliciter.* Accedit regiſtrum chartarum in prima ſequentis folii pagina. Eſt hæc editio iisdem literis impreſſa, quibus auctoris ejusdem tractatus de ſervitutibus *Urbanorum* prædiorum ad ann. 1475. N. II. recenſitus. Meminit utriusque Cl. P. Audiffredi in Appendice pag. 466. Vix igitur dubium eſt, quin hic quoque tractatus, forte anno 1475, Romæ apud S. Marcum fuerit impreſſus.

NO-



NOTITIA

# HISTORICO-LITERARIA

DE

# INCUNABULIS TYPOGRAPHICIS

BIBLIOTHECÆ ACADEM. INGOLSTADIENSIS.

## FASCICULUS II.

### ANNO 1477.

**I. Laurentii Vallæ Opus de linguæ latinæ elegantiis. Accedit ejusdem Liber de Pronomine ſui ad Joannem Tortellium Arretinum. Mediolani per Philippum de Lavagnia. Ann. 1477. in Fol. min.**

Opus iſtud charactere rotundo plane elegantiſſimo impreſſum eſt. Charta eſt firmiſſima, minus tamen alba, & polita: habet vero ampliſſimos margines. Chartarii ſignum aliud non obſervavi, quam roſam diverſæ magnitudinis. Præter punctum, quod ſtellulæ quadratæ formam habet, occurrunt

etiam duo ejusmodi puncta, & ſignum interrogationis. Initiales litteras parvas ipſe typographus adjecit. Cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Conſtat volumen integrum 28 plagularum faſciculis, ſignatis a — z, & inſuper & . ꝯ & ℞. ſunt omnes quaterni, præter n & o ternos, ac ℞ quinternum. Quaternionis vero *a* primum folium vacuum eſt. In fronte autem primi folii impreſſi hæc verba leguntur, impreſſa typis iisdem, quibus ipſum opus: *Laurentii uallenſis uiri clariſſimi: et de lingua latina bene meriti ad Joannem Tortellium arretinum elegantiarum opus.* Tum immediate ſequitur epiſtola dedicatoria ejusdem ad eundem, quæ terminatur in prima ſecundi folii pagina, linea 28. In prima pagina folii impreſſi 205 poſt medium ſequens impreſſa legitur notitia: *Impreſſum Mediolani impenſis Philippi Lauagniæ Anno MCCCCLXXVII. pridie Kalendas Septembris.* Accedunt carmina in laudem operis, & typographi. Adnexus eſt demum index alphabeticus materiarum foliis octo comprehenſus. Carent vero hæc octo folia ſignaturis.

## II. Summæ Theologicæ S. Antonini Pars IIda. Spiræ per Petrum Drach anno 1477 impreſſa. in Fol. magn.

Operis iſtius, quatuor partibus conſtantis, partes ſingulæ ſæculo decimo quinto ſeorſim diverſis annis editæ fuerunt. Sic Nicolaus Jenſon anno 1477 Partem II. & III. anno 1479 P. I. anno 1480 P. IV. Antonius Koburger anno 1477 Partem II. anno 1478 P. I. & III. anno 1479 P. IV. ediderunt. Vid. Denis Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliothek pag. 128, ubi editionem ejusdem operis alteram annis 1486 & 1487. a Koburgero curatam recenſet. Idem vir Clariſſimus loc. cit. meminit quidem editionis Spirenſis a Petro Drach curatæ annis 1487 & 1488: ſilet vero de editione partis ſecundæ, quam præ oculis habeo, excuſæ jam anno 1477. Excitavit vero eandem Orlandi in *Origine e progreſſi della Stampa* pag. 185. An reliquæ etiam partes hujus operis, nimirum I. III. & IVta hoc anno, aut proxime ſequentibus ab eodem typographo emiſſæ fuerint in lucem, mihi quidem plane incompertum eſt. In fronte voluminis vaſtiſſimi, quod in duabus columnis impreſſum eſt charactere gothico, litteris maiuſculis impreſſa leguntur ſequentia: *Clariſſimi ac doctiſſimi uiri fratris Anthonini de ordine Predicatoꝝ Archiepiſcopi Florentini ſecunda pars ſume feliciter Incipit.* Deſunt initiales litteræ capitum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Charta eſt firma quidem, ſed minus alba & polita. Chartarii ſignum omnium frequentiſſime occurrens eſt littera D, quam ſtilus ſecat ex una parte in annulum, ex altera in crucem deſinens, rarius multo obſervavi caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in crucem deſinens. Ad calcem operis ſequens legitur notitia litteris majuſculis impreſſa: *Finit feliciter opus celeberrimū ſecunde partis ſūme doctiſſimi viri fratris Anthonini de ordine Predicatoꝝ Archiepī Florentini moraliter tractans de ſingulis viciis in particulari per modum*

*pre-*

*predicationis. et etiam per modū doctrine Impſſum per Petrū Drach inſingni* (ſic) *in ciuitate Spireñ Sub anno dñice incarnacōis M. cccc. Lxxvij. die viceſima menſis Auguſti.* His ſubiecta ſunt typographi inſignia. Accedit tabula ſeu index Articulorum, & capitum, in quæ diviſum eſt hoc volumen, foliis impreſſis duobus comprehenſus.

## III. Biblia germanica Auguſtæ Vindel. impreſſa anno 1477. 2 Voll. Fol.

Hujus editionis prima pars tantum exſtat in Bibliotheca hujate academica. Attamen integri operis notitiam lectoribus exhibiturus, quæ ad partem illius ſecundam pertinent, ex Cl. Panzero deprompſi. Litteris impreſſa ſunt hæc Biblia admodum pinguibus, non tamen ſculptis, ſed fuſis: niſi quod litteræ ſingulorum librorum initiales ligno inciſæ, & figuris plerumque eorum argumento convenientibus ornatæ ſint. Capitum quoque initiales litteræ parvæ, eæque impreſſæ ſunt, quibus tamen in noſtro exemplari rubras majuſculas miniator adpinxit. Papyrus alba & firma eſt. Signa chartarii ſunt varia. Omnium frequentiſſime occurrit roſa, interdum uva, minus frequenter caput bovinum, cujus inter cornua ſtilus exurgit, adparent. Deſunt cuſtodes, & ſignaturæ. Adſunt vero tituli columnarum, nec non foliorum numeri. Columnæ ſingulæ, quarum duas quævis habet pagina, lineas impreſſas 51 continent. Præfixit etiam capitibus numeros typographus. Tituli Pſalmorum non ſunt ſeparatim impreſſi, ſed Pſalmi ſinguli titulum quisque ſuum habent præfixum. Præter punctum & ſignum („ vel /) quo ſyllabæ vocis ejusdem in fine linearum abruptæ coagmentandæ indicantur, non occurrunt alia diſtinctionum ſigna. Diviſio operis in duo volumina ab ipſo typographo eſt adoptata. Nam voluminibus ſingulis indicem præfixit librorum Biblicorum. Volumen primum folia habet numerata CCCXVIIII: reuera autem conſtat foliis 321. Nam folium primum, cujus averſa pagina, columna prima indicem continet librorum Biblicorum, & folium ultimum, cujus prima tantum columna impreſſa eſt, carent numeris impreſſis. Cl. Panzer (Nachricht von den allerälteſten gedruckten deutſchen Bibeln pag. 53.) folia impreſſa numerat CCCX (310) eumque numerum bis habet intra quatuor lineas. Idem adfirmat, folium ſecundum, quod indicem excipit, numero II. eſſe notatum. Verum aliter ſe habet utrumque in noſtro exemplari. Nam foliorum numerus eſt 321, & folium ſecundum numerum I. habet. Sed errorem hunc poſtea detexit, dum in alio loco (von den älteſten augsburgiſchen Ausgaben der Bibel) de eadem editione loquens numeros paginarum ab I usque ad CCCXX extendi adfirmat, quod ita tamen intelligendum eſt, ut numerus CCCXX folii ultimi non ſit expreſſus. Ceterum volumen hoc primum libros biblicos a geneſi usque ad Pſalterium complectitur. Ad hujus calcem leguntur ſequentia: **Eyn ende hat die weiſſagung oder d' pſalter**

des königlichen Propheten David. In eadem linea cum voce David legitur anni nota .I. ꝝ. ΛΛ (1477) Subjecta ſunt inſignia, ut videtur typographi de quibus paulo poſt. Volumini ſecundo pariter præfixus eſt index librorum biblicorum. Numeri foliorum ab I — CCCXXXI procurrunt, quibus in fine accedit folium non numeratum ſequentem continens ſubſcriptionem: **Diß durchleichtigeſt werk d' ganzen heiligen geſchrifft. genandt die bibel für all ander vor gedruckt teutſch Bibeln. lauterer, klårer vnnd warer nach rechten gemeynen teutſch dañ vor gedrucket hat hie eyn end. In d' hochwirdigẽ keyſerlichen ſtatt augſpurg, der edeln teutſchen nacion nit der minſt ſunder mit den meyſtẽ eben geleich genennet. zu ganzen ende gedrucket: vmb wölich volbringung ſei lob. glori und ere. der hochem heyligen Triualtigkeit. vñ eynigen weſen. dem vatter vnd dem ſun vnd dem heyligen geyſt. der do lebt und regiret got ewigklichen Amen.** His denuo ſubjecta eſt anni 1477 nota, & eadem inſignia, quæ ad calcem tomi prioris conſpiciuntur. *Vir* nempe *hirſutus divaricatis cruribus, medius inter duas arbores, tenens manu ſiniſtra ſcutum (in quo leo flavus in area rubra erectus in pedes lingua exſerta corona cærulea ornatus, conſpiciendus datur.* Ita hæc inſignia deſcripſit Franc. Antonius Veith, Bibliopola Auguſtanus pereruditus, in Adpendice ad ſuam Bibliothecam Auguſtanam Tom. I. fol. 3. pag. averſ. Inſignia hæc eſſe Joh. Bämleri (Bämler) haud vana eſt Cl. Panzeri conjectura. Conf. Nachricht von den älteſten gedruckten deutſchen Bibeln pag. 55. — Item Beſchreibung der älteſten Augsburgiſchen Bibeln pag. 21.

## IV. Prima Pars Summæ S. Thomæ Aquinatis. Venetiis anno 1477. in Fol. min.

In fronte voluminis, pagina prima, columna prima *Incipiũt capitula ꝑme ꝑtis ſũme ſup totam theologiaꝫ fratris ſancti Thome de aq̃no ordinis ꝑdicatorũ.* Capitula hæc ſex folia implent. Folio ſeptimo opus ipſum incipit, charactere gothico in duabus columnis impreſſum chartæ admodum nitidæ & mundæ. Deſunt cuſtodes, paginarum numeri, & plerumque etiam litteræ initiales. Signaturas vero typographus adjecit, qui etiam in ſuperiori margine charactere majuſculo indicavit Quæſtionem, e. g. *Queſtio LIIII.* Folia impreſſa numeravi 307. Poſt medium ſecundæ columnæ folii 307 hæc legitur notitia: *Explicit ꝑma ꝑs ſũme ſãcti thome de aquino diligẽtiſſime caſtigata ſup emẽdatione magiſtri franciſci de neritono ꝑ theologos viros religioſos petrũ cantianũ & ioannem frãciſcuꝫ venetos.* Interjecto exiguo ſpatio legitur;

*Venetiis. M. CCCC. LXXVII.*

V. Appiani Alexandrini Romanarum Hiſtoriarum Libri quatuor, Celticam, Syriacam, Parthicam & Mithridaticam complectentes. Item ejusdem libri quinque de Bellis Romanorum ciuilibus, quibus accedunt liber, qui Illiricus inſcribitur, & liber ſeu brevis narratio de bello celtico. Venetiis anno 1477. per Bernardum Pictorem, & Erhardum Ratdolt Auguſta - Vindelicum. Omnia ſecundum verſionem Petri Candidi. in Fol.

Splendidiſſima merito hæc dici poteſt editio, utpote quæ charactere rotundo plane elegantiſſimo & chartæ mundiſſimæ, ac ampliſſimis inſtructæ marginibus, qui brevia rerum argumenta exhibent, eſt impreſſa. Ipſi typographi eam in duo volumina tribuerunt, quorum in noſtro quidem exemplari prius, & ab interprete Nicolao V. R. P. dedicatum libros quatuor hiſtoriarum, Celticæ nimirum, Syriacæ, Parthicæ, & Mithridaticæ, poſterius vero, ab interprete Alphonſo Aragoniæ Regi dedicatum, libros quinque bellorum civilium cum adnexis duobus aliis in titulo indicatis complectitur: utrumque etiam volumen ſingularem habet ſubſcriptionem, infra recitandam. Deſunt utrinque cuſtodes, & paginarum numeri, Litteras vero librorum initiales, easque æri, ut videtur, eleganter inciſas, cum ſignaturis ipſe typographus adjecit. Illas noſtri exemplaris rubricator variis coloribus quam belliſſime diſtinxit. In fronte primi voluminis *P. Candidi in libros Appiani Sophiſte Alexandrini Ad Nicolaum quintū ſummū pōtificem Prefatio incipit feliciſſime.* Folio ſecundo Appiani ipſius incipit Prohemium in Romanam hiſtoriam, quatuor foliis comprehenſum. Folio tandem quinto *Appiani Alexandrini Sophiſte Romanorum liber incipit qui Libycus inſcribitur.* Nulla eſt librorum in capita, aliasque ſectiones minores diſtinctio. Librorum vero ſingulorum finis & initium hac vel ſimili ratione notantur: *Appiani Alexandrini Sophiſte Romanorum liber finit qui Libycus inſcribit'. Traductio P. Candidi — Appiani Alexandrioi Sophiſte Romanorum liber incipit qui Syrius inſcribit'. Traductio. P. Candidi.* In primo volumine folia impreſſa numerari 131. Ad calcem vero hæc ſequens legitur notitia: *Impreſſum eſt hoc opus Venetiis per Bernardū pictorem & Erhardum ratdolt de Auguſta una cum Petro loſlein de Langencen correctore ac ſocio. Laus Deo. M. CCCC. LXXVII.*

Primum voluminis poſterioris folium interpretis dedicationem ad Alphonſum Aragoniæ regem continet: Folio autem ſecundo ſingulōrum ordine librorum argumenta ſummatim leguntur impreſſa. Folio demum tertio *P. Candidi de ciuilibus Romanorum bellis ex Appiano Alexandrino in latinū traductis liber primus incipit. lege feliciter.* Exterior hujus voluminis forma prorſus eadem eſt cum volumine priori. Conſtat foliis impreſſis 211. Ad calcem

cem eadem prorſus legitur impreſſa ſubſcriptio, quæ tomo priori adjecta eſt. Quare eam hic nolim repetere.

Editio hæc hiſtoriarum Appiani minus quidem rara eſt editione Veneta a Vindelino de Spira anno 1472 curata: attamen typorum elegantia, & chartæ munditia primam illam editionem facile ſuperat.

VI. Pauli Veneti, Ord. Eremit. S. Auguſtini, Expoſitio duorum Ariſtotelis librorum poſteriorum. Venetiis per Theodorum de Reinsburch & Renaldum de Novimagio ſocios. Anno 1477. in Fol. min.

Opus iſtud Gothico charactere admodum luculento, parvo licet, in duabus columnis chartæ nitidiſſimæ & ampliſſimis inſtructæ marginibus impreſſum eſt. Caret cuſtodibus & paginarum numeris: habet vero ſignaturas, & litteras initiales. Volumini nullus titulus aut inſcriptio præfixa, ſed incipit ipſis auctoris verbis: *mnis* (omnis) *Doctrina & omnis diſciplina* &c. Ad calcem primi libri hæc tantum leguntur impreſſa: *Finis expōis pmi libri poſterio4.* Ad calcem vero libri ſecundi uberior legitur notitia, quæ ejusmodi eſt: *Expoſitōni clariſſimi artiū & theologie doctoris Pauli Ueneti ordinis heremitarum beatiſſimi Auguſtini ex proprio originali per venerandum fratrem Franciſcū de Bēzonibus de Crema: logyce baccalariū: & fratrē Martiotum de Piſtorio ordinis minorum magna diligentia emendate: finis impoſitus ē Uenetiis. Impreſſumq3 eſt hoc opus per magiſtrum Theodorum de Reinſburch, & Renaldu3 de Nouimagio ſocios: 1477. die. 14. menſis Junij. &c.* Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* &c. Typographorum noſtrorum ante annum 1478 non meminit. Pauli Veneti lucubrationes in libros Ariſtotelis varios ſæc. XV. ſæpius fuere typis excuſæ, & magno in pretio habitæ. Auctor jam obierat anno 1429, dum Provinciæ ordinis ſui præeſſet.

VII. Pauli Veneti, Ord. Eremit. S. Auguſtini ſumma Philoſophiæ, diviſa in partes ſex, quarum 1ma eſt in Ariſtotelis libros Phyſicorum. 2da in libr. ejusdem de celo & mundo. 3tia in libr. ej. de generatione & corruptione. 4ta in libr. ej. Methaurorum, ſeu Metheoricorum. 5ta in libr. ej. de anima. 6ta in libr ej. Metaphyſicorum. Anno 1477. in Fol. mag. ſine nota loci & typographi.

In fronte primæ paginæ, primæ itidem columnæ tituli loco hæc leguntur impreſſa: *Summa philoſophie p famoſiſſimū ſacre theologie profeſſorē Magiſtrū*

*giſtrū Paulū Uenetū ordinis fratrū Heremitaꝝ ſancti Auguſtini. Cuius prima pꝫ correſpōdens libro phiſicoꝝ Ariſtotelis feliciter incipit.* Tum immediate ſequitur *Prohemium* auctoris. Characteres, quibus impreſſum eſt hoc opus, ſunt gothici juſtæ magnitudinis, inter ſe ſatis æquabiles. Deſunt ubivis cuſtodes, ſignaturæ, litteræ initiales, paginarum numeri & inſcriptiones. Charta eſt firmiſſima, alba, munda, & ampliſſimis inſtructa marginibus. Chartarii ſignum omnium frequentiſſime occurrens eſt forfex. Ad calcem libri ſexti ſequens exſtat notitia: *Explicit ſumma Phie ꝑm magiſtruꝫ Paulum Uenetum ſacre theologie clariſſimū Profeſſorem ſacri ordinis Heremitarū ſancti Auguſtini Emendata diligenter per fratreꝫ Ualētinum de Camerino ſacre thologie* (ſic) *ꝯfeſſorem ordinis predicatoꝝ. Sub anno domini. Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. die vero xxv menſis Januarii.* Accedit pagina ſeparata, quæ indicem continet primarum cujusvis plagulæ vocum.

## VIII. Deciſiones Dominorum de Rota Novæ & antiquæ. Moguntiæ ann. 1477. per Petrum Schoiffer. in Fol. min.

Primam, quæ mihi videtur, hujus operis editionem ad annum 1475. N. XVI. recenſui. Præſens in duas quodammodo partes diviſa eſt, quarum prior Deciſiones antiquas, poſterior vero novas complectitur. Parti utrique præfixa eſt tabula ſeu index deciſionum & conſtitutionum, Quæ primæ parti præfixa eſt tabula, quinque conſtat foliis impreſſis, eſtque ordine alphabetico concinnata. Tabula vero parti ſecundæ, ſeu deciſionibus novis præfixa multo uberior eſt, & foliis conſtat impreſſis viginti ſeptem. Ambas hasce tabulas deeſſe oportet in exemplari quod deſcribit Cl. de Bure n. 933. Adfirmat enim: *Ce livre n'a ni Index ni table de chapitres. Il commence par cet intitulé: Conſtitutiones &c.* Ceterum paginæ ſingulæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Charta eſt plane firmiſſima, pergameno propemodum ſimilis. Ad calcem primæ partis hæc tantum leguntur impreſſa: *Antiquarū deciſionum finis.* Ad calcem vero partis ſecundæ, ſeu novarum deciſionum uberior legitur notitia rubro colore impreſſa ſequentis tenoris: *Anno dñi. Mccccłxxvij. pridie noniſ Januariiſ. Graui labore maximiſqꝫ impenſis Romanā poſt impreſſionem opus iterū emēdatū! ātiquarūm nouarumqꝫ deciſionū ſuis cū additionibꝰ! dñoꝝ de Rota! In ciuitate Maguntina impſſorie artis inuētrice elimatriceqꝫ ꝑma Petrus Schoyffer de Gernſheym ſuis conſignando ſcutis arte magiſtra! feliciter finiuit.* His ſubjecta ſunt typographi inſignia rubro pariter colore expreſſa.

IX.

IX. Decretum Gratiani cum apparatu Bartholomæi Brixienſis. Venetiis per Nicolaum Jenſon anno 1477. in Fol. magn.

Hoc vaſtiſſimæ molis opus gothico charactere admodum luculento impreſſum eſt in duabus columnis, quæ in medio fere paginæ ſitæ ſunt. Quatuor extremos margines apparatus, ſeu gloſſæ occupant. In ſupremo margine notantur diſtinctiones & capita, e. g. *Di. LXXX. Ca. XII.* Rubricæ, quæ vocantur, rubro etiam colore impreſſæ ſunt. Initiales litteræ in ipſo textu deſunt. In gloſſis typographus parvas adhibuit. Deſunt etiam paginarum numeri, & cuſtodes. Adſunt vero ſignaturæ. Charta plane præſtantiſſima eſt. In fine hæc tantum leguntur: *Decreto4 codex impreſſus ſingulari induſtria atq3 impenſa Nicolai Jenſon Gallici Uenetiis. M. cccc. Lxxvij. Sixto quarto pontifice maximo.* Meminit hujus editionis Orlandi. Silent vero de eadem Hamberger, de Bure, & alii, qui mihi ad manus ſunt.

X. Nicolai de Tudeſchis Archiep. Panormitani, vulgo *Abbatis Siculi*, commentariorum in primum librum decretalium Pars 1ma & 2da Venetiis 1477. per Nicolaum Jenſon. 2 Tom. in Fol.

Impreſſum eſt hoc opus charactere gothico in duabus columnis chartæ admodum nitidæ, quæ amplos habet margines. In ſuperiori margine notatur titulus, qui exponitur, e. g. *De conſuetu.* — *De poſtul. prela.* Paginarum vero numeri, & cuſtodes deſunt. Litteras initiales parvas typographus plerumque adjecit: ſæpe tamen omiſit. Signaturæ adſunt. Prima pars hanc habet ſubſcriptionem: *Dñi abbatis ſiculi pꝰ primo ſup ꝓmo decretalium diligẽtiſſime emẽdata feliciter explicit. per Nicolaū Jenſon gallicum Uenetiis impreſſa Mº. cccc. Lxxvij. die xxvij. novembris.* Pars ſecunda incipit *De officio & ꝑtãte iudicis delegati ℞ica.* Impreſſioni hujus partis finis eſt impoſitus anno *M. cccc. Lxxvij. die. x. decembris.* An reliquæ etiam partes hujus operis anno ſequenti a Nicolao Jenſon fuerint typis excuſæ, mihi quidem non conſtat. Præter commentaria enim in Primam partem nihil exſtat in Bibliotheca noſtra academica.

XI. S. Bonaventura in librum II. ſententiarum. Venetiis per Theodoricum de Reynsburch & Reynaldum de Novimagio anno 1477, in Fol. min.

In fronte voluminis hæc verba leguntur impreſſa: *Uiri excellentiſſimi & ſacre theologie diui monarce ſummiq3 cpfeſſoris: ſup 2º. ſnia4 dñi Bonauenture mino4 ex ordine opus ꝓclariſſimum feliciter incipit.* Singulæ paginæ in duas columnas

lumnas

lumnas diſtinctæ ſunt. Character eſt gothicus juſtæ magnitudinis. Cuſtodes, paginarum numeri, & inſcriptiones deſunt. Litteras vero initiales parvas & ſignaturas typographus adjecit. Charta munda eſt, & alba. Ad calcem voluminis ſequens exſtat notitia: *Religioſi pris Bonauēture ordinis Mino4 veritatis theologie* (ſic) *cpfeſſoris eximii: ſacreq3 aplice ſedis Cardinal' ſup ſecundū ſententia4 ſcriptu3 finit. Per excellētiſſimū ſacre theologie doctore3 magrm Thomā penketh anglicū ordinis frat4 heremita4 ſancti Auguſtini in famoſiſſimo ſtudio patauino ordiarie legēte3 maxīa cū diligētia emendatū. Anno ſalut nre. M. cccc. Lxxvij. P Theodoricū de Reynſburch & Reynaldū de Nouimagio ſocios. Uenetijs feliciter impſſum.* Subſcriptionem hanc in eadem pagina excipit *Tabula* (index quæſtionum & diſtinctionum) *eiuſde3 libri;* quæ terminatur in tertii folii prima pagina. In eadem exſtat impreſſus index primarum cujusvis plagulæ vocum.

**XII.** **Lotharii Diaconi Cardinal. poſtea Innocentii III. R. P. Tractatus de Miſeria conditionis humanæ. Norimbergæ impreſſus per Fridericum Creuſner. anno 1477. in Fol. min.**

In averſa primi folii pagina index legitur ſingulorum capitum primæ partis; qualis etiam duabus reliquis hujus libri partibus eſt præfixus. In fronte folii ſecundi *Incipit liber de miſeria conditionis hūane | editus a lothario dyacono* &c. Litteræ ſunt gothicæ oblongæ. Charta ſatis firma, ſed minus polita. Deſunt litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones. Ad calcem hæc habes impreſſa: *Explicit Tractatulus Innocencii pape de miſeria conditionis humane nature per me fridericum Creuſner ciuem Nurmbergenſem ſub anno domini. M. CCCC. LXXVij.*

**XIII.** ***Tractatulus ſollenis de arte & vero modo predicandi ex diuerſis ſacrorum doctorum ſcripturis & principalit· ſacratiſſimi criſtiane ecclesie doctoris Thome de aquino ex paruo ſuo quodā tractatulo recollectus vbi ſcdm modum & formam materie preſentis procedit.*** **Anno 1477. in Fol. min. ſine nota loci & typographi.**

Quæ recitavi verba, in fronte leguntur opuſculi, quod foliis conſtat impreſſis decem. Typi ſunt iidem cum typis operis immediate præcedentis. Quare nullus dubito, quin ex Creuſneri typographia Norimbergenſi prodierit. Deſunt quoque initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones. Ad calcem primæ paginæ folii noni hæc legitur ſubſcriptio: *Fine claudit' ars ſiue mod' pdicādi a ſancto Thoma de aqno ɔpoſita. nec nō alio4*

*ſacroꝝ doctoꝝ ſcripturis ꝑ luſtrata & ſi q3 diligēter ſe inſpexerit procul dubio ī arte iſta magnꝰ erit Anno dñi. ꝍ. CCCC. Lxxvij. Hic tractatulꝰ eſt impreſſus.* In averſa pagina folii ejusdem legitur inſtructio de formanda arbore, quæ norma ſit formandæ orationis. Ad calcem primæ paginæ folii 10 legitur; *ſequitur arbor.* Verum deeſt hæc arbor, abs dubio ponenda in ejusdem folii averſa pagina, quæ vacua eſt.

XIV. Johannis Gritſch ord. minor. Quadrageſimale. Accedunt themata pro expoſitione Evangeliorum & Epiſtolarum tam pro Dominicis, quam feſtis per annum diebus. Impreſſ. per Johannem Wiener de Wienna (Vienna) ann. 1477. in Fol.

In fronte voluminis exſtat tabula, ſeu index alphabeticus materiarum, foliis impreſſis 46 comprehenſus, cui præmiſſa ſuccincta de ejus uſu inſtructio. In fronte folii 47 hæc verba leguntur: *Quadrageſimale fratris iohannis Gritſch ordinis fratrum minorum. doctoris eximij. ꝑ totum temporis anni ſpatium deſeruiēs cū Thematum euangeliorū ꝛ epl'arum introductiōibꝫ ꝛ tabula poptima Incipit feliciter.* Deſunt ubivis initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, & paginarum numeri. In margine ſuperiori cujusvis paginæ notatur numerus ſermonis, e. g. *viij.* Charta eſt alba quidem, & polita, ſed minus firma. Litteræ ſunt gothicæ, admodum pingues. In fine ſequens legitur ſubſcriptio: *Explicit quadrageſimale triptitū Religioſi viri magiſtri Johannis gritſch de Baſilea profeſſoris ſacre theologie eximii. Impreſſum & ꝯtinuatum cū dei adiutorio ꝑ Johanne3 Wienner de Wienna. Anno ꝛc LXXVij.* Ex his verbis locum impreſſionis necdum diſcimus. Cl. Zapſius Augsburgs Buchdruckergeſchichte pag. 45. hanc editionem inter opera recenſet Auguſtæ Vindelicorum excuſa, ſuæque adſertionis teſtem adpellat *Weiſlingerum in Catalog. Chronolog. Bibliothecæ Argentin. in Commend. S. Johan.* pag. 97. Sed Weislingerus hic loci Auguſtæ impreſſum opus inde tantum coniicit, quod ibidem excuſi ſint per Johannem Wiener Alberti M. ſermones de tempore & de ſanctis, quorum ipſe meminit in *Catalogo Alphabet.* pag. 4. Mallem equidem opus Auguſtæ excuſum adfirmare propter litterarum maximam ſimilitudinem cum Zainerianis, pinguioribus ſcilicet illis, quibus anno 1471 libros Ovidii de amore Guntherus Zainer impreſſit. Attamen illud etiam animadverto, typographum noſtrum, Johannem de Wienna, anno 1476 Virgilii opera Vicentiæ in Italia nitidiſſimis typis excudiſſe. An vero anno 1477 vicentia jam diſceſſerit, mihi quidem plane incompertum eſt. Virgilii ab illo impreſſi meminit Orlandi in *Origine e progreſſi della ſtampa* pag. 174.

**XV.** *Liber moralitatum elegantiſſimus magnarum rerum naturalium Lumen anime dictus. cum ſeptem apparitoribus. nec non ſanctorū doctorū orthodoxe fidei profeſſorum. Poetarum etiam ac oratorū auctoritatibꝰ per modum pharatre* (ſic) *ſ, ordinē alphabeti collectis. feliciter incipit.* Anno 1477. in Fol.

Quæ recitavi verba, in fronte voluminis impreſſa litteris majuſculis leguntur. Hæc vero immediate excipit præfatio fratris Matthiæ Farinatoris de Vienna, ord. B. M. V. de monte Carmelo, qui librum hunc non ipſe quidem compoſuit, ſed *poſt diutinam occultationem* protraxit in lucem, in titulos & paragraphos diſtinxit, ac univerſim uſibus magis adcommodare conatus eſt; id, quod ex totius præfationis contextu colligitur. Præfationem hanc excipit tabula, ſeu index titulorum, eo ordine concinnata, quo tituli ipſi occurrunt. In averſa folii ſecundi pagina alia incipit, nimirum *Tabula prima rerum naturalium.* Hæc alphabetico eſt ordine concinnata, & terminatur in prima pagina folii 18. In averſa folii ejusdem pagina incipit *Tabula ſecunda moralitatum.* Hæc quoque alphabeti ordinem ſequitur, & ad calcem folii 47 clauditur hac ſubſcriptione: *Tabula moralitatum ſecunda ſuper Lumen anime finit feliciter.* Folio tandem 48 incipit *Prologus* ipſius auctoris, in quo teſtatur, ſe juſſu ſummi Pontificis ſummo labore & diligentia *Triginta annis minus uno* perficiendo iſti operi inſudaſſe. In fine hujus prologi hæc habet: *non gloriando dico: merui, ut ſummus pontifex Joannes hunc librum vellet lumen animæ nuncupari.* Tum immediate incipit *De Natitate Xpi. Titulꝰ I.* Litteræ fuſæ ſunt non ſculptæ, eæque rotundæ, italicis tamen minus elegantes. Videntur prorſus eædem eſſe cum litteris, quibus impreſſa ſunt opuſcula inter libros nota anni & typographi carentes Faſcicul. I. NN. XXIX. & LXXXIX. Initiales litteræ diviſionum majorum ligno inſculptæ ſunt: Titulorum vero & capitum ſunt parvæ. Signaturæ, cuſtodes, & paginarum numeri omnino deſunt. In ſuperiori margine cujusvis paginæ notatur Titulus, charactere majuſculo, e. g. *Titulus XLij.* Ubi tituli deſinunt, incipiunt capita, in quibus ordine alphabetico varia pertractantur. Sic capite primo agitur de *Abjectione*, Cap. II. de *Abbate*, Cap. III. de *Abſtinentia* &c. Capitibus præfixus eſt index eorundem alphabaticus. Ad calcem voluminis legitur ſequens notitia typis impreſſa: *Liber lumen anime dictus feliciter explicit. Qui (poſt diutinam occultationem diuina cooperāte gratia) nō ſine magnis laboribꝫ ad laudeꝫ omnipotentis dei: totiuſqꝫ triumphātis eccleſie honorem & decorem: atqꝫ in maiorem fructū ipſius militantis eccleſie piorum filiorum: ſimulqꝫ utilitatem: ſtagneis caracteribus: primum in lucem eſt productus. Annoqꝫ a natiuitate dñi Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Vltima die decembris (ſummi cū diligētia) cōpletus.* Eodem anno Antonius Sorg aliam ejusdem operis editionem Auguſtæ Vind. procuravit, quæ completa eſt *tercia menſis ſeptembris.*

*bris.* Hujus meminit, & ſubſcriptionem ejusdem a modo recitata plane diverſam recitat Cl. Zapſius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte pag. 44. Idem pag. 45. nec non Cl. Gemeiner in Nachrichten von den in der Regensburgiſchen Stadtbibliotheck befindlichen Büchern &c. pag. 43. noſtram excitarunt editionem quam uterque Auguſtæ Vindelicorum excuſam eſſe coniiciunt: nulla vero conjecturæ ſuæ adferunt argumenta. Typi, quibus impreſſa eſt operis inſcriptio tituli loco a me recitata, maximam habent cum Zainerianis, pinquioribus illis, ſimilitudinem. Hinc probabilitate non caret illa conjectura. Attamen eadem in civitate quatuor menſium ſpatio idem opus bis typis excuſum eſſe, eſt minus probabile.

XVI. Franciſci de Platea Tractatus de Reſtitutionibus, uſuris, & excommunicationibus. Venetiis anno 1477. per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen. in 4to.

Tractatui præfixus eſt index materiarum, foliis 16 comprehenſus. Folio 17 ipſe incipit tractatus nitidiſſimæ chartæ in duabus columnis charactere gothico impreſſus. Deſunt cuſtodes, paginarum numeri, & inſcriptiones. Initiales litteras parvas, & ſignaturas typographus ipſe adjecit. Ad calcem ſequens exſtat notitia: *Adeſt hic finis opis reſtitutionū ꝑutilis Reuerēdiſſimi ī Xp̄o p̄ris fratris Frācīſci de platea Bononīēſ ordinis mino4: cuiᵒ impreſſio Uenetijs extat facta ductu & impenſa Johānis Colonie agripiēſ: ac Johānis māthen de geretzhem: q̄ vna fideliter circa hoc ſe gerunt. Anno. M. cccc. Lxxvij. die xxij. Januarij.* Accedit pagina, quæ indicem continet primarum cujusvis plagulæ vocum.

XVII. Bartholi Lectura ſuper authenticis. Mediolani per Chriſtophorum Valdarfer ann. 1477. in Fol.

Ante medium primæ columnæ, primæ itidem paginæ, rubro impreſſa colore hæc verba leguntur: *Incipit lectura eximii iuris luminis: d. Bar. de ſaxoferrato ſuper autenticis.* Characteres rotundi ſunt, iique elegantiſſimi. Charta firmiſſima, alba, & ampliſſimis inſtructa marginibus. Initiales litteras parvas typographus plerumque adjecit. Signaturæ vero, cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. In fine poſt regiſtrum chartarum, ſeu primarum cujusvis plagulæ vocum ſequens exſtat notitia typis impreſſa: *Impreſſum Mediolani labori* (ſic) *& Induſtria Diligētiaq3 & Impenſa Juris Scolaris. D. Petriantonii De Caſteliano Per Magiſtrum Criſtoforum Valdarſer Alamanū Anno Dn̄i Mcccc°. Lxxvii. Die xxvii. Februarii.*

XVIII.

**XVIII.** Opus ſtatutorum ab Alberico de Roſate, Advocato Pergamenſi compoſitum. Comi impreſſ. per Baldeſarem de Foſſato anno 1477. in Fol.

Operi præmiſſus eſt index materiarum foliis impreſſis undecim comprehenſus. Impreſſum eſt in duabus columnis charactere rotundo pereleganti, Chartæ firmiſſimæ & ampliſſimis inſtructæ marginibus, adeo, ut exterior operis facies jucundum oculis ſpectaculum præbeat. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones. Ad calcem hæc tantum leguntur impreſſa: *Comi ipſſa ꝑ magiſtrū Baldeſarē dʼ foſſato Anno a Chriſti natiuitate. MCCCCLXXVII. die vero ꝗntodecio Februarii.* His ſubjectæ capitalibus litteris voces:

*DEO GRATIAS AMEN.*

**XIX.** Digeſtum vetus cum gloſſa. Venetiis per Jacobum Gallicum e Rubeorum familia. Anno 1477. in Fol. magn.

Voluminis vaſtiſſimi primum folium impreſſum deeſt. Secundum, quod textum attinet, incipit verbis illis, *aliis deuiis & incognitis ꝯſtitutis*: quoad gloſſam vero: *quod habeo, & per hoc mihi abeſt.* In averſa tertii folii impreſſi pagina *liber primus. De Juſtiti ꝛ iur̄ incipit.* Characteres ſunt gothici perelegantes, & charta omnino præſtantiſſima. Signaturas, & litteras initiales parvas typographus adjecit. Cuſtodes vero, paginarum numeri, & inſcriptiones deſunt. Inſcriptiones librorum & titulorum ſunt rubro colore impreſſæ. In fine voluminis ſeu Libri vigeſimi quarti primo quidem leguntur ſequentes verſus:

*Hoc opus exactum tenta celeberrime lector.*
*Si bene: ſi recte: charta notata manet.*
*Affuerant primo mendoſa uolumina: textus:*
*Gloſaq3: nunc toto menda notata nitent.*
*Ergo ne dubites opus hoc tibi ſumere parui.*
*Digeſtūq3 vetus: nunc tibi ſemper habe.*

Tum vero ſequens ſubſcriptio: *Confectum hoc opus ex officina Magiſtri Jacobi Galici Rubeorum familia. in urbe Uenetiarū inclyta. Olympiadibus Sereniſſimi principis. d. d. Andree Uendramini. Anno M.ccccLxxvij. vndecimas klendas* (ſic) *decembres.* Accedit folium integrum, ſingulorum librorum titulos, nec non indicem primarum cujusvis plagulæ vocum exhibens impreſſum.

**XX. Baldi de Perufio Lectura ſeu commentarius in primam partem, hoc eſt, undecim priores Libros digeſti veteris. Mediolani per Antonium Zarotti 1477. in Fol. magn.**

Singulæ paginæ vaſtiſſimi voluminis in duas columnas diſtinctæ ſunt. In prima primæ paginæ columna capitalibus litteris Romanis impreſſa leguntur ſequentia: *Domini Baldi Peruſini Super Prima ff. Veteris Lectura Feliciter Incipit.* Iisdem litteris ſunt etiam impreſſæ Rubricæ librorum & titulorum. Textus charactere quidem ſemigothico, ſed pereleganti impreſſus eſt chartæ firmiſſimæ, ac præſtantiſſimæ. Signaturas & litteras initiales parvas typographus ipſe ubivis fere adjecit. Cuſtodes vero, paginarum numeri, & inſcriptiones deſunt. In fine voluminis, hoc vero eſt, commentarii in primum titulum libri undecimi *De Interrogatoriis Actionibus* fuſior non nihil legitur ſubſcriptio, in qua vel Typographus, vel is, qui editioni præfuit, dignis laudibus & opus & auctorem mactavit. Quæ ad præſentem ſcopum ſpectant ex ea huc adſcribam: *Explicit ↄmentuȝ dñi Baldi de Peruſio ſublimi ingenio emēdatū ſr p°. ff. ueteris libro — — — — Impſſum atqȝ expletum repies die viijª menſis auguſti nobili officina magrī Antonij Ȝaroti parmenſis.* 1477. Locus impreſſionis ex his quidem verbis non intelligitur. Attamen aliunde conſtat, Antonium Zaroti inde ab an. 1470 fere usque ad an. 1500 Mediolani typographicam artem exercuiſſe. Conf. Orlandi *Origine, e Progreſſi della ſtampa* pag. 100. ſeqq. Ignota huic Bibliographo, uti aliis etiam omnibus, quod ſciam, hæc fuit præſens editio.

**XXI. Joh. Duns Scoti ſcripta ſuper 1. 2 & 3. Libros ſententiarum. Venetiis ann. 1477 & 1478. per Joh. de Colonia, & Johannem Manthen de Geretzheim. in fol. min. Tomi 3.**

Scripta in primum & tertium librum anno 1477, ſcriptum vero in librum ſecundum anno 1478 prodierunt in lucem. Cum eodem in loco, ab iisdem typographis, eodemque charactere ſcripta hæc omnia ſint excuſa, & ſpectata etiam materia inter ſe cohæreant, ſimul ea recenſere placuit. Impreſſa ſunt gothico charactere chartæ firmiſſimæ & nitiſſimæ in duabus columnis. Deſunt cuſtodes, & paginarum numeri. Signaturas vero, & litteras initiales parvas ipſe typographus adjecit, qui etiam quod ſcripta attinet in 1mum & 2dum ſententiarum libros, in ſuperiori margine quæſtionem, & diſtinctionem adnotavit. Ad calcem ſcripti ſuper primum ſententiarum ſequens legitur ſubſcriptio: *Explicit ſcriptū ſup p.ᵐſnia4. editū a frē Johañe duns: ordis frat4 mio4 doctore ſubtiliſſimo: ac oiuȝ theologorū pncipe. Per excellētiſſimū ſacre theologie doctorē mgr̄ȝ Thomā pēketh āglicū ordinis hēmita4 ſcī Aug. ī famoſiſſimo ſtudio patauino ordinarie legētē maxīa cū diligētia emēdatum. Impreſſum Uene-*

*Venetiis expẽſis & mandato Johãnis de Colonia: ſociiq3 ei' Johannis Manthen de Gherretzem Anno a natali Xp̃iano.* 1477. *die vo 26a Julij.* Scriptis in 2dum & tertium ſententiarum huic ſimilis addita eſt ſubſcriptio & quidem ſcriptum in 2dum impreſſum eſt *Anno ſalutis dñice.* 1478. 7. *idus Januarij:* ſcriptum vero in 3tium ſententiarum *Anno dñi M. cccc. Lxxvij*, ſine adjecta diei nota. Scriptis in primum & ſecundum ſententiarum accedunt in hac editione additiones & declarationes a diverſis factæ, a Thoma Penketh vero & Bartholomæo Feltrenſi ſelectæ, atque in ordinem digeſtæ, ſicque ſeorſim impreſſæ, adpendicis inſtar. Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* pag. 24. meminit tantum ſcripti in 2dum & 3tium ſententiarum. Scriptum igitur in 1mum ſententiarum ignoraſſe videtur.

**XXII.** Joh. Duns Scoti *Quotlibeta* cnm additionibus, indice Quæſtionum, & alphabetico materiarum. Venetiis per Johannem de Colonia & Johannem Manthen. 1477. in Fol. min.

Exterior hujus operis forma prorſus convenit cum auctoris ejusdem ſcripto in tertium ſententiarum, quod cum aliis N. præced. deſcripſi. In fine indicis materiarum alphabetici uberior legitur ſubſcriptio, ex qua ſequentia juvat excerpere: *Et ſic eſt finis ho4 colibeto4 a Joh'e duns — per — thomã panketh* (ſic) — *emẽdato4 — imp̃ſſa venetijs Joh'is de colonia: ſocijq3 eius Johãnis Manthen de Gherretzem. Anno. M. cccc. Lxxvij. die vo vij. mẽſis Octobris. Laus deo.* Accedit *Regiſtrum libri preſentis*, hoc vero eſt, index primarum cuiusvis plagulæ vocum. Meminit hujus editionis Orlandi loc. cit. pag. 24.

**XXIII.** Baldi de Peruſio Lectura ſuper ſextum, ſeptimum, octavum, & nonum libros Codicis. Mediolani anno 1477. in Fol. magn.

Lectura in ſextum librum a reliquis ſeparari poteſt, & ſeparata volumen efficeret ſingulare, mole volumen, quod lecturæ in tres reliquos libros efficiunt, fere adæquans. In fine nullam loci & anni notam, immo nec ſuſcriptionem ullam habet, Cum vero typis iisdem, eadem forma, eidemque chartæ, magnæ ſcilicet, & nitidiſſimæ, ſit impreſſa: vix dubito, quin anno eodem, eademque ex typographia prodierit. Porro lecturæ iſtæ in duabus columnis gothico charactere ſunt impreſſæ. Initiales litteras parvas, ſignaturas, & titulorum inſcriptiones in ſuperiori margine ipſe typographus adjecit. Cuſtodes vero, & paginarum numeri deſunt. Lectura in librum 6. in fronte primæ paginæ, primæ itidem columnæ hanc habet inſcriptionem: *Oopus* (ſic) *domini bal. d' Peruſio iuris utriuſq3 doctoris ſuper ſexto libro codicis.* Ad calcem vero voluminis ſola legitur vox: *Finis.* Accedit *Regiſtrum operis* folii ſequen-

quentis ultimi paginæ primæ impreſſum. Initio lecturæ in ſeptimum codicis plura leguntur in commendationem hujus editionis, quæ hic adſcribam: *Lectura petie noue iuris vtriuſq3 interpretis. d. Baldi de peruſio ſup ſeptimo. C. Que cum tranſcriptorum imperitia. aut veteris petie exēplari aut nulla a doctis in erroribus corrigendis Retroactis temporibus adhibita diligentia. Nedū corrupta ſed etiam diminuta extiterit. Nunc infinitiſ exemplaribus maximo ſudore ſubtiliq3 inueſtigatiōe ac ſtudio. Ita diligenter examinatam ac emendatam ſe exhibet. Ut nihil nedum diminutum ſed nec varium. aut vlla reprehenſione dignum hic impreſſum reperiri poſſit.* In fine lecturæ in librum nonum ſubſcriptio legitur ſequens: *Baldi Peruſini iuriſconſulti clariſſimi in ſeptimum. octauum. z nonum. librum Codicis. Juſtiniani lectura diligenti ſtudio ac cura emendata correctaq3 feliciter explicit. Opus quidem vtile immo neceſſarium oībus. Tam pontifici q3 ciuil' iuris profeſſoribus. Impreſſum Mli. Anno ſalutis M. cccc. Lxxvij. Regnante Illuſtriſſimo z excellētiſſimo Duce Johē Galleazio. Decio ſeptimo. kal. decēb'.* Anno abhinc, nimirum anno 1476, Baldi Lecturæ in IV. V. & VII. VI. VIII. IX. libros codicis itidem Mediolani per Chriſtophorum Valdarfer typis excuſæ ſunt. Patet inde, quanto in pretio tum quidem Baldi opera fuerint. Num anno 1477 ejusdem lecturæ in reliquos codicis libros fuerint typis impreſſæ, mihi quidem non conſtat. Silent enim, qui mihi ad manus ſunt Bibliographi etiam de lecturis in libros VI. VII. VIII. & IX. hoc anno impreſſis, & modo recenſitis.

## XXIV. Bartoli lectura in Partem ſecundam, ſeu libros XII-XXIV. Digeſti veteris. Venetiis anno 1477. per Nicol. Jenſon. in Fol.

Volumen, in duabus columnis impreſſum, incipit verbis, eodem charactere gothico nimirum, quibus ipſe textus, impreſſis: *Rica ſi certū petat de rebus creditis z de certi condictione generali.* Signaturas, & inſcriptiones titulorum, has quidem in margine ſuperiori, illas in inferiori typographus adjecit. Litteræ intiales plerumque, cuſtodes & paginarum numeri ubivis deſunt. Charta, ut Jenſoniana eſſe ſolet, eſt præſtantiſſima, ampliſſimis inſtructa marginibus. Ad calcem libri 24 ſequens exſtat notitia: *Explicit ſecūda pars dñi Bartholi de ſaxoferrato ſuper ff. vet'i optime emendata veneciis impreſſa per magiſtrū Nicolaū Jenſō gallum. anno dñi. iccccLxxvij. cetere vero lecture Bartoli erunt per eunde3 cōplete p totam quadrageſimam ꝓxime venturam. Laus deo.* Recenſionem primæ partis hujus operis vid. ad ann. 1478. N. XVII.

**XXV. Nicolai de Tudeſchis, Archiepiſc. Panorm. vulgo Abbatis ſiculi lectura ſeu commentarii in libros decretalium I. II. IV. & V. Baſileæ anno 1477, & forte ſequentibus annis impreſſ in Fol.**

Commentaria hæc in libros decretalium modo indicatos, typographus in ſeptem volumina quodammodo diſtinxit. Tot enim peculiares leguntur ſubſcriptiones. Commentaria in librum I. duobus, in librum II. tribus, in librum IV, & V. duobus, ſeparatis illis, conſtant voluminibus, quibus ſingulis, excepto volumine ſecundo libri primi, & tertio ſecundi libri figuræ ligno inciſæ, & argumento convenientes ſunt præfixæ. Volumen primi libri primum a ſecundo ſeparatur hac ſubſcriptione: *Finis pme partis*, commentariorum ſcilicet in librum primum decretalium. Ad calcem vero ſecundi voluminis hæc habentur impreſſa: *Explicit lectu.* (ſic) *famoſiſſimi vtriuſq3 iuris doctoris domini Abbatis ſiculi archyepi Panormitani ſuper primum decretaliu3 librum, que per optime emendata impreſſionem Baſilee adepta eſt. Anno natiuitatis criſti. M. CCCC. Lxxvij.* Prima pars commentariorum in II. Librum decret. terminatur *Titulo de confeſſis*, hancque habet ſubſcriptionem: *Prima pars Abbatis ſup ſcdm decretalium lib4 finit. Anno a natali Xpiāo. M. ccccLxxvij.* Secunda pars, ſeu volumen commentariorum in eundem librum, cuius ultimus titulus eſt *de Jure Jurando*, clauditur ſubſcriptione ſequenti: *Extat h' finis partis ſcd'e domini Nicolai Abbatis ſuper ſcdm decretalium. Anno natiuitatis Milleſimo quadringēteſimo ſeptuageſimo ſeptimo.* Quæ ad calcem voluminis tertii commentariorum in eundem librum ſecundum legitur ſubſcriptio, notam anni non amplius habet appoſitam, eſtque ejusmodi: *Abbatis tercia pars ſecūdi decretaliū libri Baſilee impreſſa prebet finem.* Haud igitur certo adfirmari poteſt, an pars hæc eodem anno cum præcedentibus, an vero anno primum ſequenti fuerit typis excuſa. Idem omnino dicendum de commentariis in Libros IV. & V. Nam & hi impreſſa anni nota carent. Ad calcem libri V. nihil prorſus legitur adjectum, ſed terminatur hic liber verbis interpretis: *Ad quā obedientiā Xp9 crucifixus nos pducat. Amen.* Libri IV. ſequens eſt ſubſcriptio: *Hec lectura quarti libri decretaliū tradita* (explicata nimirum) *in ciuitate Sena4 p vir̄ū inſignē & famoſum doctorem dn̄m Nicolaum Siculum finē h' prebet Et ſequit̄ eiuſdem lectura ſuper quinto.*

Omnia hæc volumina eodem charactere, gothico nimirum minus longo, nec pingui admodum, Chartæ firmiſſimæ, ſed minus albæ in duabus columnis impreſſa ſunt. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Initiales litteras parvas ipſe typograpus adjecit. Idem in ſuperiori margine paginæ primæ cujusvis folii titulum notavit, e. g. *De accu. & inquiſi.* — *De priuilegiis.*

Ex ſubſcriptionibus, quæ ad calcem trium priorum voluminum leguntur, locum impreſſionis & annum diſcimus. Attamen latet adhuc typographus. Quantum ex litteris colligo, habent hæ quidem maximam affinitatem cum litteris, quibus Bernhardus Rihel indicem alphabeticum materiarum in omnia opera S. Thomæ Aquinatis anno 1478 Baſileæ impreſſit. Videtur ergo huic typographo præſens Abbatis Panormitani opus eſſe adſcribendum.

## XXVI. *Summa* in libros decretalium I. II. & III. *Hoſtienſis* dicta. per Ludovicum Hohenwang. Pars I. anno 1477. Pars II. & III. ſine nota anni. in Fol. min.

In fronte libri primi *Incipit ſūma ſuper titulis decretaliū a dño archepo ebredineñ compilata qui & vulgatiori vocabulo hoſtienſis dicitur. additis quoq; in quibuſdam locis & aliis rubricellis.* Indici titulorum in averſa ejusdem primi folii pagina terminato ſubjecti ſunt ſequentes verſus:

*Cedite ſummarum ſcriptores cedite longe.*
*Hoſtium qui pandit ſacrati dogmate iuris*
*Hoſtienſis adeſt. en clarus & littera diues.*
*Ergo lege foelix & ære ſolare laboras.* (ſic)

Folio ſecundo *Incipit ſumma hoſtieñ ſup titulis decretalium compilata additis in aliquibus locis quibusdam aliis Rubricellis.* Ad calcem voluminis ſequens exſtat notitia. *Ex officina & ductu ludouici hohēwang h' ſūma hoſtiēñ. ſup pmo dcretaliū finita ē āno a partu vgis ſalutifero milleſimo qdrigenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo.* An duo etiam reliqui libri, & forte etiam 4tus, 5tus & 6tus, qui nobis deſunt, hoc anno fuerint excuſi, mihi quidem plane in compertum eſt. Hic autem eos recenſebo, quod ex eadem typographia eodemque circiter tempore prodierint. Libro porro tam ſecundo, quam tertio præfixæ ſunt Rubricæ, ſeu index titulorum, qui utrinque ſeparatam ſibi paginam vindicat. Libri ſecundi ſequens eſt inſcriptio in fronte folii ſecundi: *Incipit ſecūda pars ſūme hoſtieñ in librūm decretalium ſecundum qui eſt de iudiciis.* Ad calcem vero voluminis primo quidem hi verſus legunter.

*Monſtrans obſcuras iuris diſſolūe curas*
*Extricat antiquas hec noua ſumma plicas.*
*Pro ſumme ſummo ſit regi gloria ſummo.*

Tum leguntur *Verſus quibus ad nomen auctoris pulcre alluditur & littera eius diues ɔmēdatur*, ſunt nempe verſus ſupra jam recitati: *Cedite ſummarum ſcriptores* &c. Tandem ſequens legitur ſubſcriptio: *Ex officina & ductu Ludouici hohenwāg d' elchingñ h' ſūma hoſtieñ q & copioſa a iuriū copioſitate finita ē vtilitate qdē ſua nō oībꝫ a dño arch'epo ebredineñ, ɔpilata.* Libri tertii inſcriptio in fronte folii ſecundi ſequens eſt: *Incipit Liber tercius de vita & hoēſtate clericorū.* In fine vero voluminis primum quidem leguntur denuo verſus: *Cedite*

*dite ſummarum* &c. Tum vero notitia ſequens: *Ex officina & ductu Ludouici hohenwang de elhigia hec ſumma hoſtieñ. ſuper tercio decretalium que & copioſa a iurium copioſitate finita eſt. ↄſultu vero & auxiliatione clariſſimi uiri mgri Johannis piſtoris domini mei obſeruandiſſimi litteris ahenis impreſſa.* Porro litteræ gothicam habent formam, ſuntque oblongæ, & ſatis pinques, juſtam habentes magnitudinem. Deſunt ubivis cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones, atque etiam litteræ initiales, exceptis ſolum initialibus librorum quæ magnæ ſunt, ligno inciſæ.

Auctor vulgo quidem Hoſtienſis, ſeu Oſtienſis adpellatur. Unde adpellatio *Summa Hoſtienſis*. Fuit nempe primum quidem Embrodunenſis in Delphinatu Archidiaconus, poſthac Segeſtericenſis Epiſcopus, tum Embrodunenſis Archiepiſcopus, tandem R. E. Cardinalis, & *Epiſcopus Hoſtienſis*, ſeu *Oſtienſis*. A ſcriptoribus variis ſub variis nominibus excitatur, ut Henricus de Seguſio, quod ſolum ei natale fuit in principatu *Pedemontium* adpellato, Henricus de S. Bartholomæo. Floruit Sæc. XIII. ferturque obiiſſe anno 1272.

Quod præſentem attinet ejus operis editionem, nihil quidem de ea reperire potui apud Bibliographos, qui mihi ad manus ſunt. De ipſo etiam typographo, Ludouico Hochenwang de Elchingen, altum eſt apud eosdem ſilentium. Nec ego hactenus quidquam de eo reſcire potui.

## XXVII. Dominici de S. Geminiano lectura in ſecundam Partem Libri VI. Decretalium. Venetiis per Joh. de Colonia & Joh. Manthen de Geretzheim. 1477. in Fol.

Lecturam auctoris ejusdem in primam partem ſexti decretalium libri itidem Venetiis, ſed per Jacobum de Rubeis impreſſam recenſui ad annum 1476 N. XVI. Lectura præſens in ſecundam ejusdem libri partem impreſſa eſt gothico quidem charactere, ſed elegantiſſimo in duabus columnis. Charta eſt plane præſtantiſſima & ampliſſimis inſtructa marginibus. Chartarii ſignum ſunt ſagittæ geminæ, invicem in medio ſe biſecantes. Initiales litteras parvas, & ſignaturas ipſe typographus adjecit. Cuſtodes vero, numeri, & inſcriptiones paginarum deſunt. In averſa primi folii pagina legitur *Ad reuerendiſſimū in chriſto patrē & dominꝫ Dominū Jacobū zenum Preſulem Patauinum digniſſimū pro Dominici ex ſācto Geminiano inſtauratione Petri Albignani Trecii iuris ſtudētis epiſtola feliciter.* Eſt Epiſtola dedicatoria, ex qua diſcimus, laudatum præſulem Petro Albignano auctorem fuiſſe, ut operis iſtius emendationem in ſe ſuſciperet. Id magna diligentia a ſe factum eſſe Petrus teſtatur, laudatque etiam typographos, quod nullis ſumptibus nulli labori pepercerint, ut pulchre & emendate impreſſum opus prodiret in lucem. In fine

ne voluminis hæc leguntur ſubſcripta: *Finit lectura egregii doctoris dñi Dominici de ſanc. Geminia. ſup ſcd'a parte vi. li. decre. nulla calami exaratiōe ſed quadā artificioſa characterizādi ac ĩprimendi ĩuentiōe Uenetiis completa feliciter impēſis circūſpectorū virorum Johānis de Colonia & Johannis māthen de Gheretzem ſociorū xiiij. Calendas decēbres, Anno ſalutis dominice. M. cccc. Lxxvij.* His ſubjectum eſt *Regiſtrū cartarū.*

XXVIII. Aeneæ Sylvii, poſtea Pii II. R. P. Pars prima hiſtoriæ rerum ubique geſtarum. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen 1477. in Fol. min.

Exemplar noſtrum initio mutilum eſt. Incipit enim verbis *& ibi torridam incipere Zonam* &c. quæ prima ſunt paginæ ſignatæ *a* 5. Paginas enim typographus ſignavit, idemque litteras initiales parvas adjecit. Deſunt vero cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. Charta elegans eſt, elegantiores vero typi rotundi romani. In fine operis legitur: *Pii. ii. Ponti. maximi hiſtoriȩ rerum ubiq3 geſtarū prima pars finitur: & impreſſioni Venetiis dedita: per Johannem de colonia ſociumq3 eius Johannem manthen de Gherretzem anno milleſimo: cccclxxvij.* Averſa pagina folii ejusdem continet Regiſtrum chartarum. Exemplaria hujus edititionis admodum rara eſſe, nec aliud quidquam præter primam hujus operis partem excuſum eſſe teſtatur Cl. de Bure Bibliograph. Inſtructiv. N. 4353.

## ANNO 1478.

I. Joh. Duns Scoti commentarius in Librum IIdum ſententiarum. Venetiis anno 1478. per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen. in Fol. min.

Tomus iſte pars eſt editionis commentariorum Scoti in libros ſententiarum, quam ad annum 1477. N. XXI. recenſui.

II. Petri de Bergomo, Ord. Præd. Tabula, ſeu index alphabeticus materiarum, quæ in omnibus D. Thomæ Aquinatis operibus pertractantur. Baſileæ per Bernhard. Richel anno 1478. in Fol. min.

In fronte voluminis majuſculo charactere, & rubro colore impreſſa vox legitur: ·IHESVS· Huic rubro pariter colore impreſſa, ſubjecta ſunt ſequentia: *Religioſiſſimi viri fratris Petri de bergomo ordinis pdicatorum ſacre theo-*

*theologie profeſſoris eximii ſuper omnia opera diuini doctoris. Thome aquinatis feliciter incipit.* Tunc immediate ſequitur Præſatio in opus præſens, cui ſubjunctus eſt catalogus operum S. Thomæ de Aquino. Hunc excipit *nūs* (numerus) *& ordo opuſculoꝝ ſcti doctoris ſm q᷒ allegant in hac tabula.* Demum ſequuntur adprobationes doctrinæ S. Thomæ 1) Urbani Papæ. 2) Univerſitatis Pariſienſis. 3) Innocentii in ſermone de S. Thoma ſuper illud: *Ecce plus quam Salomon hic.* Atque hæc quidem tribus foliis impreſſis continentur. Folio demum quarto ipſa incipit tabula, ſeu index, gothico charactere, minus longo, nec pinqui admodum, chartæ nitidiſſimæ impreſſus. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & initiales litteræ vocum, quæ primæ ſunt in ordine alphabeti. In ſuperiori margine cujusvis paginæ indicatur prima ſyllaba vocum, quæ ibidem occurrunt, e. g. *DA*, ubi ſermo eſt de damnatione. Ad calcem voluminis ſatis ampli leguntur ſequentia: *Religioſiſſimi uiri fratris petri de Bergomo ordinis predicatoꝝ. ſacre theologie profeſſoris eximii. ſuper omnia opera diuini doctoris Thome Aquinatis tabula feliciter finit. Impreſſum finitumq; Baſilee per me Bernhardū Richel ciuem Baſilieñ. Anno ꝛc.* 1 ꝗ ʌ 8 (1478) *die veneris q̄ fuit quarta menſis decembris.* His ſubjecta ſunt typographi inſignia. Meminit hujus editionis etiam Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* pag. 166.

## III. Thomæ de Haſelbach, Theol. Doctoris, & Profeſſoris in Academia Viennenſi Sermonum Dominicalium in Epiſtolas S. Pauli Pars I. 1478. Pars II. ſeu æſtivalis, ſine loco anno & Typographo. 2. Voll. in Fol. min.

Ambæ partes, iisdem ſunt typis, eidemque chartæ impreſſæ, ut adeo nullum ſit dubium quin ex eadem typographia eodem circiter tempore prodierint. Parti utrique præfixus eſt index alphabeticus materiarum. Index vero ſecundæ partis tredecim conſtat foliis impreſſis. Uterque in averſa primi folii pagina incipit. Pars prima in fronte folii 13 hanc habet inſcriptionem: *Incipit prima pars ſermonū dominicaliū ſup epiſtolas Pauli. ꝛ ꝯſequēter p circulū anni egregii dñi doctoris mgri Thome d' haſelbach in auſtria. Et primo p̄mittitur ꝓlog⁹ in hūc mod'.* Partis vero ſecundæ in fronte folii 14 eſt ſequens inſcriptio: *Incipit ſecunda pars. ſ. eſtiualis ſermonū dñicaliu; ſuper epiſtolas Pauli Thome de Haſelbach ſacre theologie profeſſoris.* Litteræ ſunt gothicæ formæ. Initiales ſermonum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Nullum etiam occurrit ſignum diſtinctionis, niſi punctum. In ſola partium enumeratione linea occurrit oblongior, e. g. *in erumpna | in iejuniis & vigiliis | in fame* &c. Sermones plerique ſunt fuſiſſimi, fuitque auctor alias quoque nimis diffuſus, & prolixus, adeo, ut quemadmodum de eo narrat Sixtus Senenſis in Bibliothec. Sacr. Lib. IV., in academia Viennenſi per viginti & unum annos Prophetam Iſaiam publice expli-

plicans ad finem primi capitis non pervenerit. Floruit initio Sæc. XV. Sed ab auctore ad præſentem ejus operis editionem revertamur. Pars prima hanc in fine ſubſcriptionem exhibet: *Explicit prima pars ſermonū ſuper epiſtolas Pauli. ¶ Anno domini ∞. cccclxxviij. die xiij. decembris ꝛc.* Latet igitur locus impreſſionis & typographus, quem nec ex typis, nec aliis indiciis auſim determinare. Patet autem ex ſubſcriptione, partem ſecundam, ſi poſt primam jam excuſam ejus cepta eſt impreſſio, anno quidem eodem typis excudi amplius haud potuiſſe. Forte autem ſecunda ante primam prodiit. Id certum eſt, ſecundam anno 1480 jam fuiſſe excuſam. Nam unum hujus partis exemplar (exſtat enim in duplo apud nos) Hieronymus Pater-Noſter, Suevo-Halenſis, unus ex primis Academiæ noſtræ in facultate artium Profeſſor Auguſtæ Vindelicorum pretio unius floreni anno 1480 comparavit, ut ipſe manu ſua initio voluminis adſcripſit. Parti huic nulla prorſus adjecta eſt ſubſcriptio. In fine autem ſermonis ultimi auctor teſtatur, ſe ſermones iſtos *Credito* ſibi *populo* in Bertholdorf *pataviēſis dyeceſis in unum colligendo & predicando compegiſſe.*

## IV. L. Coelii, ſeu Cecilii Lactantii Firmiani opera. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen. 1478. in Fol. min.

In fronte voluminis leguntur Rubricæ ſingulorum capitum, in quæ diviſi ſunt libri ſeptem Inſtitutionum, nec non libri de Ira Dei, & opificio Dei, foliis impreſſis novem comprehenſæ. Folia duo ſequentia complectuntur *Lactantii Firmiani errata ꝑmi libri* (& ſequentium ſex librorum Inſtitutionum) *q̄bus ipſe. deceptus eſt per fratrem Antonium Raudēſem. theologum Collecta & excarata ſunt.* Ad horum calcem leguntur verſus, quos ad ann. 1476. N. XV. recitavi: *Hic male* &c. Folio demum duodecimo incipit primus liber Inſtitutionum divinarum, quem excipiunt reliqui ſuo quisque ordine libri. Ad calcem libri ſeptimi hæc verba leguntur: *L. Coelii Lactātii Firmiani ad donatū de ira dei liber ſeptimus.* Hic vero de ira Dei liber in ſequenti pagina incipit ſine ullo titulo ei præfixo, idemque clauditur ſine ulla ſubſcriptione. Librum de opificio Dei ſine ullo titulo excipit carmen de Phœnice, cui adnexi ſunt loci duo de eodem, prior quidem ex Ovid. Metamorphoſ. Lib. XV. alter vero ex Dantis Inferno Cant. XXIV. Denique ſine ullo pariter titulo, aut interſtitio ſequitur carmen Paſchale, cui ſequens adnexa eſt ſubſcriptio: *Impreſſum eſt hoc opus Venetiis impendio cpuidorum virorū Joh'is de Colonia: Joh'isqꝫ Māthen de Gheretzem ſociorum Anno ſalutis dominice. M. CCCC. LXXVIII. xxvij. Auguſti. Laus Deo.* His ſubjecta ſunt carmina, quæ ſequuntur:

*Arguit hic hominū ſectas Lactantius omnes*
*Septeno falſas codice vera docens.*
*Sive deum tangat: turbato lumine cernens*
*Ira furor, gemino pernotat inde libro.*

Et

*Et volucrum uerſu phœnix comprehenditur una:*
*Que nostro nunq̄ paſcitur alma ſolo,*
*Hinc q3 redemptoris noſtri non carmina deſunt:*
*Que poſitum e tumulo dulce canendo uocant.*
*Preſſerat hunc primo mundi caput inclyta Roma.*
*Poſt regina premit quippe colenda maris.*

Poſthæc ſeparatim quidem, ſed iisdem typis excuſum exhibetur *Neophythomon Lactantii Firmiani*, foliis impreſſis octo comprehenſum. Accedit in folio ſeparato *Regiſtrum cartarum huius libri* (operum Lactantii) *ſecundū alphabeti ordinem.* Neophythomon huic primum editioni videtur acceſſiſſe. Editio certe veneta eodem anno 1478 per Andream de Paltaſichis & Boninum de Boninis curata & die menſis Martii XII. ad finem perducta, quam Cl. Denis in Merkwürdigkeiten der garell. Bibl. pag. 71. ſeqq. deſcribit, non habet. Ceterum hæc noſtra editio romano charactere plane elegantiſſimo eſt impreſſa. Caret litteris initialibus, cuſtodibus, paginarum numeris & inſcriptionibus. Habet vero ſignaturas. Occurrunt puncta & duo puncta, nec non interrogationis ſignum. Exhibet hæc editio etiam græca, & *ſatis accurata* dicitur a Nicolao Lenglet Dufreſnoy in editione Lactantii omnium præſtantiſſima anni 1748. ubi de variis editionibus agit.

## V. Johannis Andreæ Tractatus de arboribus conſanguinitatis, affinitatis, nec non ſpiritualis cognationis. Norimbergæ per Fridericum Creuſsner. 1478. in Fol. min.

Editionem hujus opuſculi aliam, quæ nota anni caret, ſed ab eodem typographo miſſa eſt in lucem typis iisdem, recenſui Faſcicul. I. N. L. Quæ mihi nunc præ oculis eſt editio, nullum in fronte titulum habet: ſed incipit verbis præfationis *Irca* (Circa) *lecturam arboris* &c. Alterutra ex his editionibus ita eſt ad normam alterius efformata, ut non modo pagina paginæ, ſed & plerumque linea lineæ correſpondeat. Sunt tamen, quibus altera ab altera facile diſtinguuntur. Nam 1) præſens hæc editio in averſa pagina folii octavi, cujus prima pagina arborem affinitatis ligno inciſam repræſentat, exhibet impreſſum textum de arbore cognationis ſpiritualis: eadem vero pagina in editione illa ſine anno eſt vacua, & textus de cognatione ſpirituali incipit in prima pagina folii noni. 2) Arbor cognationis ſpiritualis in editione illa omnino deeſt: in præſenti autem eadem exhibetur in averſa pagina folii decimi, quod eſt ultimum. In prima folii ejusdem pagina circa finem legitur ſubſcriptio ſequens: *Finit tractatus magiſtri Johannis Andree ſuper arboribus conſanguinitatis. affinitatis nec non ſpiritualis cognationis. Anno domini millesimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octavo, Impreſſus Nurmberge per Fridericum Creuſſner* ꝛc. Deſunt hic quoque cuſtodes, ſignaturæ, litteræ

teræ initiales, paginarum numeri & inſcriptiones. Nullum etiam interpunctionis ſignum obſervavi, niſi punctum.

## VI. Jacobi Januenſis ſeu Genuenſis, Ord. Præd. Legendæ Sanctorum. Norimbergæ ann. 1478 per Anton. Koburger, in Fol.

In averſa primi folii pagina *Premittitur legēdarū tabula numero foliorum connotata*, impreſſa duabus columnis, ut ipſæ legendæ, & terminata in prima pagina folii ſecundi, cujus pagina averſa eſt vacua. Folio tertio *Incipit prologus in legendas ſacto4 quas collegit in vnu3 frater Jacobus Januenſis de ordine predicatorum.* Hic prologus in ſecunda columna folii ejusdem terminatur. In averſa pagina ipſæ incipiunt legendæ. Folia duo priora non ſunt numerata. A folio autem tertio usque ad finem voluminis prima cujusvis folii pagina numerum habet, conſtatque volumen integrum foliis numeratis ccLxxiiij. Ad calcem primæ ultimi folii paginæ, columnæ ſecundæ ſequens legitur notitia. *Anno dñi. Milleſimo q̃drіngenteſimo ſeptuageſimo octauo. ydus vo Auguſti tertio. op⁹ hyſtorie lombardice (deo opitulante) inſigne cū legendis in fine coimpreſſis terminatū. deniq3 q̃ɔ uigili cura hyſtoria ſit impreſſa oculi quibus ſe obiecerit: teſtabunt. Que & ɛpcurāte expendenteq3 Antonio koburger ciue Nurnbergñ. ſalubro* (ſic) *fine conſumata.* Litteræ gothicæ quidem ſunt. Sed perelegantes, & luculentæ. Litteræ initiales, cuſtodes & ſignaturæ deſunt. Quod opus ipſum attinet, vocatur illud etiam Hiſtoria Lombardica, eoquod vitæ Pelagii inſerta ſit Longobardorum hiſtoria. Auctor vulgo *Jacobus de voragine* dicitur, proprie tamen de Varagine, vel viragine (*Viraze*, quod oppidum in diſtrictu Genuenſi ei natale fuit) adpellandus. Præfuit primum quidem Provinciæ ordinis ſui in Longobardia, tum ordini univerſo, ut Magiſter generalis, demum anno 1292 Archiepiſcopus Genuenſis factus obiit ann. 1298. Præſens ejus opus ſæc. XV. & XVI ſæpius eſt typis excuſum, magnoque in pretio habitum. Aſt hodie quidem, ubi libris ejus generis longe melioribus, & majori judicio exaratis abundamus, paucos habebit lectores.

## VII. Summa Piſanella, ſeu Magiſtrucia. Aucta, emendata & explicata a Nicolao de Auſmo Ord. Min. Norimbergæ per Anton. Koburger ann. 1478. in Fol.

Primam hujus operis editionem Faſcic. I. inter libros nota anni carentes N. XXXVIII. recenſui; ubi etiam de auctore quædam dixi. Præſens ejusdem editio eſt gothico charactere admodum luculento in duabus columnis impreſſa, eodem nempe quo opus præcedens. Deſunt quoque initiales

litte-

litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, & præterea numeri paginarum. In fronte primæ paginæ, primæ itidem columnæ hæc verba leguntur: *In noie dñi Jhu Xp̄i Amen: Incipit liber q̄ dicitur ſupplemētum*, ſummæ ſc. Piſanellæ. Interjecto ſpatio vacuo auctoris incipit præfatiuncula, quam in eadem columna immediate excipit ipſum hoc lexicon alphabetico ordine compoſitum, & a voce *Abbas* incipiens. In fine adnexus eſt index alphabeticus vocum ſingularum, de quibus in lexico agebatur, tribus foliis impreſſis comprehenſus. Accedunt denique Canones poenitentiales, verbotenus extracti ex ſumma Aſtenſi. Ad calcem horum canonum legitur ſequens ſubſcriptio: *Anno dñi. Milleſimo quadringēteſimo ſeptuageſimo octauo. kl' vo. v. Julij. In Nurnberga oppido germanie celebratiſſimo. deo auxiliante. Opus terminatu3 inſigne. Sūma Magiſtrutia al' Piſanella vulgariter appellatū. p̄ Antoniū koburger pſati oppidi incola3 q̄ fidelit' impſſum. Finit feliciter.* Integrum volumen foliis impreſſis 323 conſtat.

## VIII. Leonhardi de Utino Ord. Præd. Sermones de Sanctis. Norimbergæ per Anton. Koburger. 1478. in Fol.

In averſa primi folii pagina exſtat tabula, ſeu index ſermonum. Atque hoc quidem folium non eſt numeratum. Folio ſecundo auctoris legitur prologus, quem in averſa pagina, columna quarta excipit *In feſto glorioſiſſimi confeſſoris ſancti Leonardi ſermo.* Caret hæc editio, litteris iisdem, quibus immediate præcedens opus impreſſa, litteris initialibus, cuſtodibus, & ſignaturis. Habet vero paginarum inſcriptiones & foliorum numeros. Circa finem columnæ tertiæ folii numerati ccx exſtat ſequens notitia: *Anno Incarnatōnis dñice Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo. Undecimo vero kl' Februarij. Hij q̊3 denuo impreſſi ſūt ſermones Nurnberge p̄ Antoniū Coburger* (ſic) *incolā pſati opidi cui⁹ op⁹ induſtria fabrifactū q̄ attente finit felicit'. Laus in diuinis enti d' hui⁹ fine эomplemēti.*

## IX. S. Hieronymi vitæ Patrum. Norimbergæ anno 1478. per Anton. Koburger. in Fol.

In fronte voluminis exſtat index alphabeticus materiarum, foliis quinque non numeratis comprehenſus, & in duabus columnis, ut ipſum opus impreſſus. Folio ſexto *Incipit ꝓlogus ſancti Hieronimi cardinalis. pſbiteri: in libros Uitaspatrum* &c. &c. Typi ſunt iidem, qui in tribus immediate præcedentibus operibus fuere adhibiti. Deſunt etiam cuſtodes, ſignaturæ, & litteræ initiales. Aſt folia inde a Prologo S. Hieronymi numeros habent, & inſcriptiones impreſſas; e. g. *Prima pars Vitaſpatrum Vita marie Egiptiace Lxiij.* Foliis impreſſis, iisque numeratis volumen hoc conſtat ccxxxviij. Circa finem columnæ tertiæ folii ultimi legitur ſubſcriptio ſequens:

Ad calcem voluminis in averſa pagina folii 185 circa finem leguntur ſequentia: *Queſtiones ſuper euangelia de tempore Johãnis de turrecremata Finiūt feliciter Impreſſeqȝ Nurm̄berge per Fridericū Creußner eiusdem ciuitatis incolā. Sub anno dn̄i.* ⅼ⅄⅄8. (1478.) Complectitur itaque hæc editio tantum quæſtiones in Evangelia de tempore. Scripſit vero idem auctor etiam Quæſtiones in Evangelia de Sanctis. Certe editionem, quæ complectitur *queſtiones evangeliorum tam de tempore quam de ſanctis domini Johannis de Turrecremata*, eamque nota anni loci & typographi carentem, vetuſtam tamen, deſcripſit *Freytag* in *Apparatu Litterario* Tom. II. pag. 1117. ſeqq. Idem recte adfirmat, paucas exſtare hujus operis editiones, ideoque id rarius etiam inveniri. Hambergerus in zuverläßigen Nachrichten Thl. 4. pag. 790 & 791 ubi Cardinalis iſtius opera ſeorſim recenſet, hujus quidem operis non meminit. Judice Freytagio prima editio eſt Romana curata per Johannem Scheurer de Bopardia *ſub anno M. CCCC. LXXVII. die Mercurii vltima Aprilis.* Roederus in Catalog. Librorum ſæc. XV. Norimb. impreſſorum excitavit auctoris ejusdem Quæſtiones Evangel. de Sanctis hoc anno Norimbergæ impreſſas. De præſenti vero opere ſilet.

## XIII. Summa Johannis Friburgenſis, Ord. Præd. Theodiſce. Auguſt. Vind. per Joh. Bämler. 1478. in Fol. min.

In fronte primæ paginæ hæc rubro colore impreſſa leguntur: *In noīe dn̄i Amē* **Hept ſich an die vorred diß büchs genāt Sūma Johānis Weſliche Sūm der wirdg vatter leßmaiſter Johānes von freyburg predier** (ſic) **ordens zů latin gemacht, vnd auß dem heyligen Decret büch gezogen hat.** Hæc verba excipit auctoris prologus in averſa pagina folii ejusdem, linea 16 terminatus. Typi ſunt germanici, oblongi, & ſatis pingues. Initiales litteras magnas, ligno inciſas, ipſe typographus adjecit. Signaturæ vero, cuſtodes, & paginarum numeri, ac inſcriptiones deſunt. Ad calcem voluminis duplex habetur ſubſcriptio, germanica nimirum & latina. Priorem recitabo integram, quia ex ea locum, annum, & typographum diſcimus: **Hie enndet ſich Sūma Johānis, die gezogen iſt auß dem heyligen Decret büch, vnnd von latein in tewtſch gemacht, durch ein hochgelertē man Brůder Berchtold prediger ordens, vnnd die hat getruckt Johannes Bämler an ſamſtag vor Johānis baptiſte. In der keyſerlichen ſtat augſburg. Anno ꝛc M. cccc. vnd in dem.** *lxxviij.* **jare.** Accedit Regiſtrum, ſeu index alphabeticus materiarum, cujus folia aliquot priora in noſtro quidem exemplari deſunt: Incipit apud nos verbis ſequentibus: **Wie ein gewonheit ein recht mache.** Editionem operis ejusdem & ab eodem typographo curatam recenſui N. IX. ad ann. 1472.

XIV.

**XIV. Vocabularius Juris utriusque, ſeu lexicon alphabeticum, in quo explicantur vocabula, atque etiam res ipſæ, de quibus in utroque jure frequentior eſt ſermo. Spiræ per Petrum Drach 1478. in Fol. min.**

Præmiſſo prologo, ſeu brevi introductione ipſum ſtatim opus incipit in prima primi folii pagina. Impreſſum eſt gothico charactere ſine cuſtodibus, litteris initialibus vocum, quæ primæ occurrunt ad quamvis literam, & paginarum numeris, ac inſcriptionibus. Signaturas vero typographus adjecit. Nullum obſervavi ſignum interpunctionis, niſi punctum. Charta firma eſt, & alba, ſed minus polita. Ad calcem voluminis, quod foliis conſtat impreſſis 230, leguntur ſequentia: *Finit feliciter opus egregium vocabularii Juris utriuſq3 impreſſum inſigni in ciuitate Spirenſi per Petrum Drach ſub āno dñice incarnatōis. M. cccc. Lxxviij. menſis ſeptēbris*, & nihil præterea. Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* pag. 186. editionem hujus vocabularii Spirenſem, typographi nomine carentem excitavit his verbis: *Vocabularium Utriuſque Juris. fol.* 1477 *ſive* 1478. Patet ex disjunctiva particula, *ſive*, non ſatis limpidum fuiſſe fontem, ex quo Orlandius hanc hauſit notitiam. Perquam igitur mihi probabile eſt, editionem ab illo indicatam a noſtra non differre. Ceterum illud certum eſt, ſæpiſſime ſæc. XV. typis exſcriptum eſſe hoc vocabularium.

**XV. Tertia pars ſummæ S. Thomæ Aquinatis cum additionibus. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen. 1478. in Fol.**

Opus iſtud in duo volumina eſt diuiſum. Primum ea continet, quæ ipſe S. Thomas ſcripſit, alterum vero ſub nomine *additionum* ea complectitur, quæ poſt S. Doctoris mortem ab aliis fuere adjecta, ut ſumma iſthæc theologica, quam ille morte præventus non potuit abſolvere, eſſet completa. Volumen utrumque gothico charactere minori pereleganti in duabus columnis chartæ plane nitidiſſimæ eſt impreſſum. Deſunt cuſtodes, & paginarum numeri. Adſunt vero litteræ initiales parvæ, ſignaturæ, & inſcriptiones paginarum. Ad calcem prioris voluminis hæc tantum leguntur: *Explicit illud quod habetur de tertia pte ſumme ſancti thome de aquino ordinis fratrum predicatoru3 qui ꝑuentus morte eam perficere non potuit. Laus Deo.* Accedit index quæſtionum, & regiſtrum chartarum, ſex foliis comprehenſa. Quæ ad calcem ſecundi voluminis legitur ſubſcriptio, hujusmodi eſt: *Expliciunt additiones tertie ptis ſūme ſancti Thome de Aquino: de ordine fratꝝ predicatorū. Impreſſe ductu & impēdio prouidorū virorū Jo. de Colonia. Jo. q3 Māthen de Gheretzem ſociorum anno ſalutis dominice. M°. cccc°. Lxxviij. pdie idus madij* (ſic)

*Laus*

*Laus Deo.* In columna quarta ejusdem folii legitur *Regiſtrū cartarū additionū.* Accedit demum index quæſtionum foliis quinque comprehenſus.

XVI. Ægydii Romani, ord. Eremit. S. Auguſtini commentaria in libros duos poſteriores Ariſtotelis. Patavii per Petrum Mauſer ann. 1478. in Fol.

Opus in duabus columnis gothico charactere minuto impreſſum incipit ſine ullo titulo ab Epiſtola auctoris *venerabili viro ex anglorum ſpectabili cpſapia oriūdo domīo Stephano de manlay* inſcripta. Deſunt cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones. Interpunctionis ſignum nullum obſervavi, niſi punctum. Signaturas, & litteras initiales parvas ſed has tantum initio voluminis tertiæ circiter ejusdem parti ipſe typographus ubique adjecit. Ad calcem commentarii in primum librum hæc tantum leguntur: *Explicit primuſ liber poſterio4. Incipit ſecundus.* Ad hujus calcem uberior legitur notitia: *Preclariſſimi phi ac ſudatiſſimi logici Egidii Romani cōmento in lib4 poſterio4 analectico4 Ariſtotelis deo ſauente maximo finis impoſitus eſt. per Joannem iacobum de puteo ſeltrenſem extraordinariam phie in florentiſſimo ginaſio patauino legentem. ꝛ Petrum de nardis de ſācto angelo ingenti diligētia emēdato. impreſa* (ſic) *ꝺo ꝛ ingenio Petri mauſer normani rothomagēſis ciuis Pataui impreſſo. Anno dei optimi M°. cccc°. Lxxviij. die xxvi°. februarii.* Subjecta ſunt duo dyſtica:

*Si quis ab inſtanti circo defendere ſeſe*
*Ægida vel cupiat pallados armigeræ:*
*Hirſuta qui pelle tegor me uendicet. & ſic*
*Romanum Ægidii nouerit ingeniuȝ.*
*Ramuſius Armini Catai S.*

Petrus Mauſſer Patavii primum ab anno 1474 — 1479, tunc Veronæ, ubi anno 1480 Joſephi Judæi Libros VII. de Bello judaico, & libros II. de antiquitate gentis judaicæ impreſſit, ut dicetur ad hunc annum, denique Venetiis typographicam artem exercuit, & hic quidem ſocium habuit Nicolaum de Contengo, quocum anno 1483 Avicennæ opus medicum edidit.

XVII. Bartholi lectura in primam partem digeſti veteris, ſeu libros ejusdem XI. priores. Per Nicol. Jenſon Venetiis 1478. in Fol.

Opus incipit ſine ullo titulo, eſtque in duabus columnis gothico charactere chartæ magnæ & ampliſſimis marginibus inſtructæ impreſſum. Deſunt cuſtodes & paginarum numeri. In ſuperiori margine titulorum rubricas, e. g. *De procuratoribus*, *De nego. ge.* Typographus notavit, qui plerumque etiam litteras initiales parvas, & ſignaturas adjecit. Ad calcem volumi-

lumi-

luminis leguntur ſequentia: *Explicit lectura eximii legum doctoris dñi Bartoli de ſaxoferrato ſuper prima parte. ff. veteris Uenetiis ĩpreſſa ꝑ Nicolaũ Jenſon gallicuꝫ anno domini. M. cccc. Lxxviij. die vero Martii* ·x· Lecturam Bartholi in ſecundam Partem digeſti veteris Nicol. Jenſon jam anno ſuperiori 1477 ediderat. Vid. ſupra ad h. a. N. XXIV. De utriusque partis editione ſilent Orlandi, Maittaire, De Bure, & alii, qui mihi ad manus ſunt, bibliographi.

## XVIII. Bartholi Lectura in primam partem Digeſti Novi. Venetiis per Nicol. Jenſon 1478. in Fol.

Exterior hujus operis forma eſt prorſus eadem cum opere immediate præcedenti. Ad calcem voluminis hæc habes impreſſa: *Explicit lectura dñi Barto. de ſaxoferrato ſup prĩa parte ff. noui optime emẽdata venetijs impreſſa per Nicolaum Jenſon gallicum. Anno dñi. M. cccc. Lxxviij.*

## XIX. Bartoli Lectura in 2dam partem infortiati. Venet. per Nicol. Jenſon 1478. in Fol.

Hujus quoque voluminis exterior forma plane eadem eſt cum duorum præcedentium forma exteriori. In fine hæc tantum leguntur impreſſa: *Lectura eximii doctoris dñi Bartoli ſup ſcd'a ꝑte ĩfortiati ꝑoptime emendata: ac ꝑ Nicolauꝫ Jenſon gallicũ Uenetijs ĩpreſſa felicit' explicit M°. cccc°. Lxxviij.* Poſtremum folium non niſi *Regiſtrum* chartarum complectitur.

## XX. Inſtitutionum Juſtiniani Imper. Libri IV. cum gloſſa. Venetiis per Jacobum Rubeum 1478. in Fol.

Textus charactere gothico admodum luculento, gloſſa minori pariter gothico, utroque vero pereleganti impreſſa ſunt. Deſunt cuſtodes & paginarum numeri. Litteras vero initiales parvas plerumqne, ſignaturas ubique typographus adjecit. Charta magna eſt, & omnino præſtantiſſima. Rubricæ, quæ vocantur, ſunt etiam rubro colore impreſſæ. Volumen integrum non niſi 86 foliis impreſſis conſtat. Ad calcem gloſſæ in librum quartum typis iisdem, quibus ipſa gloſſa, impreſſa legitur ſequens notitia: *Optimi ingenii. uir Jacobus rubei gallicus huiuſ operis inſtitutionum diligentiſſimuſ artifex extitit cui extremam impreſſiõis manũ uenetijs. die xx iulij. inclito duce Jouãne mocenigo feliciſſime impoſuit. M. cccc. Lxxviij;* & nihil præterea. Digeſtum vetus ab eodem typographo Venetiis anno 1477 impreſſum ad h. a. N. XIX. recenſui.

XXI. Joh. Duns Scotus in I. Lib. ſententiarum. Per Joh. de Annunciata de Auguſta 1478. in Fol. min.

Character eſt gothicus minor: charta alba & munda. Paginæ ſingulæ ſunt in duas columnas diviſæ. Signaturas ipſe typographus adjecit. Litteræ initiales vero, cuſtodes, & paginarum numeri ac inſcriptiones deſunt. Operi nullus præfixus eſt titulus. Sed incipit verbis, majuſculo charactere impreſſis: *Circa primum ſententiarum.* Præter punctum & duo puncta nullum obſervavi diſtinctionis ſignum. Quæ ad calcem legitur ſubſcriptio ſequentis eſt tenoris: *Johannis ſcoti ordinis minorum ſacre theologie profeſſoris precellentiſſimi, primo ſuper ſententiarum queſtiones reportationū pariſienſium a Bartholomeo bellatum feltēſem* (ſic) *ſacre pagine doctore clariſſimo. nec non regente erudito tunc temporis conuent⁹ bononie. Emendate cum diligentia finiunt feliciter. Nec non operate caratherizateq3 ſublimi litterarum effigie ductu ꝛ impēſis uiri circumſpecti domini Johannis de Annunciata de Auguſta. Laus deo ꝑararoſeq3 uirgini Marie. nec non toti curie celeſti triumphanti. Anno ſalutis dōinice. M. cccc. Lxxviij. Menſis aprilis ſexta feria.* Typographo nomen fuit Jannes Scriber, isque artem typographicam Bononiæ exercuit. Conf. Orlandi *Origine e Progreſſi della ſtampa* &c. pag. 111.

XXII. Angeli de Arretio, alias de Gambilonibus, Iuris conſulti, commentarius in Libros IV. Inſtitutionum. Romæ per Georgium Lauer de Herbipoli 1478. 2 Voll. in Fol. magn.

Duo hæc vaſtæ molis volumina gothico charactere oblongo, minus pingui, chartæ magnæ, & præſtantiſſimæ in duabus columnis impreſſa ſunt. Deſunt in Utroque volumine ubivis cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones: quin ſæpe etiam litteræ initiales, quas parvas adhibuit typographus, ubi adſunt. Primum volumen commentaria complectitur in libros Inſtitutionum tres priores. Ad hujus calcem ſequens legitur ſubſcriptio: *Famoſiſſimi legum doctoris dñi Angeli de aretio lecture ſuper inſtitut pars prima Rome per uenerabilem mgrm Georgium laur de Herbipoli. ſub anno dñi Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo. die uero Jouis penultia menſis Julii. Pontificatus ſanctiſſimi in chriſto pris & dñi nri dñi Sixti diuina prouidentia pape quarti Anno eius ſeptimo finit foeliciter.* In averſa pagina eſt Regiſtrum chartarum. Volumen ſecundum mole primum fere adæquat. In fine hujus voluminis ſeu potius commentarii in librum quartum Inſtitutionum uberior legitur notitia de hoc opere, & præſenti ejus editione, quæ eſt omnium prima. Recitabo integram: *Cupide legum iuuentuti. Inhumanum fore non immerito iuuenes arbitrabimini inter tot uaria4 diſciplina4 uaria iuris clariſſimorumq3 virorum toto orbe impreſſa uolumin. hunc pretermiſſum. Cum inter ſcribentes practica plurimum valuiſſe conſtet. Et non modo in progreſſu ac*

*ordi-*

*ordine legendi inter modernos aptum. ac facilem. Referendo uerum. decidendo equum ſe exhibet. Uerum ad diffuſum iuris corpus. ſparſaſq3 doctorum lecturas. breue quoddam effecit compendiū quod qui familiare ſibi fecerit. inter doctiſſimos cōputandum audebo. Eo ſi utantur tabelliones. procuratores. aduocati. & iudices. practicos doctos. magiſq3 cautos reddet. Et qui ad prima iuris elementa aſpirant. nō pa3 proficient. Igitur ſumma ope alacri ſtudio eum accipite. Et quod prioribus impreſſoribus imputandum fuit. Georgio laur de Herbipoli gratias agite. Cuius induſtria ſiue artificio impreſſum extitit. Ualete. Rome ſub anno domini Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo. Die uero ſecunda menſis Decembris Pontificatu ſanctiſſimi in chriſto patris & dn̄i noſtri domini Sixti diuina prouidentia pape quarti. Anno eiuſ octauo. Sub correctione eximii iuris pontifici* (ſic) *doctoris dn̄i Dominici Jacobatii de Faceſchis de Urbe. Finis.* In averſa pagina folii, in quo modo recitata leguntur, incipit index alphabeticus materiarum amborum voluminum, qui folia novem & dimidium implet. Accedit demum *Regiſtrum* chartarum *huius libri.* Deeſt hoc regiſtrum in exemplari, quod deſcripſit Cl. Audifredi in Catalogo Roman. Edition. Sæc. XV. pag. 231. De hujus operis typographo illud adnotare juvat, ejus nomen diverſimode ſcribi, ſc. *Laur*, *Lauer*, & *Laver.*

## XXIII. Biblia latina Norimbergæ per Antonium Koburger anno 1478. in Fol.

Editio ſplendida litteris gothicis majoribus eleganter impreſſa. Deſunt ſignaturæ, cuſtodes, & litteræ initiales. Pagina quævis in duas columnas diviſa eſt, & prima quidem folii cujusvis pagina in margine ſuperiori titulum habet, ſeu inſcriptionem, qua caret pagina averſa. Folia ſingula inde ab Epiſtola S. Hieronymi, quæ operi præfixa eſt, ad finem usque Apocalypſeos numeris romanis notata ſunt. Foliis porro numeratis hoc volumen conſtat CCCCLXI. His præmiſſum eſt folium non numeratum, cujus prima pagina vacua eſt, averſa autem catalogum exhibet librorum ſacræ ſcripturæ cum rubro: *Locus libro4 numerus dinoſcitur ordo.* In fine Apocalypſeos accedunt etiam ſex folia non numerata, quæ Epiſtolam Menandri, & Canones Evangeliſtarum continent. Ut adeo opus integrum foliis conſtet impreſſis 468. Liber Geneſis terminatur fol. XXII. pag. 1. col. 2. lin. 14. Liber Job. fol. CCX. pag. 1. col. 1. linea 7. Evangelium Matthæi fol. CCCLXXIX. pag. 1. col. 1. lin. 49. Habet hæc etiam editio libros Eſdræ quatuor. In margine Evangeliſtarum adpoſiti ſunt canones Euſebiani. Signa diſtinctionum alia non occurrunt, quam punctum & colon. Littera i loco puncti accentum acutum habet. Abbreviaturæ frequentes quidem ſunt, facile tamen dignoſcendæ. Papyrus alba admodum, & nitida eſt. Typi elegantes, non nihil pinguiores ſunt. Chartarii ſignum aliud non obſervavi, quam roſam, diverſæ magnitudinis, ſex foliis conſtantem. Ad finem Apocalypſeos hæc leguntur impreſſa:

*Anno incarnatõnis dñce. Milleſimo qua-
dringenteſimo ſeptuageſimo octauo. Mai
ṽ kl' octauo decimo. Qz inſigne veteris no-
uiqꝫ teſtamenti opus. Cum canonibꝰ euãge-
liſtarumqꝫ concordantiis. In laudeꝫ & glo
riam ſancte ac indiuidue trinitatis. Inte
merate virginisqꝫ marie impſſum. In oppi
do Nurnbergñ. per Antonium Coburger pre
fati oppidi incolam induſtria cui' q̃ diligẽ-
tiſſime fabrefactum. finit feliciter.*

Exſtant apud nos duo horum Bibliorum exemplaria, quorum uni poſt Epiſtolam ad Menandrum adjectæ ſunt hebraicorum nominum interpretationes foliis triginta novem comprehenſæ. Duas exiſtere diverſas cum ejusdem anni nota editiones a Koburgero Norimbergæ adornatas, & ex his unam quidem *Mai vo kl' octavo decimo*, ut noſtra ambo exemplaria, excuſam, alteram vero *Novembr. Idus quarto*, duumviri Clariſſimi Panzerus in der Geſchichte der Nürnbergiſchen Bibelausgaben pag. 51. not. 1) & poſt eum Maſchius in Biblioth. ſacra Part. II. Vol. III. Cap. II. Sect. I. pag. 113. aſſeruerunt. Editionem hanc poſteriorem (*Novembr. Idus quarto* excuſam) a priori diſtingui adfirmat Cl. Maſchius per prima verba folii XXVII. quæ ſic ſe habent:

*quicquid in egypto curruuꝫ fuit: & duces to
cius exercitꝰ. Induravitqꝫ dñs cor Phara
onis*

Eadem in editione (*Mai Kl' octauo decimo*) ſic ſunt impreſſa:

*quicquid in egypto currum fuit: & duces
tocius exercitꝰ. Indurauitqꝫ dñs cor phara
onis*

Verum exemplar noſtrum utrumque excuſum eſt *Mai kl' octauo decimo*; & tamen unum, quod interpretationes hebraicorum nominum in fine adjectas habet, verba modo recitata priori modo expreſſa exhibet. Præter hanc nullam inter ambo exemplaria noſtra differentiam obſervavi, diligenti utriusque facta collatione.

## XXIV. Repertorium in Speculum Judiciale Guilielmi Duranti. Paduæ per Joh. Magnum de Seligenſtat. 1478. in Fol. magn.

Recenſetur hoc Repertorium ad annum 1479. N. VIII. una cum ipſo ſpeculo, quod idem Typographus hoc primum anno complevit. Maittaire Tom. I. pag. 394. hoc repertorium deſignare videtur, ubi ait: *Repertorium iuris. per Jo. Silgenſtat.* 1478. Patet vero non ſatis limpidum fuiſſe fontem, ex quo hanc hauſit notitiam.

AN-

# ANNO 1479.

## I. Conſtitutiones Clementis V. cum apparatu Joh. Andreæ. Accedunt Extravagantes ſine Gloſſa. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen ann. 1479. in Fol. magn.

In averſa primi folii pagina *Ad Sereniſſimum: ac inclytū Uenetiarum Principem Dominum Johannem Mocenicum: in nouam Clementina4 inſtaurationem Petri albignani prefatio feliciter*, ſc. incipit, quæ vox ex errore typographi omiſſa eſt. Folium ſecundum in noſtro exemplari deeſt. Textus Clementinarum gothico quidem charactere paulo majori, ſed luculento admodum & pereleganti in duabus columnis chartæ magnæ, & præſtantiſſimæ eſt impreſſus. Gloſſa charactere minori impreſſa quatuor margines occupat. Initiales litteræ in textu deſunt: in gloſſa vero parvas typographus adjecit, qui etiam folia ſignavit. Cuſtodes, & paginarum numeri, earundemque inſcriptiones deſunt. Rubricæ, quæ vocantur, ſunt etiam rubro colore impreſſæ. Præter punctum etiam duo puncta occurrunt. In fine Gloſſæ ſequens legitur notitia, litteris iisdem quibus Gloſſa, impreſſa: *Opus clementinaru3 impendio Johannis de colonia Johanniſq3 mathen de Gheretzem ſociorum Uenetits impreſſum feliciter explicit: vna cum apparatu domini Jo. Andree: per excellentiſſimum iuris vtriuſq3 doctorem dominum Petrum albignanū trecium accuratiſſima diligentia emendatum. vij. idus Junij M. cccc. Lxxix.* Averſa pagina folii in quo hæc leguntur, vacua eſt. In ſequenti vero folio ſeorſim litteris iisdem, quibus textus conſtitutionum, in duabus columnis impreſſæ *Incipiunt decretales extravagantes que emanarunt poſt ſextum.* Atque hæ quidem foliis impreſſis undecim ſunt comprehenſæ. In fine accedit *Regiſtrum chartarum clementinarum.* De editione hac nihil habent Maittaire & Orlandi, Cl. Gemeiner in Nachrichten von den in der Regensburger Stadtbibliotheck befindlichen Büchern &c. pag. 29. tredecim enumerat hujus operis editiones, quas inter tamen noſtra non reperitur.

## II. Concordia diſcordantium Canonum, ſeu decretnm Gratiani cum Gloſſa. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen. 1479. in Fol. magn.

Typi, charta, & alia omnia, quæ ad externam ſpectant formam, eadem ſunt in hoc opere, quæ in præcedenti. In averſa primi folii pagina *Ad celeberrimos iuriſconſultos: ſuoſq3 municipes Brixianos in nouā Decreto4 impſſionē. Petri Albignani Trecii Præfatio feliciter*, ſc. incipit. Ad calcem tertiæ partis Decreti, diſtinctionis V. litteris iisdem, quibus textus, impreſſa legitur ſequens notitia: *Impendio: ac liberalitate Johānis Colonie agrippineñ. Johāniſq3 Manthen Gheretzem: ex illuſtri ac populoſa germania originem ducētium:*

*tium: diuinus decretorum codex impreſſus Uenetiis: accuratiſſime iterato emendat⁹ p egregiu3 ac clariſſimū iuris utriuſq3 ↄſultū dn̄m Petrum Albignanū Treciū Uenetijs Sixto. iiij. ſūmo Pon. anno. viij. Imperatore Federico.* (ſic) *iij. Johāne mocenigo incluto Uenetoꝝ p̄ncipe. iij. nonas Januarias. Anno ſalutis dn̄ice M. cccc. Lxxix. Laus deo.* In averſa pagina folii ejusdem, cujus prima recitatam modo ſubſcriptionem continet, leguntur duæ Epiſtolæ, & prior quidem Bartholomæi Pitei ad Petrum Albignanum, qua ille hunc hortatur, ut textum pro editione hac emendaret: altera vero Petri Albignani reſponſoria, qua illius deſiderio pro viribus ſe ſatis facere ſtuduiſſe teſtatur. Folium ſequens non niſi *Regiſtrum* continet chartarum. Accedit tandem, ſeptem conſtans foliis impreſſis, Decreti ſummarium, ad cujus calcem majuſculo charactere leguntur ſequentia: *Floſculi ſeu ſūmarii totius decreti finis.* Hujus editionis, quæ typorum elegantia, chartæ præſtantia, & correctione textus præ aliis fere omnibus Sæc. XV. editionibus operis ejusdem ſe imprimis commendat, non meminere Orlandi & Hamberger. Meminit vero ejus Maittaire Tom. I. pag. 403. Extat etiam in Bibliotheca commendæ Ord. Melit. Argentorati, ut videre eſt apud Weislinger in *Armamentario Cathol.* pag. 123. ubi tamen præter ſubſcriptionem, eamque non ſatis adcurate exſcriptam, nihil de ea habet amplius.

## III. S. Auguſtini Libri XXII. de Civitate Dei cum commentariis Thomæ Valois & Nicolai Triveth, Ord. Præd. Baſileæ anno 1479 per Michaelem Wenſsler. in Fol. magn.

Textus S. Auguſtini gothico Charactere majori ſatis luculento in duabus columnis chartæ firmiſſimæ ſeorſim impreſſus eſt. Finito textu ſequuntur commentaria typis longe minoribus gothicis impreſſa. Initio voluminis legitur *Sentētia beati auguſtini epiſcopi ex libro retractatōnum ip̄ius de libris d' ciuitate dei.* Hanc excipiunt capitula, ſeu tituli potius capitum ſingulorum primi libri, qui quidem in averſa folii ejusdem pagina, columna prima, linea 18. terminantur. Folio ſecundo *Aurelii auguſtini ipponenſis ep̄i doctoris eximii de ciuitate dei ↄtra paganos liber p̄mus incipit.* Libris ſingulis præfixa ſunt capitula, ſeu tituli eorumdem, qui initio capitum non repetuntur. Deſunt in hac editione ubivis litteræ initiales, ſignaturæ, cuſtodes, paginarum numeri, earundemque inſcriptiones. Ad calcem textus libri 22 rubro colore impreſſa hæc tantum leguntur:

*Textus ſancti Auguſtini de ciuitate dei Ba*
*ſilee impreſſus Explicit feliciter. Anno Lxxix.*

His ſubjecta typographi inſignia. Averſa pagina hujus folii eſt vacua. In fronte autem folii ſequentis *Sacre pagine ↄfeſſoꝝ ordinis p̄dicatoru3 Thome valois & nicolai triueth ī libros beati auguſtini de ciuitate dei comentaria feliciter inchoant.* In fine autem indicis materiarum alphabetici, qui comentariis

imme-

immediate adnexus eſt, uberior legitur notitia rubro colore, & iisdem litteris, quibus textus S. Auguſtini, impreſſa:

*Igit aurelii auguſtini ciuitatis orthodoxe ſideris pſulgidi dc ciuitate dei opus precla riſſimum. binis ſacre pagine cpfeſſoribus exi miis id cõmentantibuſ. rubricis tabulaq3 diſ cretum pcelſa in vrbe Baſilieñ. partium ale manie. quam nõ ſolum aeris clementia & fer tilitas agri veru3 etiã impmentiũ ſubtilitas reddit ſamatiſſimã. ad laudẽ trinitatis indi uidue ciuitatis dei pſidis. ingenio & iduſtria Mihahelis Wenſʒler, Anno ſalutis noſtre poſt M. et. cccc. Lxxix. viij. kl. aprilis opero ſe eſt conſummatum.*

His quoque ſubjecta ſunt denuo typographi inſignia, rubro expreſſa colore.

## IV. Canonis Avicennæ Libri V. Paduæ anno 1479. in Fol. magn.

Opus iſtud in duabus columnis gothico charactere firmiſſimæ chartæ eleganter impreſſum eſt. Libri ſinguli præfixos habent indices, excepto quinto, cui index eſt ſubjunctus. Ad calcem trium priorum librorum notatur annus (idem omnibus communis 1479.) dies & locus impreſſionis. Primus liber eſt *impreſſus - patauij. Anno Chriſti optimi. M. ccccLxxix. xiiij. klãs ſeptembris.* Liber ſecundus — *vi. kalendas Septembris.* Liber tertius — *vi. kalendas nouembris.* Libri quartus & quintus carent anni, diei, & loci nota. Libro autem quinto annexus eſt libellus Avicennæ de viribus cordis, qui eſt *Impreſſus Patauij Anno Chriſti optimi. M° ccccLxxix. octauo idus nouẽbris.* Hunc libellum index excipit in librum quintum. Deſunt in hac editione cuſtodes, & paginarum numeri, earundemque inſcriptiones. Orlandi, Maittaire, Hamberger, & de Bure, qui plures recenſent hujus operis editiones, modo recenſitæ non meminerunt.

## V. Alberti Magni Libri XXVI. de Animalibus. Mantuæ per Paulum Johan. de Butſchbach. 1479. in Fol. magn.

Præmiſſa eſt tabula, ſeu index ſingulorum cujusvis ordine libri capitum, foliis quatuor comprehenſus. Folio quinto *Incipit liber Alberti magni animalium primus ꝙ eſt de cõmuni diuerſitate aialium* &c. Singulæ paginæ ſunt in duas columnas diſtinctæ. Character eſt gothicus juſtæ magnitudinis perelegans. Deſunt initiales litteræ, (plerumque) cuſtodes, paginarum numeri. Signaturas typographus adjecit. Charta eſt plane firmiſſima, alba, & munda, ampliſſimos habens margines. Ad calcem voluminis ſatis ampli legun-

gentur ſequentia: *Finit feliciter opus Alberti magni philoſophi de animalibus: & impreſſum Mantue per Paulum Johānis de Butſchbach alamanum Maguntinenſ dioceſ ſub anno dñi Milleſimo quadringenteſſimo* (ſic) *ſeptuageſimo nono. die uero duodecima Januarij: regnante ibidē feliciſſime illuſtriſſimo domino Dño Friderico d' Gonzagā Marchione tercio.* Meminit hujus editionis præter alios De Bure n. 1686. ubi eam vocat rariſſimam, & n. 1685. romanam ejusdem operis editionem ann. 1477, ut omnium primam, deſcribit, noſtramque adfirmat eſſe ſecundam.

## VI. Digeſtum novum cum Gloſſa. Paduæ per Petrum Mauſer. 1479. in Fol. magn.

Primum voluminis folium impreſſum deeſt in noſtro exemplari, ſecundum incipit verbis textus *mutat⁹ Hoc āt edictū nō omnia* &c. Litteræ, quibus impreſſus eſt textus, ſunt gothicæ perelegantes, majores, & luculentæ admodum. Minores, nec minus elegantes, ſunt litteræ, quibus impreſſa eſt gloſſa in extremis quatuor marginibus. Litteræ initiales plerumque deſunt, ubivis autem cuſtodes, & paginarum numeri, earundemque inſcriptiones. In fine voluminis vaſtiſſimi notititia ſequens impreſſa legitur: *Opus digeſti noui preclariſſimū ſolerti cura emendatū: generoſi ac inſignis iuris ciuilis doctoris domini Zacharie de Zacharotis patauini impenſa: nec nō magiſtri petri mauſer gallici diuina arte impſſū padue feliciter explicit. M. cccc. Lxxviiij.* Folio ſequenti ultimo exhibetur *Regiſtrum digeſti noui.*

## VII. Joh. Gritſch, ord. min. Quadrageſimale Norimbergæ per Anton. Koburger 1479. in Fol. magn.

Præmiſſus eſt index alphabeticus materiarum, foliis 17 comprehenſus, & in duabus columnis, ut ipſum opus, impreſſus. Folio 18. *Quadrageſimale fratris Joh'is Gritſch ordinis frat4 mino4 doctoris eximij. per totū tpis anni ſpatiū deſeruiēs cū thematum euāgelio4 & epl'a4 introductōnibꝫ & tabula poptima. Incipit feliciter.* Caret initialibus litteris, cuſtodibus, ſignaturis, paginarum numeris. Typi gothici ſunt majores, perelegantes, & luculenti. In fine voluminis paulo longior legitur ſubſcriptio, quam tamen recitabo integram: *Collegit īgenio Quadrageſimale fr̄ clariſſim⁹ ordinis. s. frācīſci mgr̄ Joh'es Gritſth* (ſic) *de Baſilea ↄfeſſor ſacre theologie eximi⁹ mľtis ex ſacre theoſis codicibꝫ nucleū quē ī hoc volumīe tanq̄ ī ag4 euāgelice diſcipline ↄſeuit apis uti ſagaciſſima exqſitos de flo4 varijs generibꝫ ſuaues ī alueolū ſucos ↄgerit. deniqꝫ q̄ vigili cura hoc vtile admodū q̄drageſimale īpreſſū ſit oculi q̄bꝫ ſe obiecerit: teſtabūt̄. Qd̄ & ↄcurāte expendēteqꝫ Authonio koburger ciue oppidi Nurnbergñ. ſalubri fine ↄſumatuꝫ. ꝛc. M cccc Lxxix. Martii vo kľ tertio; Laus deo;*

VIII.

VIII. Guilielmi Duranti ſpeculum Judiciale cum Repertorio in idem & additionibus Johannis Andreæ & Baldi. Paduæ per Joh. Magnum de Seligenſtadt 1479. Voll. 4. in Fol. magn.

Volumina diſtinquuntur præfixa unicuivis, excepto primo, tabula materiarum, ſubjuncta vero peculiari ſubſcriptione, & regiſtro chartarum. Porro Volumen primum non niſi repertorium alphabeticum, id vero ſatis amplum, eſt præſentis operis. Ad calcem hujus voluminis legitur ſubſcriptio ſequens: *Actū Pataui ĵ h° opus inclytū longeq3 expolitu3 ex officina magiſtri Joannis ſilgenſtat vndecimas calendas decembris M.* cccc. *Lxxviij. imperante illuſtriſſimo uenetiaru3 duce dño Joãne mu3enigo.* His in eadem columna immediate ſubjuncta eſt *Franciſci de monelia in reptoriū a ſe caſtigatū epla'.* De Repertorio, utpote jam anno 1478 impreſſo, quædam dixi ad h. a. N. XXV. Quæ ad calcem primæ, ſecundæ, ac tertiæ partis, quæ poſterior cum parte quarta uno eſt volumine comprehenſa, leguntur ſubſcriptiones, eæ quidem locum, & typographum manifeſtant, annum vero impreſſionis non indicant. Subſcriptio autem parti hujus operis quartæ, eique ultimæ adjecta multo uberior eſt. En illam: *Hic eſt finis quarte & ultime partis ſpeculi domini Guilhelmi duranti una cū additōibus Joannis andree: & dñi baldi ſuis locis integerrime collocatis & diſtributis. S3 hoc unū ſcias ēptor: hāc ultimā ſpeculi formā omſ alias añcedere utilitate & cōmoditate habebis eteni3 libros emēdatiſſimos poſtmodum lřis adeo expolitos: ut magiſter Joannes magn⁹ ex alemania de ſilligēſtad ſua ac iclyta arte imortaleſ laudes adept⁹ fuerit quātūq3 ſint p̄ ceteris digniores legēdo diiudicare poteris. Expletū pataui ĵ p̄die nonas maias. M.* cccc*Lxxxix,* Ceterum hæc editio gothico charactere pereleganti in duabus columnis chartæ firmiſſimæ, ſed minus albæ impreſſa eſt. Litteræ initiales deſunt plerumque, cuſtodes vero & paginarum numeri ac inſcriptiones ubivis. Nullam hujus editionis reperi mentionem apud Bibliographos, qui mihi ad manus ſunt. Johannes magnus de Siligenſtat, vel, ut rectius ſcribitur in ſubſcriptione partis tertiæ, de Seligenſtat idem fuit cum Johanne Herbort. conf. N. II. ad ann. 1480.

IX. Friderici Petrucii vulgo Friderici de Senis Conſilia cum ejusdem Tractatu de Permutatione Beneficiorum. Romæ per Georgium Laur anno 1479. in Fol.

Opus iſtud gothico charactere pereleganti in duabus columnis chartæ præſtantiſſimæ, & latiſſimos margines habenti impreſſum eſt. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & earundem inſcriptiones. In fronte voluminis legitur *Hec eſt tabula ſuper diſputationibus queſtionibus & Conſiliis domini Frederici de Senis per titulos decretalium. Et primo de conſtitutionibus. Rubrica.* Implet hæc tabula folia quinque. Folio ſexto opus

ipſum

ipſum incipit abſque titulo eidem præfixo. In averſa pagina folii 148, columna prima, linea 35 conſilia terminantur. In eadem columna legitur ſubſcriptio ſequens: *Conſilia eximii decreto4 doctoriſ domini Frederici de Senis impreſſa Rome per uenerabilem uirum magiſtrum Georiu3* (ſic) *laur de herbipoli. Sub anno domiui. MCCCLXXIX. die vero Martis nona menſis nouembris. Pontificatus ſanctiſſimi in xpo pris & dni noſtri dni Sixti diuina prouidentia pape quarti Anno eius nono. Finiunt feliciter.* In ſecunda ejusdem paginæ columna *Incipit tractatus Frederici de Senis ſuper permutatione beneficiorum directus domino Lapo de Podioboniti qui dictum tractatu3 additionauit ut ſequitur.* Terminatur autem hic tractatus in prima columna folii 154. Columna ejusdem ſecunda exſtat tabula ad quæſtiones in hoc tractatu reſolutas facilius inveniendas. In averſa pagina, columna ſecunda ejusdem folii noua legitur ſubſcriptio, ex qua diſcimus, impreſſioni hujus tractatus finem eſſe impoſitum *die - martis. xvi. menſis Nouembris.* Accedit demum Regiſtrum chartarum in prima folii 154 pagina impreſſum. De auctore ſcitu neceſſaria habet Freytag in *Apparat. Litterar.* Tom. I. pag. 650. Floruit Sæc. XIV. & Baldi Magiſter fuiſſe traditur. Vid. Merkwürdigkeiten der königl. Bibliotheck in Dreßden N. 443. De præſenti editione nihil habent qui mihi ad manus ſunt, Bibliographi, fuitque ipſi P. Audifredio in Catalogo Romanarum Editionum Sæc. XV. edito Romæ anno 1783. in 4. maj. incognita. Idem vero ad ann. 1472 excitavit aliam ejusdem operis editionem.

**X. Euſebii Pamphili Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Libri Novem ex Rufini interpretatione. Accedunt decimus, & undecimus ab ipſo Rufino conſcripti. Mantuæ per Joh. Schallum an. 1479. in Fol. min.**

In averſa primi folii pagina *Illuſtriſſimo & Inuictiſſimo Mantuanorum Principi Frederico Gonzage Johannes Schallus Heroſſeldenſis phyſicus obſequentiſſimus*, ſc. ſalutem dicit, & præſens opus dedicat. Epiſtola hæc dedicatoria data eſt Mantuæ die XV. Julii 1479. & terminatur in averſa folii ſecundi pagina, linea 25, Folio tertio *Incipiunt Capitula primi libri hyſtorie eccleſiaſtice*, & ceterorum ordine librorum, ſex foliis impreſſis comprehenſa. Folio nono *Incipit prologus Rufini preſbiteri in hyſtoriam eccleſiaſticam ad Cromatium epiſcopum*, quem excipiunt capitula primi libri. Folio demum decimo *Incipit liber primus hyſtorie eccleſiaſtice.* Impreſſum eſt hoc opus charactere rotundo pereleganti, & chartæ præſtantiſſimæ. Caret ſignaturis, & paginarum numeris, ac inſcriptionibus. Habet vero litteras initiales parvas, & cuſtodes. Ad calcem libri undecimi leguntur ſequentes verſus:

*Tranſtulit Auſonias iſtud Rufinus ad aures*
*Euſebii clarum cæſarienſis opus.*
*Schallus Joannes celebri Germanicus arte*
*Ære premit. Mantus principe Foederico.*

Quom

*Quom datus eſt finis. referebat Julius annos*
*Mille quater centum ſeptuaginta nouem.*
*Hunc eme qui docti nomen. qui limen Olimpi*
*Quæris. habet præſens munus utrūq3 liber.*
*Hinc Cæleſte bonum: ſanctoſq3 docebere mores*
*Et prodeſſe magis lectio nulla poteſt.*

## XI. Virgilii opera cum commentariis Servii Mauri Honorati. Vincentiæ per Leonhardum de Baſilea anno 1479. in Fol. min.

Initio voluminis exſtat *Maronis Vita*, quæ folia tria priora, & quarti primam paginam implet. In averſa folii ejusdem pagina *Seruii Mauri Honorati Grammatici In Bucolica Maronis cōmentariorum Liaer* (ſic) ſc. incipit, ſequitur autem non niſi præfatio in Bucolica, quæ terminatur in prima ſequentis folii pagina linea 14. In eadem pagina Johannis Calphurnii ad Hieronymum Portenſem dedicatoria legitur epiſtola, in qua teſtatur, ſe ope duorum miræ vetuſtatis exemplarium ex hiſce Servii commentariis aliena multa, quæ ab aliis fuerant inepte iisdem adjecta, expunxiſſe, operamque dediſſe, ut opus prodiret quam emendatiſſimum. Epiſtolæ huic ad calcem ejusdem paginæ adjecta eſt ſequens notitia: *Hoc opus exactiſſimā cura & eruditione Joannis Calphurnii uiri doctiſſimi recognitu3 Leonardus de Baſilea Vincentiæ diligentiſſime impreſſit Anno a natiuitate domini noſtri Jeſu Chriſti. M. CCCC. Lxxix.* Averſa hujus folii pagina eſt vacua. Folio ſexto demum incipiunt Bucolica rotundo charactere pereleganti impreſſa. Eodem impreſſa ſunt commentaria, quæ textum in tribus extremis marginibus ambiunt. Bucolica excipiunt Georgicorum libri quatuor: tum ſequuntur Aeneidos libri duodecim. Accedunt, ſed ſine commentariis, liber Æneidos decimus tertius, a ſcriptore quodam Italo Sæc. XV. Matthæo Vegio, ut fertur, compoſitus, varia variorum in Virgilium carmina, Virgilii ipſius carmina plura alia, ſed dubia, ut culex, ciris, Moretum &c. &c. Atque hæ quidem acceſſiones foliis impreſſis quadraginta ſunt comprehenſæ. In fine his quidem nihil legitur adjectum. Folii 41 prima pagina exhibetur *Tabula librorū qui in hoc uolumine continētur*. Deſunt in hac editione cuſtodes, & paginarum numeri: Litteræ etiam initiales librorum, aliorumque longiorum carminum. Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* &c. pag. 174. nullum novit librum a typographo noſtro, Leonhardo Baſileenſi ante annum 1482 impreſſum. Hambergerus quoque, de Bure, Harwood, & alii omnes, quos conſului, Bibliographi noſtram editionem ignorarunt præter Maittairium, qui Tom. I. pag. 402 noſtram editionem deſignare videtur: *Virgilius Servii.* Fol. *Vincentiæ* 1479. Quare libris eam rarioribus eſſe accenſendam nullus dubito.

XII. Auguſtini Triumphi, vulgo de Anchonâ, Ord. Eremit. S. Auguſtini ſumma de Eccleſiaſtica poteſtate. Impreſſ. Romæ in domo Franciſci de Cinquinis ann. 1479. in 4to.

Opus præſens nitidiſſimæ, & ſubtiliſſimæ Chartæ gothico charactere minutiſſimo in duabus columnis impreſſum eſt. Deſunt litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta. Initio voluminis legitur *Prolog⁹ epl'aris in ſummā de eccleſiaſtica poteſtate: catholici doctoris: fratris Auguſtini de Ancona*, inſcriptus Ambroſio de Cora, Romano, Ord. Eremit. S. Auguſt. Priori generali. Prologus autem iſte non eſt auctoris, ſed editoris, nimirum Pauli Lulmei, ord. E. S. A. Prioris conventus S. Mariæ de urbe, in quo quidem de operis præſtantia, nec non aliis ejusdem auctoris ſcriptis diſſeritur. Hunc Prologum ipſius auctoris ad Papam Johannem XXII. dedicatio excipit. Ad calcem operis, quod terminatur in averſa pagina folii 317, columna ſecunda, legitur ſubſcriptio ſequens: *Explicit ſumma de Eccleſiaſtica poteſtate edita a fratre Auguſtino de Ancona Ordis fratrū heremitaꝝ ſctī Auguſtini impſſa Rome ī domo Nobilis viri Frācīſci de Cinquinis apud ſanctam Mariam de populo. Anno domini MCCCCLXXVIIII°. Die XX. Decembris.* Accedit tabula Rubricarum, ſeu quæſtionum foliis impreſſis novem comprehenſa, & denique Regiſtrum chartarum. Operis hujus primam editionem recenſui ad ann. 1473 N. III. Opus ipſum ob materiam eſt rarioribus libris accenſendum.

XIII. Roberti Caraccioli de Licio Ord. min. Sermones de timore Judiciorum Dei. Norimbergæ 1479 per Frid. Creuſsner in Fol. min.

Initio voluminis legitur *Epiſtola venerabilis clariſſimiq3 in ſac̄ theologia magiſtri fratris Roberti Caraçoli de Licio ordis minoꝝ: ad Reuerēdiſſimū & Illuſtriſſimū dn̄m dn̄m Johannē de Aragonia: Sereniſſimi dn̄i nr̄i dn̄i Ferdinādi Regis Sicile ꝛc. filiū & locūtenētē gnālē. Aplce ſedis cpthonōriū: in q̄ ſua docilitas cōmēdat.* Atque hæc quidem epiſtola primum folium integrum ſibi vindicat. Folio ſecundo auctoris Prologus, & opus ipſum incipit, quod gothico charactere oblongo chartæ albæ & mundæ ſine litteris initialibus, ſignaturis, cuſtodibus, paginarum numeris & inſcriptionibus impreſſum eſt foliis 116. Complectitur ſermones, vel tractatus 21, & in fine hanc habet ſubſcriptionem: *Sermones Clariſſimi in ſacra theologia Magiſtri Fratris Roberti Caraçoli de Litio ordinis minorum de timore iudiciorum dei. Impreſſi in ciuitate Imperiali Nurm̄bergeñ. ꝑ Fridericum Creuſſner. Anno domini Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono. Laus deo clementiſſimo.*

XIV.

XIV. Phyſicorum Ariſtotelis libri octo. Auguſtæ per Ambroſium Keller 1479. in Fol. min.

Litteris impreſſum eſt iſtud opus admodum pinguibus, quæ maximam habent ſimilitudinem cum litteris Gunteri Zainer. Quare, ſi nomen deeſſet typographi, nec aliunde conſtaret, Zainerum jam ante annum 1479 eſſe defunctum, facile quis in errorem poſſet induci, ut Zainero præſentem editionem attribueret. Plura alia Ariſtotelis opera eodem anno ab Ambroſio Keller typis excuſa ſtatim recenſebo. Porro typographus iſte in præſenti quidem opere charta uſus eſt pereleganti, & litteris librorum initialibus magnis non inepte ligno inciſis. Initiales minorum ſectionum parvas adhibuit, interdum penitus omiſit, quemadmodum deſunt ubivis cuſtodes, ſignaturæ, & paginarum numeri. In fine voluminis legitur ſubſcriptio ſequens: *Explicit liber octauus & vltimus phiſicorum Areſtotilis* (ſic) *Impreſſus per Ambroſim* (ſic) *keller in rege* (ſic) *ciuitate Auguſta. Anno dñi Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono feria ſecunda ante feſtum ſancti Martini. Dequo fine ſit laus & gloria omnipotenti deo ꝛc.*

XV. Plura Ariſtotelis & ſuper ejuſdem libros opera conjunctim impreſſa 1) Iſagoge Porphirii in cathegorias Ariſtotelis. 2) Ariſtotelis Cathegoriæ. 3) Ejuſdem libri duo Perihermeniarum 4) Gilberti Porretani liber de ſex Principiis. 5) Liber diviſionum Boethii. 6) Ariſtotelis libri duo priorum analyticorum. Auguſtæ per Ambroſ. Keller 1479. in Fol. min.

Exterior forma eſt prorſus eadem cum forma exteriori operis immediate præcedentis. In fine legitur ſubſcriptio ſequens: *Explicit liber priorum analeticorum* (ſic) *Areſtotilis* (ſic) *qui eſt de reſolutione ſilogiſmorum ī principia ſua feliciter. De cuius fine ſit laus & gloria Chriſto intemerateq3 virgini ac matri ei9 Impreſſus per Ambroſium Keller in regia ciuitate Auguſta. Sub anno domini Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono proxima die poſt feſtum Exaltationis ſancte Crucis.*

XVI. Elenchorum Ariſtotelis libri duo, & ejuſdem topicorum Libri VIII. Auguſtæ per Ambroſ. Keller 1479. in Fol min.

Forma exterior eadem eſt cum duobus præcedentibus. Subſcriptio, quæ in fine legitur, ejuſmodi eſt: *Finit liber octauus & vltimus Thopicorum analeticorū areſtotilis. Impreſſus per Ambroſiū keller in regia ciuitate Auguſta*

 *Anno*

*Anno ab incarnatione dñi Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono. In die Vrſule ỽginis. Pro q̊ fine ſit laus xpō.*

**XVII. Duo libri poſteriorum Ariſtotelis. Auguſtæ per Ambroſ. Keller 1479. in Fol. min.**

Hujus quoque operis exterior forma plane eadem eſt cum exteriori forma trium immediate præcedentium. In fine hæc habes ſubſcripta: *Finit liber poſteriorum analeticorum ſecund⁹ Areſtotilis. & ex conſequenti tot⁹ Impreſſus per Ambroſium keller in regia ciuitate Anguſtā. Anno dñi ꝛc. in Lxxix. in die ſancti ſimpti.* Præter hæc Ariſtotelis opera ab Ambroſio Keller anno 1479. impreſſa Cl. Zapfius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte ad h. a. N. XVII. excitat etiam *Iſagogen Porphyrii in Cathegoremata. Auguſte per Ambroſ. Keller* 1479. *Fol.* Exſtare adfirmat editionem hanc in Bibliotheca Charthuſianorum Buxheimenſi. Nihil vero de ea habet amplius.

**XVIII. Joh. Baptiſtæ de Sacchi, vulgo Platinæ, Vitæ Pontificum Romanorum. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen. 1479. in Fol.**

Hæc omnium prima eſt hujus operis editio. Quæ enim a nonnullis hac antiquiores ſunt excitatæ, de iis quidem minime certæ, immo ne ſatis probabiles quidem habentur notitiæ. Conf. Cl. Denis Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliotheck pag. 77. ubi de editione hac & ipſo auctore operis plura habet ſcitu jucunda. Adfirmat, illam eſſe rariſſimam, licet non ſola ſit incaſtrata. Quod externam ejus formam attinet, dici ea merito poteſt elegantiſſima. Nam charactere impreſſa eſt rotundo nitidiſſimo, & chartæ præſtantiſſimæ. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta, quæ ſtellularum, ſeu crucis formam habent. Deſunt paginarum numeri, earundem inſcriptiones, & cuſtodes. Adſunt vero ſignaturæ, & initio voluminis etiam litteræ initiales parvæ, quæ inde a Calixto I. usque ad finem voluminis deſunt. In averſa primi folii, quod primum eſt quinternionis *a*, pagina *hIeronymus ſquarzafic⁹ alexandrin⁹ doctiſſimo uiro Platinę. S. P. d.* Huic epiſtolæ in eadem pagina ſubjectum eſt *Regiſtrum chartarum.* Verum hæc deſunt in altero exemplari, quod exſtat in Bibliotheca hujate academica. Nec id caſu, ſed conſilio factum eſſe videtur. Adeſt quippe folium primum quinternionis primi in exemplari etiam poſteriori, ſed eſt vacuum. Folio ſecundo incipit *Proemium Platynæ In Vitas Pontificum Ad Sixtum. IIII. Pontificem Maximum.* Tertio demum folio ipſum opus incipit. Quæ ad calcem voluminis legitur ſubſcriptio, ſequentis eſt tenoris: *Excellētiſſimi hiſtorici Platinę ĩ uitas ſūmoꝝ ꝑōtificū ad Sixtuꝫ iiij. pōtificē maximū ꝑclarū op⁹ ſoelicit' expſicit: accurate caſtigatū*

*ſtigatū ac ipēſa Johānis de Colonia agripinēſi ei⁹q3 ſocij Johānis mathen de gheretz. iij. id⁹ Juuij* (ſic) *ipreſſu3 anno ſalutis chriſtianę. M.* cccc. *Lxxix. Laus deo.*

XIX. Juſtini Hiſtoriæ ex Trogo Pompeio excerptæ, & in compendium redactæ. Venet. per Philippum Condam Petri. 1479. in Fol.

Primam hujus operis editionem recenſui ad ann. 1470. N. III. Inter illam, & præſentem plures interceſſerunt, recenſitæ a Cl. de Bure inde a N. 4330 — 4334. Quæ nunc mihi præ oculis eſt, rotundo charactere pereleganti, ſed chartæ minus firmæ albæ tamen, ac nitidæ eſt impreſſa. Deſunt cuſtodes, & paginarum numeri, earundemque inſcriptiones, ſignaturas vero & litteras initiales parvas typographus adjecit. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta, quæ ſtellulæ, ſeu crucis formant habent. In fronte operis capitalibus litteris impreſſa hæc verba leguntur: *Juſtini Hiſtorici Clariſſimi In Trogi Pompeii Hiſtorias Exordium.* Finito hoc Exordio, ſeu Præfatione in fine ejusdem paginæ legitur capitalibus litteris impreſſus libri primi titulus: *Juſtini Hiſtorici In Pompeii Trogi Hiſtorias Liber I.* Tituli libris reliquis præfixi ſunt ſuccinctiores, e. g. Juſtini Hiſtorici Liber XVI. Quæ in fine voluminis legitur ſubſcriptio, ejusmodi eſt: *Juſtini opere finis cum magna diligentia. Impreſſum per Philippum condam petri in ueneciis ducante Johanne mozenico inclito duce. M.* cccc. *Lxxviiii. die xii decembris.* His in eadem pagina ſubjectum eſt *Regiſtrum*, ſc. chartarum.

XX. Jacobi Forlivienſis Expoſitiones in primum canonis Avicennæ. Ejusdem qnæſtiones in eundem, nec non Avicena de Urinis interprete Antonio Cermiſoni. Venetiis ann. 1479. in Fol. magn.

Paginæ ſingulæ ſunt in duas columnas diviſæ. In fronte primæ columnæ majuſculis impreſſa characteribus hæc verba leguntur: *Jacobi. Forliuienſis. In. Primum. Canonis. Auicene. Expoſitiones. Incipiunt*, Impreſſæ characteribus gothicis chartæ magnæ, ampliſſimis inſtructæ marginibus, eidemque præſtantiſſimæ. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, paginarum numeri, earundemque inſcriptiones. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta. Signaturas ipſe typographus adjecit. Singulis, quas tituli loco recitavi, lucubrationibus peculiaris ſubnexa eſt ſubſcriptio. Et quidem primæ: *Jacobi Forliuiē. i pmū canōis A. expōes expliciūt.* Secundæ: *Et hic eſt finis queſtionū que reperiunt᷑ diſputate ab egregio ac famoſiſſimo artium & medicine doctore magiſtro Jacobo de Forliuio ſup primo Canone Auic. Deo Gratias.* Tertiæ: *Impreſſum venetiis ſub año dñi* Mccccl xxix. *die xxi*ª *decēbris. Regnātibus in Chriſto Jeſu.*

*Jeſu. Sixto pontifici* (ſic) *maximo diuina prouidentia papa* 4°. *Nec non & Joanne Mozenigo dei gratia venetoruȝ pncipi* (ſic) *Illuſtriſſimo ac ſereniſſimo. Ad laudem illius excelſi qui ſolus regnat trinus & vnus in ſecula. Am̄.*

XXI. S. Hieronymi Epiſtolæ, & alia opuſcula. Tomus II. Romæ per Georgium Laur. 1479. in Fol. maj.

Recenſui hunc tomum una cum Tomo I. ad Annum 1476. N. XIX.

## ANNO 1480.

I. Nicolai de Tudeſchis, vulgo Abbatis ſiculi, Lecturæ 1) in Primum librum Decretalium. 2) Pars ſecunda lecturæ in ſecundum librum Decretalium. 3) Lectura in librum tertium Decretalium. Romæ per Georgium Laur. 1480. in Fol.

Impreſſum eſt hoc opus in duabus columnis gothico charactere oblongo, eoque minus pingui chartæ firmæ & albæ. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, ſignaturis, & paginarum numeris: habet vero paginarum inſcriptiones, e. g. *De appellationibus*, *De preſumpt.* Ad calcem lecturæ in primum librum typographus ſequentem adjecit notitiam: *Famoſiſſimi vtriusqȝ iuris doctoris dn̄i Abbatis Siculi ſup primo libro decretaliū lectura fideliſſime emēdata. Impreſſa Rome p venerabilē uirū Magiſtruȝ Georium* (ſic) *Laur de Herbipoli. Sub Anno dn̄i. M. CCCC. LXXX. die uero ſabbati quīta mēſis februarii. Pontificatus ſanctiſſimi in xp̄o pr̄is & dn̄i Sixti diuina prouidentia pape quarti. Anno eius Nono. Finit feliciter.* Huic ſubſcriptioni fere ad verbum conſonant ſubſcriptiones, quæ leguntur ad calcem Partis ſecundæ ſecundi Decretalium & tertii. Sola enim fere die ab hac differunt. Et quidem pars ſecunda ſecundi finita eſt: *Die vero Idus decima tercio Menſis Julii.* Pars autem tertia: *Die vero Jouis vltima Menſis Auguſti — Sixti — Anno eius decimo.* Prodierunt anno eodem ex eadem Typographia auctoris ejusdem 1) Lecturæ in ſecundum Lib. Decret. Pars prima. 2) Lectura ſuper IV. & V. Decretal. Conf. de his P. Audiffredi in Catalogo Romanarum Editionum Sæc. XV. ad annum 1480.

II. Petri Brixienſis Repertorium utriusque Juris. Patavii per Joh. Herbort de Seligenſtadt 1480. in Fol. mag. 2. Voll.

Initio voluminis *Incipit ſolemne Repertorium vtriuſqȝ Juris Reuerendi patris domini Petri Ep̄i Brixienſis.* Tum immediate ſequitur auctoris Prologus, in duabus columnis, ut ipſum Repertorium gothico charactere admodum luculento, & eleganti chartæ firmiſſimæ impreſſus & terminatus in prima

ma tertii folii columna. In columna ejusdem folii ſecunda ipſum incipit Repertorium ordine alphabetico concinnatum. Volumen primum voces complectitur incipientes a litteris A - K. Ad calcem adjecta eſt tabula chartarum, & nihil præterea. Volumen ſecundum voces complectitur a reliquis alphabeti litteris incipientes. In fine leguntur ſequentia: *Expletū eſt Repertorium reuerendi patris & dñi Petri epī Brixieñ. ipreſſum Patauii per honorabilē virum Joannem Herbort de Silgenſtat ac emendatum ꝑ excellentiſſimū legū doctorem dñm Comitem de Aluarotis in iure ciuili publice in florentiſſimo gīnaſio Patauino legentem. Anno dñi.* M. cccc. Lxxx. *die xvi. Novembris.* His ſubjecta duo Dyſtica:

*Debebunt Herbort grandis tibi iura Joannes.*
*Pontificum ingenio iuraqʒ ſacra tuo.*
*Impreſſum tibi opus genuit quem Brixia Petri.*
*Preſulis. hoc reperit queqʒ reperta docet.*

In averſa pagina legitur Regiſtrum chartarum. Deſunt in hac editione paginarum numeri, & inſcriptiones, cuſtodes, & litteræ initiales vocum, quæ primæ occurrunt ad quamvis litteram. Norimbergenſen ejusdem operis editionem ad ann. 1476. N. XI. recenſui.

III. *Liber pandectaruʒ medicine: omnia medicine ſimplicia cōtinēs: quē ex oībus antiquoꝝ libris aggregauit eximius artiū & medicine doctor Mattheus ſiluaticus ad ſereniſſimum Sicilie regem Robertum.* Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen 1480. in Fol.

Quæ tituli loco recitaui verba, leguntur in fronte primæ columnæ folii ſecundi. Poſt hæc autem immediate opus ipſum incipit, ordine alphabetico concinnatum, & in duabus columnis gothico charactere minuto admodum chartæ albæ, & mundæ impreſſum. Folii primi averſa pagina Mathæi Moreti ad Franciſcum de Gonzaga Cardinalem Mantuanum Epiſtolam continet, in qua teſtatur, ſe opus iſtud ſumma diligentia emendaſſe, curaſſeque, ut in lucem publicam prodiret. Epiſtola hæc præfixa eſt etiam editioni, quam ad annum 1474 N. VI. recenſui. Quod præſentem attinet editionem, caret ea litteris initialibus, cuſtodibus & paginarum numeris, ac inſcriptionibus. Habet vero ſignaturas. In fine hujus lexici ſequens legitur ſubſcriptio: *Op⁹ pandectarū medicine emēdatū ꝑ eximiuʒ miū* (ſic) *artiū & medicīe doctorē dñʒ & magiſtrū Matheū moretū brixanū:* (ſic) *Bononie ī medicīa & aſtronomia legētē: Uenetiis īpēdio Johānis Colonie agrippinēſiſ Johāniſqʒ mäthen gheretzen ſocioꝝ ſūma cū diligētia īpreſſū feliciter finit āno ſalutis chriſtiane.* M. cccc. Lxxx. *ſexto idus octobris. Laus Deo.* Accedit *Tabula Capitulorum*, & Regiſtrum chartarum, quæ tribus foliis impreſſis continentur.

IV.

IV. S. Thomæ Aquin. Summa contra gentiles. Venetiis per Nicol. Jenſon. 1480. in Fol.

Præmiſſa eſt tabula capitulorum omnium quatuor librorum, quæ in averſa primi folii pagina incipit, & in averſa itidem pagina folii quarti, columna ſecunda terminatur. Folio quinto *Incipit liber primus de veritate catholice fidei ĩ errores gentiliũ: editus a venerabili fratre Thoma de Aq̃no dͤ ordine frm̃ p̄dicato4 doctore egregio.* Editio hæc eſt gothico charactere minuto in duabus columnis impreſſa. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, & paginarum numeris: habet ſignaturas & paginarum inſcriptiones. Ad calcem libri quarti hæc habes ſubſcripta: *Diuinum opus errores in omnes gentilium atq3 hereticorum: chriſtianam fidem ſuis argumentis impugnantium: Diui Thome acquinatis ordinis predicatorum. Petrus Cantianus venetus: theologus patauinus: eiuſdem profeſſionis religioſus emẽdauit: caſtigauitq3. Impreſſum uero dedit. vir preſtantiſſimus Nicolaus Jenſon gallicus: florente. Rẽ. prin. Uenetorum. Joanne Mocenigo duce. Anno ſalutis.* MccccLxxx. *ydibus Junijs.* In prima folii ſequentis pagina exſtat dedicatoria Petri Albi ſancti Cantiani Veneti, qui huic editioni præfuit, epiſtola ad Petrum Frigerium Archiepiſcopum Corcyrenſem, Ord. Præd. Et nihil præterea.

V. Euſebii Pamphili de Præparatione Evangelica libri quatuordecim Georgio Trapezuntio interprete. Tarviſii 1480 per Michaelem Manzolinum. in Fol. min.

In fronte operis charactere capitali legitur: *Hieronimus Boninius Tarviſanus.* His ſine ullo alio titulo ſubjecti ſunt ſequentes verſus:

*Errores hominum uetuſtiorum*
*Sacris Euſebius libris refellit*
*Ignoti latebras: ſinuſque ueri*
*Diuino docet ore prædicatque*
*Poſſint quo fieri modo beati*
*Sũmo dehinc homines bono potiti*
*Ergo philoſophum ſequamur omnis*
*Communi ſtudio ſcholæ probandũ.*

Tum ſtatim ſequitur in eadem pagina index ſingulorum cujusvis libri capitum, qui in averſa folii ſecundi pagina terminatur. In fronte folii tertii incipit (capitalibus litteris) *Ad Sanctiſſimum Papam Nicolaum Q. Georgii Trapezuntii In Traductionem Euſebii Præfatio;* quæ in averſa folii ejusdem pagina, linea 5 terminatur. Tum immediate incipit *Euſebius Pamphili De Evangelica Præparatione A Georgio Trapezuntio Traductus.* Deſunt in hac editione cuſtodes & paginarum numeri: habet vero eadem paginarum Inſcriptiones, ſignaturas, & litteras initiales parvas, excepta prima cujusque libri, quæ deeſt. Præter punctum, & interrogationis ſignum occurrunt etiam duo puncta,

punƈta, nec non diphtongus *ae*. Charta eſt firmiſſima, alba. & munda: Litteræ rotundæ ſunt, & perelegantes. Ad calcem operis legitur epiſtola Hieronymi Boninii ad Albertum Vonicum Juriſconſultum Tarviſianum, ex qua diſcimus, Gregorii Trapezuntii verſionem ſecundum exemplar, quod in Bibliotheca ejusdem Alberti delituerat, fuiſſe impreſſam. Finita epiſtola legitur *Eiusdem Hieronymi Carmen*.

*Euſebius graio tantum ſermone loquebar*
*Nec poteram latiis utilis eſſe uiris.*
*Cura Trapezunti non eſt perpeſſa georgi*
*Ignotum tanti muneris eſſe bonum.*
*Interpres latias ſolers aduexit in oras*
*Et docuit lingua liberiore loqui.*
*Errores igitur quiſquis cognoſcere priſcos*
*Inſtruƈtus uera religione cupis.*
*Me lege diuinas Romana uoce docentem*
*Hiſtorias: grates ſoluere utrique memor.*

His denique ſubjeƈta eſt notitia ſequens: *Euſebii Pamphilii* (ſic) *de euangelica præparatione opus a doƈtiſſimo utriuſque linguæ interprete georgio Trapezuntio e græco in latinum uerſum Michael manzolinus parmenſis exaƈtiſſima impreſſit diligentia Taruiſii Anno humanitatis Chriſti.* M. ccccLxxx. *pridie Idus Januarias.*

## VI. Johannis de Aſt, Ord. min. Sæc. XIV. Summa de caſibus conſcientiæ vulgo ſumma Aſtexana, per Bartholomæum Bellatum, Ord. min emendata, & Venetiis ſumptibus Nicolai de Francfordia per Leonhardum Wild Ratisbonenſem impreſſa ann. 1480. in Fol.

In fronte voluminis Bartholomæi Bellati ad Marcum Barbum Tit. S. Marci de Urbe Presbyterum Cardinalem dedicatoria legitur epiſtola, in qua plura ad laudem præſentis operis, & auƈtoris diſſeruntur. Adfirmat quoque Bartholomæus noſter, opus iſtud inemendatum & corruptum incuria impreſſorum ſe deprehendiſſe, ideoque ejus emendandi conſilium cepiſſe, curaſſeque, ut per Johannem de Colonia, & Johannem Manthen omni ſtudio, cura, & diligentia denuo imprimeretur. Deſignatur his abs dubio editio Veneta anni 1478, cujus meminit Freytag in *Apparat. Liter*. Tom. I. pag. 579. Hujus editionis præſens, quæ mihi præ oculis eſt, editio non niſi repetitio eſſe videtur. Eſt vero hæc editio gothico charaƈtere minuto chartæ nitidiſſimæ in duabus columnis impreſſa. Caret litteris initialibus, cuſtodibus, & paginarum numeris. Habet vero ſignaturas & paginarum inſcriptiones. Præter punƈtum occurrunt etiam duo punƈta. Libris ſingulis præmiſſi ſunt tituli capitum. Poſſet totum opus commode in duo volumina dividi quorum prius quatuor priores, poſterius quatuor poſteriores libros comple-

ſteretur. Videntur typographi eum in finem finito libro quarto folium reliquiſſe vacuum, & primum libri quinti folium litteris *aa* ſignaſſe. Ad finem libri octaui ſeu potius tituli quadrageſimi hujus libri hæc tantum verba leguntur: *Finis ad dei laudem & virginis Marie.* Quod ſupereſt ſpatium columnæ, in qua hæc verba leguntur, eſt vacuum. Folio ſequenti incipit *De ſignificatiōbus verborū. ti.* 41? Et hic quidem titulus vocabula explicata ordine alphabetico diſpoſita exhibet. Finito hoc titulo ſequitur Tabula, in qua *breuiter oſtēditur de quibus titulis decretalium & vbi in precedenti ſumma tractatur: & primo primi libri.* Hanc excipit *ordinatio titulorū decretalium & librorum legaliū ſm ordinem alphabeti.* Denique ſequitur index alphabeticus generalis materiarum, cui adjecta eſt uberior de hac editione notitia. En integram: *Sūme ꝯfeſſionis operi nobiliſſimo & huic facultati operam dātibus pernecesſario: quā frater Aſteſanus de Aſt ordinis minorū doctor ſolēnis edidit: maxima cura & ſollicitudine famoſiſſimi ſacre theologie magiſtri fratr | Bartholomæi de Bellat| de feltro circa iuriſ cotationes: nec non fratr | Gometij hiſpani de vlyxbona ꝯuintie portugalie ſacre theologie bacchalarij clariſſimi in ꝯuentu uenetiarum circa reſiduum totius voluminis ambo eiuſdem religionis minorum emendate. Rurſusq3 per viros alios ſolenniſſimos: ac in facultate iſta approbatiſſimos q3 diligentiſſime examinate: ſumptibus & iuſſu Nicolai de francfordia Uenetijs finis imprimendo impoſitus eſt per Leonardū Wild de Ratiſbona.* 1480. *die* 28 *Aprilis.* Poſtremi folii prima pagina *Regiſtrum cartarum toti⁹ ſūme* continet.

**VII. Dionyſii Halicarnaſſenſis Romanarum Antiquitatum Libri XI. ſecundum latinam Lappi Biragi Florentini interpretationem. Tarviſii per Bernhardinum Celerium Delvere. Anno 1480. in Fol.**

Præmiſſa eſt interpretis Epiſtola dedicatoria *Clementiſſimo: Ac Sanctiſſimo Paulo Secuudo D. Domino Noſtro Papae* inſcripta, quæ terminatur in prima ſecundi folii pagina, linea 21. Folio tertio *Dionyſii Halicarnaſei* (ſic) *Originum Sive Antiquitatum Romanarum. Liber primus* incipit. Characteres rotundi ſunt, & perelegantes, charta firma & nitida. Deſunt ſignaturæ, paginarum numeri & Inſcriptiones. Litteras initiales librorum typographus plerumque adjecit & ſæpe etiam cuſtodes. Præter punctum & interrogationis ſignum occurrunt etiam duo puncta. Libris ſecundo, quarto, & decimo præfixa ſunt eorum argumenta: deſunt vero eadem initio reliquorum librorum. In fine voluminis capitalibus litteris impreſſa leguntur ſequentia:

*Lappus Biragus Flor. Impreſſum Tarviſii Per Bernardinum Celerium Delvere. Anno Chr. Nati. M. CCCC. LXXX. Biſſexto Kl. Martias Joanne Mocenigo Venetorum Duce Inclyto.* Scatet hæc editio mendis typographicis. Auide tamen, teſtibus Cl. de Bure & Harwood, ejus exemplaria requiruntur.

tur, eoquod omnium hujus operis editionum prima ſit. Quod mihi præ oculis eſt exemplar, idem eſſe videtur, ex quo, tanquam norma, Henricus Loritus Glareanus Baſileæ novam ejusdem operis editionem anno 1532 faciendam curavit. Quæ enim in margine hujus exemplaris manuſcriptæ leguntur correctiones & mutationes, eodem prorſus modo ſe habent in hac poſteriori editione. Qua vero occaſione in Bibliothecam noſtram ex Glareani Bibliotheca venerit, facile eſt explicatu. Eſt nempe exemplar noſtrum ex libris Bibliothecæ Johannis Ægolphi a Knöringen, Epiſcopi Auguſtani, quæ tota Academiæ noſtræ donata eſt. Conf. *Annales Academ. Ingolſtad.* edit. Medereri Part. II. pag. 18. ſeqq. Porro, ut ibidem pag. 19. legitur, Ægolphus a Knöringen Henrici Glareani Bibliothecam ab eodem adhuc vivente coemerat.

## VIII. S. Thomæ Aquinatis Commentaria in Libros Phyſicorum Ariſtotelis. Anno 1480. in Fol. min.

Commentaria hæc gothico charactere in duabus columnis chartæ albæ & nitidæ, ſed minus firmæ ſunt impreſſa. Habet hæc editio ſignaturas, & paginarum inſcriptiones. Caret vero cuſtodibus, initialibus litteris, & paginarum numeris. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta. In fronte primæ paginæ, primæ itidem columnæ rubro colore impreſſa leguntur ſequentia: *Cōmētū Angelici ac ſubtiliſſimi doctoriſ ſancti Thome de aq̄no alm̄i p̄dicato4 ordis in libros phico4 Ar̄c. Lec. p̄ma.* In fine vero voluminis habetur ſequens notitia: *Explicit comentu3 ſuper libros phiſicorum editū ab eruditiſſimo ac ſubtiliſſimo ſacre theologie magiſtro ac diuo thoma de aq̄no ſacri p̄dicatorum ordinis. Anno incarnationis.* 1.4.80. Accedit in prima ſequentis folii pagina *Regiſtrum*, ſc. chartarum.

## IX. S. Thomæ Aquinatis Commentaria in Libros Metaphyſices Ariſtotelis. Papiæ per Franciſcum de Girardenſis ann. 1480. in Fol. min.

Opus gothico charactere, eoque minutiſſimo chartæ ſubtiliſſimæ in duabus columnis impreſſum eſt. Caret litteris initialibus, cuſtodibus, paginarum numeris. Habet vero ſignaturas, & paginarum inſcriptiones. In fronte primæ columnæ folii primi tituli loco hæc verba leguntur: *Subtiliſſimi doctoris ſancti Thome de Aquino clariſſima interpretatio in methaphiſicam Ariſtotelis:* in fine autem voluminis notitia ſequens: *Explicit ſubtiliſſima interpretatio metaphiſice Ariſtotelis ſecundum ſanctum Thomā de Aquino ordinis predicatoru3 totius fontem phice ac theologice ueritatis attentiſſime correctum & impreſſum Papie per magiſtrum franciſcum de girardenghis Anno domini:* M. cccc. Lxxx. *die xv. Octobris.*

**X. Summæ S. Thomæ Aquin. ſecunda ſecundæ. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen. 1480. in Fol. min.**

Præmiſſa *Tabula queſtion3 ſecūdi libri ſecūde partis beati Thome d' aquino*, foliis ſeptem comprehenſa, & in duabus columnis nitidiſſimæ chartæ gothico charactere, ut ipſum opus, impreſſa eſt. Deſunt cuſtodes, paginarum numeri, & initiales litteræ. Adſunt vero ſignaturæ, & paginarum inſcriptiones. Subſcriptio in fine voluminis ſequens legitur: *Liber ſecūdus partis ſecūde beati Thome de Aquo finit: Uenetiis impſſus ipendio Johis Colonie agrippinēß Johānisq3 manthen ghretzen ſocio4: Anno ſalut | chriſtiane.* M. cccc. Lxxx. xiij. *Calendas Auguſti*, Accedit in prima ſequentis folii pagina *Regiſtrum Chartarum tabule.*

**XI. Johannis Fabri, J. U. Doctoris Breviarium ſuper Codice. Per Nicolaum Piſtoris de Benſsheim, & Marcum Reinhardi de Argentina. 1480. in Fol. min.**

In fronte voluminis, quod gothico charactere minus eleganti, ſed nitidiſſimæ chartæ in duabus columnis impreſſum eſt, leguntur ſequentia, majuſculo charactere impreſſa: *Breuiariū dñi Jo. fabri ſuper codice permultū vtile in vtriuſq3 iuris facultate Incipit feliciter.* Caret hæc editio cuſtodibus, & paginarum numeris. Habet ſignaturas, & paginarum inſcriptiones, Litteræ initiales parvæ adſunt plerumque: non nunquam tamen deſunt. In prima ultimi folii pagina majuſculo charactere impreſſa uberior legitur de opere iſthoc, & editione notitia: *Famoſiſſimi vtriuſq3 iuris doctoris domini Johannis fabri Breuiarium perutile ſuper Codice (quē inter omnia volumina iuris ciuilis: et ſi non ſtili elegantia | tamen vtilitate & continentia primū eſſe nemo ambigit) quo doctores & ſummi practici noſtri temporis per maxime vtuntur. quo tam luculenter | tā ſuccincte | tāq3 breuiter gloſarum & doctorum iuris ciuilis & (vbi etiam occurrunt) iuris canonici concluſiones perſtringūtur. Finit feliciter. Sub anno incarnationis dominice Milleſimo quadringēteſimo octuageſimo. Die* xiij. *mēſis Nouēbris. Per Nicolaum piſtoris de Benſsheim & Marium Reinardi de Argentina ſocios.* Marcus Reinardi de Argentina Argentinæ anno 1480 Manipulum curatorum, & ibidem adhuc an. 1482. Biblia impreſſit latina, eodem vero anno 1482 Pariſiis edidit *La Traduction du Miroir de la vie humaine.* Conf. Orlandi *Origine e Progreſſi della ſtampa* &c. pag. 90. & 122. nec non Maittaire Tom. I. pag. 415. 429. 430. Idem Orlandi Marci Reinhardi ſocium fuiſſe adfirmat Nicolaum de Philippo de Gernsheim. Forte Nicolaus de Gernsheim, quem adpellat Orlandi, idem eſt cum Nicolao piſtoris de Benſsheim, ut in ſubſcriptione modo recitata adpellatur. Illud ex dictis, ſi quidem vera ſint, quæ referunt Orlandi & Maittaire, recte colligendum videtur, Breviarium hoc juris Argentinæ impreſſum fuiſſe.

XII. Alberti de Padua Ord. Eremit. S. Auguſtini Sermones de Dominicis per annum & præcipuis feſtivitatibus. Accedit concordantia quatuor Evangeliſtarum de paſſione Domini. Ulmæ per Johann. Zainer ann. 1480. in Fol. min.

Initio voluminis exſtat *Regiſtrum ordine alphabetico collectū in ſermones quondā venerabiliſ ac egregii viri mgri alberthi d' padua. fris heramitarūm* (ſic) *ordinis Auguſtini;* quod quidem in duabus columnis gothico charactere juſtæ magnitudinis impreſſum folia decem, & undecimi folii columnam primam fere dimidiam implet. Folio duodecimo auctoris incipit *Prologus*, cui majuſculo charactere impreſſa typographus præmiſit ſequentia: *Incipit ſolemne opus expoſitionis Euāgeliorum dominicalium tocius anni reuerendi magiſtri Alberti de Padua ordinis frat4 heremitaru3 ſancti Auguſtini cu3 concordancia quatuor euangeliſtarum in paſſionem dominicam.* Prologus in averſa pagina folii ejusdem, linea 2 terminatur. Complectitur iſtud opus ſermones LXXVIII. Deſunt in in hac editione initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, & paginarum numeri. Numerum autem cujusque ſermonis in ſuperiori margine typographus notavit. Ad calcem ſermonis ultimi leguntur ſequentia: *Liber predicationum ſuper euangelijs dominicalibus. Et in p̄cipuis feſtiuitatibus ſancto4. Vlme impreſſus per Johannem Zainer Anno domini.* 1480. *circa feſtū ſancti Viti. Finit felicit.* Seorſim impreſſa eſt, & poſt folium vacuum *Incipit concordancia in paſſione3 dominicam. ab egregio quondam viro magr̄o Nicolao Dinckelſpichel* (ſic) *collectam*, quæ foliis comprehenſa eſt impreſſis 36, & in fine ſubſcriptionis loco hæc tantum verba habet adjecta: *Deo gracias.*

XIII. *Expoſitio ſuper lib4 pſalmo4 regij pphete per reuerendū & religioſum patrem: fratrem Petrum de Harentals: priorem floreſſienſem p̄monſtratenſis ordinis: ex diuerſis ſanctorum codicibus: videlicet Auguſtino Hieronimo Gregorio Caſſiodoro Remigio Hugōe de ſācto victore Nicolao d lyra: & ceteri induſtrioſe collecta: feliciter incipit.* Impreſſ. per Conradum de Homborch 1480. in Fol. min.

Quæ tituli loco recitavi, verba leguntur in fronte primæ columnæ, primæ itidem paginæ, quibus immediate ſubnexa eſt auctoris epiſtola dedicatoria ad Johannem de Arkel, olim Trajectenſem, nunc Leodienſem Epiſcopum. Opus in duabus columnis gothico charactere præſtantiſſimæ chartæ impreſſum eſt. Caret Litteris initialibus Pſalmorum, cuſtodibus, paginarum numeris, earundemque inſcriptionibus. Habet vero ſignaturas. In fine voluminis ſatis ampli notitia ſequens typis impreſſa legitur: *Explicit Collectarius ſuper lib4 pſalm4 collectū & finit' per fratrem Petrum de Harentals Canonicū*

*nicū priorez floreffieſem premonſtratenſis ordinis ad opus reuerendi patris Johannis de Arkel: q̊ndaz Traiectē̄. poſtea Leodiē̄. epiſcopi Approbatus & admiſſus ab alma vniuſitate colonienſi. Impreſſus autē & ɔſūmatus ꝑ me conradū de Homborch. Anno dominice incarnationi͂. M°. cccclxxx°. Ipſo die ſancti Laurentij martiris: ad laudem & gloriaz omnipotētis dei: & ad vtilitatē eccleſie ſue ſancte: qui eſt benedictus in ſecula ſeculorū. Amen.* Cl. Gemeiner in Nachrichten von den in der Regensburgiſchen Stadtbibliotheck befindlichen merkwürdigen Büchern &c. pag. 117. editionem hujus operis Colonienſem anni 1487 ut omnium primam laudavit. Noſtræ igitur nullam habuit notitiam. Excitavit vero eandem Maittaire Tom. I. pag. 411.

**XIV. Joh. de Janduno, Philoſophi Sæc. XIV. in academia Pariſina celeberrimi, Quæſtiones in libros Ariſtotelis de Anima. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen 1480. in Fol. min.**

In averſa primi folii pagina exſtat *Regiſtrum charta4.* Folio ſecundo auctoris incipit *Prohemium*, quod in averſa pagina folii tertii, columna ſecunda, linea 35 terminatur. Tunc immediate in eadem columna ſequitur *Prima queſtio.* Typi gothici ſunt, admodum minuti, ſed perelegantes, charta vero plane nitidiſſima. Cuſtodes, paginarum numeri, & litteræ quæſtionum initiales deſunt. Adſunt vero cuſtodes, & in ſuperiori margine liber notatur, e. g. *Liber I.* In fine quæſtionis 43 ad librum III. typographus ſequentem adjecit notitiam: *Expliciunt q̄ones dn̄i Johānis d Jāduno ſup tres libros de aīa Ar. īpreſſe Uenetijs īpendio Johis colonie Johisq̧ manthen gheretzē ſociorū āno ſalut| dn̄ice. M. cccclxxx. cal. Julij.* Accedit tabula quæſtionum.

**XV. Johannis Tortellii Arretini Commentarii grammatici de orthographia dictionum e græcis Tractarum. Impreſſ. Vicentiæ per Hermannum Lichtenſtein, Colonienſem an. 1480. in Fol.**

Hic liber eſt in duas quodammodo partes diviſus, in quarum prima brevi admodum, auctor differit de inventione, numero, figura, pronunciatione &c. litterarum Alphabeti: in ſecunda vero, eaque fuſiſſima vocum latinarum, maximam partem ex græco derivatarum, quæ ſecundum alphabeti ordinem exhibentur, ſecundum orthographiæ leges ſcribendarum rationem demonſtrat. Opus ſæculo XV. fuit ſæpius typis exſcriptum, & quidem jam anno 1471 bis, nimirum Venetiis per Nic. Jenſon, & Romæ per Udalr. Gallum, & Nicolaum Lucenſem, & poſthac ſæpius. Ex quo patet, quo in pretio tum fuerit habitum. Revera etiam auctor de recte latina ſcribendi ratione abſcondita multa protraxit in lucem, & vel hodie adhuc dignus eſt

qui

qui conſulatur. Fuit Arretinæ Eccleſiæ primum Archipresbyter, tum vero Romam ſe contulit in aulam Eugenii IV. ubi Nicolao V. Pontifice deceſſit ann. 1466. Quod præſentem attinet editionem, ea quidem primo omnium dedicatoriam auctoris ad Nicolaum V. P. R. epiſtolam exhibet, terminatam in folii ſecundi pagina prima, linea 19. Tum immediate *Joannis Tortellii Arretini Commentariorum Grammaticorum De Orthographia Dictionum E Græcis Tractarum Liber Primus Incipit.* Impreſſum eſt hoc opus litteris rotundis perelegantibus, Chartæ plane nitidiſſimæ. Litteras initiales parvas typographus plerumque adjecit, uti etiam ſignaturas. At cuſtodes, paginarum numeri, & earundem inſcriptiones deſunt. Ad calcem lexici vocum alphabetici ſequentia leguntur capitalibus litteris impreſſa:

*Joannis Tortellii Arretini Commentariorum*
*Grammaticorum De Orthographia Dictionum*
*Egræcis Tractarum Opus Per Hermanum Lich*
*tenſtein Colonienſem Vicentiæ Accuratiſſime*
*Impreſſum Die Vltima Menſiſ Octobris Anno Mil*
*leſimo Quadringenteſimo Octuageſimo.*

In averſa folii, in quo hæc leguntur, pagina *Primario Litterarii Ordinis Viro Conſtantino Robegano Tarviſiano Hieronymus Boninius S. P. D.* Porro in hac epiſtola plura habet Bononius in laudem hujus operis, diſcimus etiam, Boninium in eodem ſecundum exemplaria adcuratiſſime ſcripta emendando operam navaſſe. Epiſtolam iſtam excipit *Eiuſdem Hieronymi Carmen In Primi Impreſſoris Commendationem*, quod, licet longius, integrum recitabo:

*Tingere diſpoſitis chartas quicunq3 metallis*
*Coepit: & inſignes edidit ære notas:*
*Mercurio genitore ſatus: genitrice Minerua*
*Præditus æthereæ ſemine mentis erat.*
*Non illum Cereris: non illum cura Liæi*
*Terrenæ tenuit non opis ullus amor.*
*Copia librorum cupidis modo rara latinis*
*Cum foret: auſpiciis illius ampla venit.*
*Improbus innumeris librarius ante talentis*
*Quod dabat: exigua nunc ſtipe uendit opus.*
*Hiſtoriæ uenere Titi. ſe Plinius omni.*
*Gymnaſio iactant Tullius atq3 Maro.*
*Nullum opus o noſtri felicem temporis artem*
*Cellat in arcano bibliotheca ſitu.*
*Quem modo rex, quem uix princeps modo rarus habebat.*
*Quiſq3 ſibi librum pauper habere poteſt.*
*Redditus hac etiam nuper Tortellius arte*
*Plurimus. eſcribas qua ratione docet.*
*Hunc eme qui lingua cultus cupis eſſe latina*
*Hunc eme grãmaticus qui cupis eſſe bonus.*

*Quæ geminanda notis fuerit tibi ſyllaba. ſimple* (ſic)
*Quæue ſit. exilis. denſaue doctus eris.*
*Poſtmodo qui fuerit grato ſi cõmodus uſu.*
*Has memor aſſiduis plauſibus ede preces.*
*Artifici ſemper faueant pia numina ſancto*
*Vtilis effluxit cuius ab arre* (ſic) *liber.*

Poſt hæc demum ſequitur *regiſtrum* (chartarum) *huius libri.*

## XVI. Franciſci Nigri Grammatica latina. Venetiis per Lucilium Santriter, & Theodorum Herbipolenſem. 1480. in 4to.

In fronte operis *P. Franciſcus Niger. A. Venetus. Sacerdos. Artiumque Doctor Leonardo Bottæ. Equeſtris Ordinis Viro Pro Mediolanenſi Duce. Apud Venetum Senatum Oratori Facundiſſimo Sapientiſſimoque Foelicitatem.* Epiſtola hæc dedicatoria terminatur in prima pagina folii terrii, linea 6. Tum ipſum immediate incipit opus grammaticum in decem libros diviſum quorum *Primus* (ſunt verba ipſius auctoris ex epiſtola dedicatoria deprompta) *de uoce grãmatica: & eius partibus diſputabit. Secundus octo partes orõnis: & earꝶ accidentia cõtinebit. Tertius legi ſchemata demõſtrabit. Quartus grãmaticas cõſtructiones breuiſſime explanabit. Quĩtus dicendi elegantiam haud difficile docebit. Sextus ſyllabarum quantitatẽ metietur. Septimus ſyllaꝶ accentus: nec non & punctandi modum explicabit. Octauus carminum qualitates deſignabit. Nonus ipſoꝶ uarietatẽ diſtinguet. Poſtremus poetarum officium: ſcribendiq; diuerſitatẽ complectetur.* Litteræ ſunt rotundæ perelegantes, charta alba, munda & firma. Deſunt cuſtodes, paginarum numeri, & earundem inſcriptiones, nec non litteræ librorum initiales. Adſunt vero ſignaturæ. Ad calcem decimi libri capitalibus litteris impreſſa leguntur ſequentia: *Explicit Liber Decimus Et Vltimus De Poemate Et Poeſi Ac Poetarum Officio.* Poſt hæc auctoris ſequitur *Peroratio* ad Leonhardum Bottam, in qua teſtatur, *non ſine aliqua animorum contentione abſolutum* eſſe hoc opus, quibusdam ſcilicet id improbantibus. Hanc excipit carmen, quo *C. Joannes Lucilius Santreiter de Fonte. Salutis;* (Heylbronn) *omnib. ſtudioſis adoleſcentib. foelicitatẽ dicit.* Exponit autem hoc carmine qua ratione ex patria ſua Venetias venerit, & a Franciſco operis hujus, ut videtur, auctore hoſpitio perhumane exceptus imprimendis libris operam navare ceperit, &, quemadmodum non obſcure inſinuat, primo omnium hanc grammaticam impreſſerit. His verſibus ſubjuncta ſunt duo dyſtica ad lectorem:

*Santritter helbrona genitus degente ioannes*
*Lucilius: prompſit grammata docta nigri.*
*Herbipoliſq; ſatus ſocio ſudore: lacunis.*
*Hoc venetis francus fert theodorus opus.*

Tandem legitur ſubſcriptio ſequens: *Anno Salutis. M. CCCC. LXXX. XII. Cal. April. Impreſſũ ĩ hoc opꝰ Venetiis Duce Virtute & Comite Fortuna.*

XVII.

## XVII. Joſephi Flavii Judæi ſeptem Libri de Bello Judaico, & Libri duo de antiquitate gentis judaicæ, latine editi curante Ludovico Cendrata, impreſſi vero per Petrum Mauſer Veronæ anno 1480. in Fol.

Initio voluminis duo exſtant folia ſeparata, quæ Ludovici Cendratæ veronenſis epiſtolam dedicatoriam ad Antonium Donatum Patricium Venetum, urbis Veronæ Prætorem anno 1480, ſcriptam, & carmina quædam in laudem editoris, ipſiusque editionis præſentis. Tum in noſtro quidem exemplari duo ſequuntur folia vacua, quorum poſterius tantum ad primum pertinet operis faſciculum. In fronte primæ paginæ impreſſæ capitalibus litteris hæc leguntur: *Joſephi Machacie* (ſic, loco, Mathatiæ) *Filii Hebræi Genere Sacerdotis Ex Hieroſolymis De Bello Judaico Liber I.* Tum immediate ſequitur auctoris Præfatio, quæ terminatur in prima tertii folii pagina, linea 12. Libri non ſunt diviſi in capita: ſingulorum autem librorum finis & initium hac vel ſimili ratione capitalibus litteris notantur: *Joſephi De Bello Judaico Liber Primus Explicit. Incipit Secundus Foeliciter.* Litteræ ſunt rotundæ perelegantes: charta munda eſt, & alba, quin & ſatis firma. Initiales librorum litteræ, cuſtodes, & paginarum numeri deſunt. Chartarum ſignaturas typographus adjecit. In averſa ultimi folii ternionis y pagina terminatur ſeptimus de Bello judaico liber hac ſubſcriptione capitalibus litteris impreſſa: *De Bello Judaico Explicit Foeliciter.* In fronte autem primæ paginæ quaternionis A capitalibus itidem litteris legitur: *Joſephi Machaciæ Filii Hebræi Genere Sacerdotis Ex Hieroſolymis De Antiquitate Judæorum Contra Appionem Grammaticum Alexandrinum.* Tum immediate incipit Primus liber de antiquitate Judæorum ſine ullo titulo. Terminatur autem hic liber in prima folii ſeptimi quaternionis B pagina, linea 12. Deinde capitalibus litteris impreſſa hæc leguntur: *Phlauii Joſephi De Antiquitate Judæorum Ad Epaphroditum Liber .II.* Ad calcem ſecundi hujus libri in averſa pagina quinti folii ternionis D ſequens legitur ſubſcriptio, iisdem, quibus ipſe textus, litteris impreſſa: *Impreſſū ī inclyta ciuitate Veronæ per Magiſtrum Petruȝ Mauſeȝ Gallicum. Anno ſalutis.* M. cccc. Lxxx. *octauo Kalendas Januarii: Pontifice maximo Sixto quarto: & illuſtriſſimo Venetoꝶ duce Joāne Mocenigo.* Sequentis folii, quod eſt ultimum, prima pagina exhibet regiſtrum chartarum, ſeu indicem primarum cujusque plagulæ vocum. Eduardus Harwood, ſeu potius ejusdem interpres Theodiſcus Franciſcus Carolus Alter in Ueberſicht verſchiedener Ausgaben der Griechiſchen und Römiſchen Claſſiker &c. pag. 83. meminit editionis operum Joſephi græcæ, quæ Veronæ per Petrum Mauſer anno 1480 prodierit. Verum probabiliſſimum videtur, Bibliographum hunc noſtram deſignare voluiſſe editionem latinam, quemadmodum etiam ipſum Harwoodum, qui pag. 84. citat *antiquitates Judaicas Joſephi latine per Lud. Cendratam Venetiis anno* 1480. Porro Ludovi-

cus Cendrata in præfixa operi epiſtola dedicatoria non ſibi gloriam vindicat latinæ verſionis, ſed tantum affirmat, ſe collatis pluribus exemplaribus manuſcriptis hanc adornaſſe editionem. Immo videtur exiſtimaſſe, Joſephum ipſum libros iſtos latinitate donaſſe. Ita enim in laudata epiſtola ait: *Ipſe autem Joſephus .... hebræa lingua prius digeſtum opus deinde græcum edidit: & ex græco fecit ēē roanū.* Paulo inferius hæc quoque habet: *Tanta uero fuit iſtius Joſephi latinæ linguæ proprietas, & eloq̄tiæ ſplendor* &c. Verum conſtat, Ruffinum Aquileienſem Presbyterum auctorem eſſe latinæ verſionis librorum de Bello judaico, non ipſum Joſephum.

XVIII. S. Antonini Tractatus de Excommunicationibus, ſuſpenſionibus, interdictis, irregularitatibus, & pœnis. Accedit titulus de ſponſalibus, & matrimonio extractus ex tertia parte ſummæ ejusdem S. Antonini. Venetiis per Joh. de Colonia, & Joh. Manthen. 1480. in 4to.

Tractatus iſte gothico charactere in duabus columnis nitidiſſimæ chartæ impreſſus eſt. Initiales litteras parvas & ſignaturas ipſe typographus adjecit: cuſtodes vero, & numeri paginarum deſunt. In fine hanc habet ſubſcriptionem: *Cuius nōbilitatis* (cohæret hæc ſubſcriptio cum immediate præcedentibus) *p̄textu īpreſſiōi expoſitus fuit Uenetiis ductu z ip̄ēſis Johānis d' Colonia agripin̄ēſi; ac Johannis Māthen d' Gherretzē. Anno ſalut*|. M°. cccc. Lxxx. *ſexto idus Maij.* Sequitur *Regiſtrum charta4.*

XIX. Raymundi Lulli ars Generalis ultima. Venetiis per Magiſtrum Philippum ann. 1480. in 4to.

Cur artis ultimæ titulum huic operi indiderit auctor, homo ſingularis prorſus ingenii, & hoc nomine ſatis notus, rationem ipſe expoſuit ſtatim a principio: *Quoniam, inquit, multas artes fecimus generales ipſas volumus clarius explanare per iſtā quā uocamus ultimam eo quia de cetero non proponimus aliam facere ipſam quidem ex aliis compilamus & aliqua noua explicite addimus.* Ex his quodammodo patet libri argumentum, quod pauci tamen plenius percipient. Quod præſentem attinet editionem, ea forte eſt omnium prima. Impreſſa eſt gothicis quidem characteribus, ſed chartæ plane nitidiſſimæ. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, paginarum numeri, earundemque inſcriptiones. Habet vero ſignaturas. Volumen integrum foliis conſtat impreſſis 215. In fine ſubſcriptio ſequens legitur:

*M. ccclxxx. die xiii. nouenbris.*

*Fuit impreſſa hec ars Uenetiis per magiſtrum philipgum petiōne* (ſic) *magiſtri ioannis cordubenſis eiuſdem artis profeſſoris qui ipſam diligenter correxit. Finis.* In prima folii 216 pagina legitur *Regiſtrum*, ſc. chartarum: & nihil præterea.

XX.

**XX. Biblia latina. Norimbergæ per Anton. Koburger 1480. in Fol. magn.**

Hæc Bibliorum editio quoad typos, chartam, numerum foliorum, aliaque omnia ita convenit cum editione ab eodem typographo curata anno 1478, & a me ad h. a. N. XXIII. deſcripta, ut primo intuenti ambæ editiones una eademque haud immerito videri poſſent. Ita nimirum folium folio, columna columnæ & plerumque etiam linea lineæ reſpondent. Præfixum eſt huic etiam editioni folium non numeratum, cujus averſa pagina catalogum exhibet librorum Biblicorum, in fine vero accedunt ſex pariter folia non numerata Menandri Epiſtolam, & canones Evangeliſtarum complectentia, prorſus ut in editione præcedenti. Poſtquam vero ambas editiones paulo adcuratius inter ſe contuliſſem, plurima obſervavi, quibus altera ab altera differunt; e. g. folii primi columna ſecunda in editione anni 1478 incipit his verbis:

*ſas. ptranſiuit caucaſum albanos* &c.

in editione vero anni 1480 eadem columna ſic habet:

*ſophus ut pitagorici tradunt* &c.

In priori editione liber geneſis terminatur fol. XXII. col. 2. lin. 14: in poſteriori vero folio eodem, columna eadem, ſed linea 15. Illius folium XCI. columna ſecunda lineas habet 48: hujus vero folium idem, eademque columna habet 50 lineas. Folium poſterioris editionis, quod revera eſt CCCLXXXIX. per errorem typi habet numerum CCCLXXXVII. In priori vero editione verus adpoſitus eſt numerus. Ceterum ſubſcriptio poſterioris hujus editionis in fine Apocalypſeos eſt ſequens:

*Anno incarnationis dñice. Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo. Maii vero kl. octauo decimo. Qz inſigne ueteris nouiqz teſtamenti opus. cum canonibꝫ euangeliſtarumqz concordantiis. In laudem & gloriam ſancte ac indiuidue trinitatis. Intemerate virginiſqz Marie impreſſum. In oppido Nurnbergñ. per Antoniuz Coburger pſati oppidi incolam induſtria cuius q̄ diligētiſſime fabrefactum finit feliciter:*

**XXI. Biblia latina per Johannem Zainer Ulmæ impreſſa. 1480. in Fol. magn.**

Caret hæc Bibliorum editio titulo, cuſtodibus, ſignaturis, & numeris foliorum. Paginæ ſingulæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. In ſuperiori margine librorum tituli leguntur impreſſi. Singulorum capitum initia notan-

tantur e. g. *Capitulum VII.* vel *Capitulum Nonum.* Præmiſſi ſingulis capitibus in hac primum editione ſunt *caſus*, quos veteres adpellabant, ſummarii, ſeu brevia capitum argumenta ab aliis poſthac typographis pariter præmiſſa. Horum loco in Pſalmis præmiſſi ſunt tituli, qui partim jam in textu hebraico, partim in græca verſione ſeptuagintavirali leguntur. In cantico vero canticorum caſus iſti ſummarii omnino deſiderantur; cujus rei rationem ex nota libro huic præfixa licet intelligere. Quia nimirum canticum hoc a diverſis diverſimode exponitur, vel adplicatur diverſis objectis, noluerunt editores tot inter varias variorum ſententias lectoribus ſuam obtrudere. Litteræ initiales, eæque elegantiſſimæ tum initio integrorum librorum, tum Præfationum S. Hieronymi, quæ ſingulis libris præfixæ ſunt, impreſſæ, capitum vero litteræ initiales manu, & quidem colore nunc rubro, nunc ceruleo, interdum etiam viridi eleganter ubivis adpictæ ſunt. Continet hæc editio præter libros utriusque teſtamenti tum Proto- tum Deutero-Canonicos etiam tertium, & quartum Eſdræ apocryphos, qui ſecundo e veſtigio ſubjuncti ſunt. Typi minuti quidem, ſed admodum elegantes ſunt. Papyrus firma, munda, & alba eſt. Litteræ, quibus caſus ſummarii, aliaque ad Rubricas pertinentia, impreſſa ſunt, magnitudine litteras textus plus quam dimidia parte ſuperant. Poſt Apocalypſin ſubſcriptio ſequens impreſſa legitur:

*Anno a natiuitate dñi Milleſimo quadringenteſi*
*mo octuageſimo. quarto kalendas februarii. In*
*oīpotentis dei laudem ſueq3 curie celeſtis gloria3*
*et honorem. Finitū eſt hoc inſigne noui ac vete-*
*ris teſtament4 opus. per Johannē Zainer Vl-*
*menſis opidi incolam Opus inq3 p̄cla4 ad ſim-*
*plicium ſacerdotū vtilitatem. non modo cū canoni*
*bus euangeliſtarumq3 concordantiis. ve4 in ſup*
*cū dictionū hebraica4 declaratio.*(ſic)*ac caſibus ſūmā*
*riis ſemper ab initio capitulo4 poſitis diligentiſ*
*ſime impreſſum.*

In eadem columna, quæ hanc exhibet ſubſcriptionem, ſtatim ſubnectitur Menandri epiſtola ad Jacobum de Iſenaco, quam excipiunt canones Evangeliſtarum, qui etiam evangeliis in margine adjecti ſunt. Poſt folium vacuum *Incipiunt interpretationes Hebraicorum nominum.* Inde ab Epiſtola S. Hieronymi ad Paulinum usque ad finem canonum Evangeliſtarum ſunt folia impreſſa 407. Interpretationes vero nominum hebraicorum folia implent impreſſa 32, ut adeo opus integrum foliis conſtet impreſſis 439.

Non nulli poſt Le Longium editionem quoque Bibliorum ab Johanne Zainer anno 1484 curatam excitarunt. Verum error hic eſt, inde natus, quod verba illa ſubſcriptionis: *Octuageſimo, quarto kalendas februarii* ita conjunxerint, ut vocem *quarto*, quæ puncto tamen diſtinquitur, cum voce præcedente, *octuageſimo*, connecterent. Eſt igitur non niſi unica Bibliorum editio

tio a Johanne Zainer Ulmæ curata anno 1480. Conf. Cl. Maſch. in nova edit. Bibl. S. Le Long. P. II. Vol. III. pag. 128.

## XXII. Summa, Hoſtienſis adpellata, in V. Libros Decretalium. Veneciis per Leonardum Wild. 1480. in Fol. magn.

Editionem hujus operis anno 1477 inchoatam, & ab hac omnino diverſam recenſui ad h. a. N. XXVI. Quæ mihi præ oculis eſt editio, chartæ impreſſa eſt magnæ, & præſtantiſſimæ gothico charactere in duabus columnis. Deſunt cuſtodes, & paginarum numeri: earundem vero inſcriptiones, quemadmodum etiam ſignaturas, & litteras initiales parvas ipſe typographus adjecit. Præter punctum etiam duo puncta occurrunt. In averſa primi folii pagina legitur *Ad Reuerendiſſimum in Chriſto patrem Maffeum Girardum Patriarcham Uenetiarum digniſſimum Petri Albignani Tretii in nouam ſumme hoſtienſis emendationem prefatio feliciter;* in qua teſtatur Albignanus ſe in hac editione textum quam diligentiſſime emendaſſe. In fine voluminis primum hi verſus leguntur:

*Mōſtrans obſcuras iuris diſſoluere curas.*
*Explicat antiquas hec noua ſumma plicas.*
*Pro ſumme ſummo ſit regi gloria xp̄o.*

His ſubjecta ſequens eſt notitia: *Preſens huius ſūme Hoſtienſis preclarum opus: Uenetiis eſt īpreſſū ꝑ Leonardū vuild de Ratiſbona īpenſis Thome Teruiſiani aromatarii.* M. cccc. Lxxx. Folium ſequens, idque ultimum voluminis epiſtolam exhibet gratulatoriam Tonini Girelli ad Albignanum, hujusque reſponſoriam. Ex hac poſteriori diſcimus, Thomæ Treviſiani aromatarii *liberalitate ac impendio - alia quam plurima opera impreſſa fuiſſe.* Utraque epiſtola anno 1479 ſcripta eſt, & prior quidem *calendis ſextilibus*, poſterior vero *x. calendas ſeptēbres.* Subjectum eſt his epiſtolis in eadem pagina *Regiſtrum chartarū totius ſumme.*

## XXIII. M. T. Ciceronis libri de officiis, Paradoxa, de amicitia, ſenectute, ſomnio Scipionis, & eſſentia mundi. Veneciis per Philippum quondam Petri 1480. in Fol. min.

Omnia hæc Ciceronis opuſcula, rotundo charactere eleganti nitidiſſimæ chartæ impreſſa ſunt, foliis 89 comprehenſa. Signaturas & litteras initiales parvas typographus adjecit. Deſunt vero cuſtodes, & paginarum numeri, earundemque inſcriptiones. In fine voluminis leguntur *u Erſus duodecim ſapiētum.* &c. in Ciceronis laudem. His ſubjuncta eſt ſequens notitia: *Marci Tullii ciceronis de Officiis: Paradoxa: de Amicitia: de Senectute: de Somno* (ſic) *Scipionis: nec nō de Eſſentia mūdi. ac. xii. Sapiētum Epithaphiis libri finiūt, qui peroptime emēdati impreſſi ſunt Veneciis ductu & expenſis per philippum*

*pum. quondam petri ueneti anno ab ĩcarnatione. d.* M. cccc. Lxxx.* *die viii maii. Inclito uenetarum* (ſic) *duce. Johanne mozenigo imperio.* In Ueberſicht verſchiedener Ausgaben der griechiſchen und römiſchen Klaſſiker von Harwood pag. 192. laudatur editio *Officia*, *de Senectute*, *de Amicitia*, *Paradoxa*, *Somnium Scipionis de Eſſentia mundi* 1484. *Fol.* Hæc vero anni 1480. non commemoratur.

## XXIV. Ariſtotelis libri de Generatione & corruptione cum expoſitionibus Ægidii Romani. Accedunt Quæſtiones Marſilii Inguen ſuper iisdem libris Ariſtotelis. Patav. per Joh. Herbort de Seligenſtadt. 1480. in Fol. magn.

Ariſtotelis textus charactere majori, Expoſitiones minori, utroque gothico, ſed luculento & eleganti, impreſſæ ſunt in duabus columnis. Charta magna eſt, firma, & ampliſſimos habet margines. Litteras initiales parvas & ſignaturas typographus adjecit. Cuſtodes vero, & numeri paginarum, earundemque inſcriptiones deſunt. In fronte voluminis, primæ ſcilicet columnæ, tituli loco hæc leguntur: *Textus Ari. de generatione & corruptione cum expoſitione omniũ expoſito4 optimi interpretis Egidii Romani feliciter incipit.* In fine expoſitionis primo quidem leguntur verſus:

*Ad emptorem liber.*
*Hoc opus emptor emas quo non præſtãtius vnq̃ eſt.*
*Antiquæ ſiquid nobilitatis habeſ.*
*Qđ non eſt aliquid facimus: qđ eſt nihil eſſe.*
*Me p p cuiq3 ſtant fugiuntq3 dies.*
*Marmor erit ſi q3 te aſpexerit ægide tectuũ.*
*Ægidii: at fueris me duce ſemper idem.*
*Ramuſius Ario. Cattæ. dd.*

His ſubjecta ſequens ſubſcriptio: *Impreſſum patauii.* M. cccc. Lxxx. *die xxiiij. februarij. ĩgenio & impenſa Joannis grãdis herbort đ ſilgenſtat.* Quæ ſequuntur Quæſtiones Marſilii Inguen ut opus ſingulare ſpectari poſſunt: attamen cum præcedenti ſimul prodierunt in lucem, quod demonſtrat Regiſtrum chartarum ambobus commune, & quæſtionibus in fine adjectum. Habent tamen quæſtiones peculiarem ſubſcriptionem, quæ ejusmodi eſt: *Expliciũt qões ſup libris đ gñatõe & corruptõe Ari. p excelleᵐ phm Marſiliũ ĩguẽ diſputate. per magiſt4 Joãnẽ herbort de ſilgenſtat ĩpreſſe. Ac etiã emẽdate p dociiſſimũ artiũ & medicine doctorẽ magiſt4 Nicoletũ verniã theatinũ. ordinarie ph'ia3 in florẽtiſſimo gĩnaſio patauino legẽtẽ. Anno dñi.* m. cccc. lxxx. *die. xxix. Febr.* Poſt hæc *Incipiunt tituli queſtionũ* quibus ſubjecti ſunt verſus:

*De emptore & marſilio.*
*Ut miles qum bella tument ſe miſcet in armis*
*Siquid habet cordis ſiquid & artis habet:*

Sic

*Sic te marſili toto rimabitur orbe.*
*Ingenii ſi quis experientis erit.*
*Impenſis herbort theatinus acumine mentis*
*Fecit ut in toto notior orbe forem.*
*Ramuſius Ario Cattæ. dd.*

Accedit Nicolai Verniæ Theatini tractatus ſuper Quæſtione: an ens mobile ſit totius naturalis philoſophiæ ſubjectum? Huic autem tractatui præfixa eſt auctoris ad Henricum Archiepiſcopum Aherontinum, & Materanum Epiſtola, ſubnexum vero Regiſtrum chartarum.

## XXV. Petri de Aquila, Ord. Min. commentarii in 4 libros ſententiarum ad mentem Scoti. Spiræ per Petrum Drach 1480. in Fol.

In averſa primi folii pagina exſtat auctoris, & præſentis operis commendatio, cui ſubjecta anni eſt nota: 1880. Folio ſecundo incipiunt tituli diſtinctionum & Quæſtionum libri primi, foliis duobus comprehenſi. Tituli ejusmodi reliquis etiam libris ſingulis ſunt præfixi. Opus in duabus columnis gothico charactere firmiſſimæ quidem, ſed minus albæ chartæ impreſſum eſt. Caret litteris initialibus, ſignaturis, cuſtodibus, & paginarum numeris. In ſuperiori autem margine & liber notatur, & diſtinctio, e. g. *Li. j. Diſ. xx.* vel *Li. iiij. Diſt. xlvij.* Ad calcem voluminis leguntur ſequentes verſus ſubſcriptionis loco:

*Si tibi corde ſedet excelſas noſcere cauſas.*
*Si tibi corde tuo pagina ſacra ſedet.*
*Si uis ſubtilis apices decerpere Schoti.*
*Hoc aquile petri voluito diues opus.*
*Qui volat in ſūmis aquilā ꝑcor arripe cauſis.*
*Qui ſtuduit ſchoti maxima ſcripta ſequi.*
*Siue arguta placent tibi vincula ph'orum.*
*Seu forſan populū voce monere putas.*
*Cuius lyma frequens mendas abiecit iniq̄ꝫ*
*Hoc legito plenum laudis & artis opus.*

Interjecto exiguo ſpatio:

*Hunc ſtudioſe tibi gaudet cudiſſe libellum.*
*Spirenſis ciuis Drach Petrus arte ſua.*

Subjecta ſunt anni 1880 nota, & typographi inſignia.

## XXVI. Faſciculus temporum omnes antiquorum chronicas complectens. Coloniæ per Henricum Quentel 1480. in Fol.

Auctor operis, quod omnium primo Coloniæ anno 1474 ab Arnoldo Ther Huernen impreſſum, & ſæpius ſæculo decimo quinto, & decimo ſexto diverſis in locis recuſum eſt, fuit monachus Carthuſianus ad S. Barbaram Coloniæ, Wernerus Rolevinck, qui id Trithemio, anno 1495 die 10. Maii ejus cellam inviſenti, ipſe teſtatus eſt. Conf. Trithemii *Catalogum Illuſtr. Germ. virorum*, & Cl. Denis Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliotheck pag. 86. Prodiit plerumque continuatum. Sed præſens editio non niſi hiſtoriam continet ad annum usque 1474 perductam. Impreſſa eſt gothico charactere chartæ firmiſſimæ. Caret titulo, cuſtodibus, litteris initialibus, & paginarum numeris. Sed paginæ ſignatæ ſunt. In fine legitur ſequens notitia: *Opuſculū vtiqȝ omni ſtatui, atqȝ hominū gradui ad vitā exemplandam ꝓutile. cōtinens ſuccicte epgreſſum pat4 ab inicō mundi vſqȝ ad hoc noſt4 tēpus. cū actis notabilioribꝫ eorundē Qd' deuotus qdam carthuſieñ. eius autor. i. Faſciculūm tpm nūcupauit Impſſum ꝑ me Henricū quentel Et admiſſuȝ ab alma vniuerſitate Colonieñ. Explicit feliciter ſub anno dñi* 1ꝶ80. *Laus. Deo.* Accedit index alphabeticus foliis octo comprehenſus.

## XXVII. Scala Cæli. Auctore Johanne Juniore Ord. Præd. Ulmæ per Joh. Zainer 1480. in Fol. min.

Opus eſt moralis argumenti, de variis tractans materiis ordine alphabetico, quarum indicem exhibet averſa primi folii pagina. Folio ſecundo *Incipit prologus in ſcala* (ſic) *celi*, ſeu epiſtola auctoris dedicatoria ad Hugonem de Coluberiis aquenſis Eccleſiæ præpoſitum. Caret hæc editio litteris initialibus, cuſtodibus, ſignaturis, paginarum numeris. In ſuperiori vero margine notatur titulus, ſeu materia, quæ pertractatur e. g. *Blaſphemia, Cantus Vanus* &c. Auctor dicta corroborat ex hiſtoriis, quæ ſæpe ſubleſtæ ſunt fidei. Primus articulus eſt de abſtinentia, ultimus de Uſura. Hoc finito charactere majuſculo ſequentia leguntur impreſſa: *Anno domini Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo. Liber iſte vocat⁹ Sala celi Vlme impreſſus ꝑ Johanneȝ Zainer Explicit feliciter*:

## XXVIII. Vocabularium latino - germanicum breve ex aliis fuſioribus Huguicionis, Papiæ, Johannis de Janua excerptum, & ordine alphabetico diſpoſitum. Ulmæ per Joh. Zainer 1480. in Fol. min.

In prima primæ paginæ columna prologus legitur auctoris, ſeu compilatoris, & in eadem adhuc vocabularium incipit. Latinis vocibus plerumque

que non niſi germanica ei reſpondens adjicitur: hinc inde tamen adjectæ ſunt obſervationes grammaticæ, & rerum ipſarummet breves explicationes. En exempla: FABE *bone. Fabitu3 bone ſtroe* — MARE *mer aliquando ponit pro inſtabilitate huius mundi.* — PRRTERFLUERE *vorfleſſen.* PRETERIRE *vorgan.* QUADRIGA *eſt currus quatuor rotarum. ein Wagen.* Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & earundem inſcriptiones, nec non initiales litteræ vocum, quæ primæ occurrunt in ordine alphabeti. Charta firma quidem eſt, ſed minus alba & polita. In fine legitur ſequens notitia: *Etſi huiuſcemodi vocabularij opuſculum tempa anteq3 plura impreſſoria arte diuulgatū. pluribuſq3 ſit ɔmunicatū Verum quia itidem ſi diligenter inſpiciatur innumeris fere in locis cernitur diminutum. Idcirco ad vtilitate3 in latinitatis copia ꝑficere cupientium, per Johannem Zamer* (ſic) *ciuem Vlmenſem correctione poſſibili preuia ite4 impreſſum. Anno domini milleſimo quadringenteſimo octogeſimo finit feliciter.*

## XXIX. Vocabularius latinus, *Breviloquus* dictus. Baſileæ anno 1480. in Fol.

In averſa primi folii pagina editoris anonymi exſtat præfatio, in qua de operis hujus, pro genio nimirum ſæculi, præſtantia diſſeritur, & abbreviaturæ hic occurrentes explicantur. Folio ſecundo *Guarinus Veronenſis Floro ſuo ſalutem plurimam dicit*, dedicatque, quod ſtatim ſequitur, opuſculum de arte diphtongandi. Hoc duo alia excipiunt opuſcula, nimirum dialogus de arte punctandi, & tractatus de accentibus. Atque hæc omnia ſunt quinque foliis comprehenſa. Folio ſeptimo ipſe incipit vocabularius gothico charactere ſatis luculento in duabus columnis impreſſus, & in tres partes diviſis. Explicantur nimirum ordine alphabetico primum quidem nomina ſeorſim, tum verba, demum partes orationis indeclinabiles. Ad calcem partis tertiæ habetur ſequens notitia: *Finit vocabularius breuiloquus. triplici alphabeto diuerſis ex auctoribus nec non corpore vtriuſq3 iuris collectus ad latinū ſermonē capeſſendum vtiliſſimus. Impreſſus. Baſilee. Anno dñi.* M. cccc. Lxxx. *Laus deo.* Deſunt in editione hac cuſtodes, & paginarum numeri, earundemque inſcriptiones. Sed paginas typographus ipſe ſignavit, idemque litteras initiales parvas plerumque adjecit. Vocum explicationes in hoc lexico ſunt latinis verbis conceptæ. Cl. Gemeiner in Nachrichten von den in der Regensburgiſchen Stadtbibliothek befindlichen merkwürdigen und ſeltenen Büchern aus dem fünfzehenden Jahrhundert pag. 191 & 192. Septem excitavit hujus vocabularii editiones Sæculo XV. excuſas. At de noſtra, quæ omnium, quas laudat, antiquiſſima eſt, ſilet. Sed Weiſlingerus in *Armamentario Catholico* non hanc modo editionem pag. 213, ſed & aliam ea antiquiorem, pariter Baſileæ excuſam anno 1478, excitavit pag. 101.

XXX. Ottonis Paſſavienſis Ord. Minorum S. Franciſci Thronus Aureus, ſeu viginti quatuor ſeniores hominem Chriſtianum de variis obligationibus inſtruentes Theodiſce. Auguſtæ Vind. per Anton. Sorg. 1480 in Fol.

In averſa primi folii pagina leguntur ſequentia: Das ein yeglich menſch beſter baß mug wiſſen von was materien eyn yeglicher alete die mynrende ſele lere. ſo vindet man es zů hānd bezeichnet in diſer Tafeln vnd Regiſter vnd auch an welhem blat. Sequitur itaque operis index, qui terminatur in prima tertii folii pagina. In averſa ejusdem folii pagina auctoris præfatio incipit, cui præfixus eſt titulus: Diß iſt die danckberkeyt diß bůchs. In fine auctor præter nomen, patriam, & ordinem officium quoque manifeſtat (willent leſemeyſter czů Baſel) adfirmatque ſe opus iſtud ad finem perduxiſſe anno 1386 in vigilia feſti Purificationis B. V. Mariæ. Folii quinti prima pagina imaginem Salvatoris ligno inciſam, & circum eandem viginti quatuor ſeniorum effigies exhibet: averſa autem ejusdem folii pagina imaginem S. Johannis Evangeliſtæ, ſiniſtra manu aquilam tenentis. Folio ſexto nova incipit præfatio ſeu introductio in hunc librum, quæ terminatur in fine primæ paginæ folii ſeptimi. Averſa hujus pagina: Diß iſt der anfange diß bůches, vnd iſt dz der erſte alte vnd heyſſet Barym. Opus litteris germanicis oblongis & ſatis pinguibus eſt impreſſum. Viginti quatuor ſeniorum imagines ligno inciſæ ſingulorum inſtructionibus ſunt præfixæ. Signaturæ & cuſtodes deſunt. Litteras vero initiales magnas ligno inciſas typographus adjecit, atque idem folia inde a folio impreſſo ſexto numeravit, e. g. das Erſt. blat (proprie das ſechſte) das xxiiij blat. Conſtat volumen integrum foliis impreſſis iisque numeratis ccix. quibus addenda ſunt folia quinque priora non numerata. Ad calcem hæc tantum impreſſa leguntur: Gedruckt und volennbet zů Augſburg von Anthoni Sorgen an dem freytag vor Gregorij. Anno zc. lxxx. jare.

XXXI. Baldi de Peruſio Lectura ſuper ſexto libro codicis. Venetiis per Joh. de Colonia, Nicol. Jenſon, & ſocios ann. 1480. in Fol.

Lectura hæc gothico charactere elegantiſſimæ, & præſtantiſſimæ chartæ in duabus columnis impreſſa eſt. Caret cuſtodibus, & paginarum numeris: habet vero ſignaturas, paginarum inſcriptiones, & plerumque initiales litteras parvas. Ad calcem voluminis ſatis ampli impreſſa leguntur ſequentia: *Lectūa. Bal. ſup ſexto codicis diligent̄ ipreſſa atq3 em̄data ductu & auſpiciis ſramq3 caracterib⁹ ſumo4 viro4: Johānis d' colonia: Nicolai Jenſon: ſocio-*

*ſociorũq3 Explicit.* M. cccc. Lxxx. *pridie kalendas Decẽbris.* Lecturæ ejusdem auctoris in primos quinque codicis libros iisdem typis, eademque in typographia impreſſæ occurrent ad annum 1481. N. XIV.

XXXII. Nicolai de Tudeſchis, vulgo *Abbatis* Siculi, commentariorum in librum ſecundum Decretalium Pars 2da anno 1480 impreſſa ſine mentione loci & typographi — Ejusdem Pars tertia in eundem librum Baſileæ impreſſa ſine mentione anni & typographi — Ejusdem in librum 3tium Decretalium commentarius ſine nota loci, anni & typographi — Ejusdem commentarius in librum I. Decretalium Baſileæ anno 1481 impreſſus. iu Fol.

Quatuor hæc volumina eodem charactere, gothico nimirum oblongo, & minus pingui, atque eidem chartæ, firmiſſimæ illi quidem, ac præſtantiſſimæ in duabus columnis impreſſa ſunt. Carent cuſtodibus, initialibus litteris, & paginarum numeris. Habent vero ſignaturas, & inſcriptiones paginarum e. g. *De exceptionibus*, *De ſententia & re iu.* Volumini commentariorum 2dæ partis in 2dum librum typographus ſequentem adjecit notitiam: *Extat h' finis partis ſcd'e domini Nico. abbatis ſup ſm deceralium.* (ſic) *Anno natiuitatis Mileſimo quadrigenteſimo octuageſimo.* Volumini commentariorum 3tiæ partis in eundem librum: *Abbatis tercia ps ſcd'i decretaliũ libri Baſilee impreſſa p̄bet finem.* Commentarius in primum librum hæc habet ſubſcripta: *Explicit lectu. famoſiſſimi vtriuſq3 iuris doctoris domini Abbatis ſiculi archiep̄i. Panormitani ſuper primũ decretalium librum. que per optime emendata impreſſionem Baſilee adepta eſt. Anno natiuitat' chriſti.* M. cccc. Lxxxi. Commentario demum in tertium librum hæc tantum typographus adjecit: *Finit liber tercius.*

XXXIII. Marci Terentii Varronis liber de lingua latina ex recenſione Pomponii Læti Parmæ 1480. in Fol. min.

Initio voluminis *Pomponius Platinæ Salutem* dicit. Epiſtolam hanc in eadem pagina excipit regiſtrum operis alphabeticum, in averſa quarti folii pagina terminatum. Quatuor hæc folia numeris carent. Habent vero ſignaturam a. Reliqua, opus ipſum complectentia, & ſignata, & numerata ſunt. Initiales quoque litteras parvas typographus adjecit. Typi ſunt rotundi romani perelegantes, & charta firmiſſima, at minus alba. In prima pagina folii numerati XLVI. circa finem legitur: *Si quiſpiã tertio loco fragmẽtis Varronis tantum addiderit quantũ Pōpōnius primo: Deide Frãciſc⁹ Rhollãdellus Triui-*

 *ſanus*

*ſanus Scdo ſuo uterq3 ſtudio ac diligētia cōtulit. nimir. M. Varro reuiuiſcet. Impreſſum Parmæ.* M. ccccLxxx. *Tertio Idus Decembris.*

**XXXIV. Nicolai de Tudeſchis, vulgo Abbatis Siculi, Gloſſæ in Clementinas. Venetiis per Joh. de Colonis, & Joh. Manthen 1480. in Fol. magn.**

Gloſſæ iſtæ charactere gothico pereleganti in duabus columnis præſtantiſſimæ chartæ, quæ ampliſſimos habet margines, impreſſæ ſunt. Pagina prima impreſſa ſignata eſt *a 2.* Initiales litteræ, cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum deſunt. In averſa pagina ultimi folii, quod eſt quintum ternionis *e*, ſequens legitur ſubſcriptio: *Expliciunt gl. cle. cum quibuſdam aliis allegationibus occurrentibus collecte per dnm Nicolaum Siculum Momacenſem abbatem digniſſimum nunc archiepm Panor. correcte p excellentē iurī vtriuſq3 doctorem. D. Franciſcū Breuiū Uenetū in Patauino ſtudio lecturam ſexti & cle. optinentē, ac impendio Joh's Colonie agrippineñ. Joh'ſq3 manthen gheretzem ſocioꝝ venetiis impreſſe quarto nonas maij. āno ſalut, chriſtiane.* M. cccc. Lxxx. Nihil de hac editione reperire potui apud Bibliographos, qui mihi ad manus ſunt.

## ANNO 1481.

**I. M. T. Ciceronis Rhetoricorum, vulgo veterum, libri duo. Accedunt *Rhetorciæ*, vulgo *Novæ*, Libri IV. ad Herennium, qui ſub Ciceronis nomine prodeunt, ſed incerti auctoris ſunt. Tam his quam illis adjectæ ſunt notæ Fabii Victorini Rhetoris Sæc. IV. celeberrimi. Venetiis per Baptiſtam de Tortis 1481. in Fol. min.**

In averſa primi folii pagina *Marii Fbabii* (ſic) *Victorini Rhetoris in rhetoricis* (ſic) *Ciceronis liber primus incipit.* Sequitur autem in hac pagina non niſi Victorini in Rhetoricos Ciceronis libros præfatio, ſeu Introductio, quædam. Folio autem ſecundo ipſum opus incipit. Ciceronis textus charactere majori, commentaria vero, qui extremos tres margines occupant, minori, utroque rotundo & elegantiſſimo impreſſa ſunt. Charta præſtans eſt. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta, & diphtongus *ae*. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, numeri paginarum, & earundem inſcriptiones. Paginas vero typographus ſignavit. In fine Rhetoricorum veterum hæc tantum leguntur: *Marci Tullii Ciceronis oratoris clariſſimi rhetoricorum ueterum liber ultimus foeliciter explicit.* Inter Rhetoricam veterem & novam folium intercedit vacuum. Tum hæc ſine ullo titulo incipit, & in fine hanc habet ſubſcriptionem:

*Vene-*

*Venetiis per Baptiſtam de Tortis*
*M. cccclxxxi. die. xxiiii. Januarii.*

His ſubjectum eſt *Regiſtrum Rhetoricorum Veterum & nouorum.* Orlandi nullum excitavit librum ante annum 1481 a Baptiſta de Tortis impreſſum. Quod ſi revera ante hunc annum nullus ex ejus typographia prodiit, recenſita modo Rhetoricorum Ciceronis editio, quam ignorarunt Orlandi, de Buré, Harwood, & alii omnes, qui mihi ad manus ſunt præter Maittaire Tom. I. pag. 419. omnium primus eſt liber, ab eodem Typographo impreſſus, utpote jam *die xxiiii. Januarii* finitus.

II. Nicolai de Lyra Poſtilla in univerſam ſcripturam ſacram, ſine textu ipſius ſcripturæ ſacræ, ſed cum additionibus Pauli Burgenſis, & Replicis Matthiæ Doringii. Norimbergæ per Antonium Koburger. 1481. in Fol.

Opus iſtud gothico charactere minuto, eoque pereleganti in duabus columnis præſtantiſſimæ chartæ impreſſum eſt. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, ſignaturis, & paginarum numeris. Sed in prima cujusvis folii pagina in ſuperiori margine typographus librum, & capitulum notavit, e. g. *Geneſis Capi. iij.* Exemplar noſtrum in tres tomos eſt diviſum. Primus libros complectitur inde a geneſi usque ad Pſalterium. Secundus a Proverbiis Salomonis incipit, clauditurque expoſitione Prophetiæ Amos. Tertius reliquos complectitur Prophetas minores una cum duobus libris Machabæorum, & inſuper totum novum teſtamentum. Ad calcem tertii voluminis ſequens legitur ſubſcriptio: *Explicit poſtilla. preclariſſimi Nicolai de lyra. ordinis mino4 ſuper biblia. tam vetus q̄ nouum teſtamentū. cū additionibꝯ Reuerendi in xp̄o p. & d. Pauli burgeñ. ecclie epi. ſacre theologie ac ordinis. ſ. dñici. pfeſſoris. Sil' ac replicis venerabil' Mathie doringk ſacre pagine ac regule. ſ. frãciſci pfeſſoris. p loco ſuo adaptatis. Et induſtria impenſiſq3 anthonii koburger incole Nurnbergeñ. q̄ diligenter exaratis: atq3. xxij. menſis Januarij. Anno ſalutis.* M°. cccc°Lxxxi. *cõſummatis. Ex q̄ laus honor & gloria deo ppicio. vt ſua dignet' adeſſe gratia & fauere operi proxime effecturo.* Pars operis hujus longe maxima jam anno 1480 debuit eſſe impreſſa, utpote cum die 22 Januarii ann. 1481. jam prælo totum exierit. Cl. Panzer in der Geſchichte der Nürnbergiſchen Ausgaben der Bibel pag. 57-62. fuſius agit de hac editione. Ego id unum addo, in noſtro etiam exemplari hebraicorum nominum interpretationem deeſſe & Tomum primum a geneſi — Pſalmos foliis conſtare impreſſis 430, quæ eodem modo ſe habent in exemplari deſcripto a Cl. Panzero. Nec puto hebraicorum nominum interpretationem ad operis complementum pertinere, & forte in exemplaribus, ut in Brunſvicenſi (vid. Nachrichten von der Braunſchweigiſchen Bibelſammlung. S. 792 &c.) in quibus reperitur, ex aliis editionibus adjectam fuiſſe.

III.

**III. Themiſtii Peripatetici, Paraphraſis 1) Poſteriorum Analyticorum Ariſtotelis. 2) Octo Phyſicorum ejusdem 3) Trium librorum de anima ejusdem. 4) Librorum de Memoria & reminiſcentia, de Somno & vigilia, de inſomniis & de divinatione per ſomnum. Omnia ex Interpretatione Hermolai Barbari, Patricii Veneti Nobiliſſimi & doctiſſimi. Tarviſii per Bartholomæum Confalonerium, & Morellum Gerardinum Ann. 1481. in Fol. min.**

In averſa primi folii pagina incipit *Hermolai Barbari Patricii Veneti Zachariæ Equitis Filii In Paraphraſin Themiſtii Peripathetici Præfatio Ad Sixtum .IIII. Pont Maximum*, ſcripta Venetiis anno 1480. Conqueritur in hac præfatione de barbaris veterum philoſophorum translatoribus latinis, adfirmatque, periculum ſe feciſſe in Themiſtio, an ſcripta illorum proprietatem & lucem romanæ linguæ reciperent: Pontificem vero etiam, atque etiam hortatur, ne ſuſceptum initio pontificatus ſui litterarum patrocinium deſereret. Finitur præfatio hæc ſeu dedicatio in prima pagina paulo poſt medium folii ſecundi, cujus averſa pagina indicem continet capitum libri primi Analyticorum poſteriorum. Libro primo Phyſicorum præfixa eſt *Hermolai Barbari Patricii Veneti. Z. F. In Paraphraſin Phyſices Themiſtii. Præfatio Ad. Ant. Galatheum*, ſcripta Venetiis anno 1480. In hac Philoſophiæ ſtudium cum eloquentia eſſe conjungendum docet. Ad calcem libri octavi hæc tantum leguntur: *Themiſtii liber ultimus phyſices explicit. Bartholomæus Confalonerius Brixienſis Taruiſii impreſſit.* Libris de anima præfixa eſt denuo præfatio interpretis ad Georgium Merulam, Statielenſem, in qua latini ſermonis in vertendis hisce libris ita ſe fuiſſe ſtudioſum adfirmat, *ut decem ſummum aut circiter uerba opere toto* reperiantur, *quæ arepta* (ſic) *de ſoro dici non poſſint.* In fine voluminis, ſeu libri de divinatione per ſomnum ſequens legitur notitia: *Finiunt libri Paraphraſeos Themiſtii in poſteriora Ariſtotelis ī phyſica: in libros de anima: in Commentarios de memoria & reminiſcentia: de ſomno & uigilia: de īſomniis: de diuinatione per ſomnum: interprete Hermolao Barbaro: uiro clariſſīo: quos C. Ponticus Facinus ex archetypo Hermolai ſtudioſe auſcultauit & formulis imprimi curauit Taruiſii per. B. cōfalonerium & Morellum Gerardinum de Salodio. Anno ſalutis. MCCCCLXXXI. XV. Februarii.* In averſa ultimi hujus folii pagina errores notantur typographi momenti majoris. Eſt hæc editio ſine dubio omnium prima. Excuſa eſt charactere rotundo pereleganti. Caret cuſtodibus, numeris paginarum, earundemque inſcriptionibus. Signaturas, &, plerumque ſaltem, etiam initiales litteras parvas ipſe typographus adjecit. Occurrit diphtongus *ae*, punctum, & duo puncta. Charta eſt plane nitidiſſima.

IV.

**IV. Origenis contra Celſum libri octo. Ex interpretatione Chriſtophori Perſonæ Romani. Romæ per Georgium Heroldt de Bamberga anno 1481. in Fol. min.**

Merito ſplendidiſſima dici poteſt hæc editio, omnium forte prima. Impreſſa eſt enim nitidiſſimæ chartæ charactere rotundo non nihil pinguiori & elegantiſſimo. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, ſignaturis, numeris paginarum, & earundem inſcriptionibus. Præter punctum, & interrogationis ſignum occurrunt etiam duo puncta. Diphtongus *æ* expreſſus eſt. In averſa primi folii pagina *Theodorus Gazinus Conſtantinopolita. Xp̄oforo p̄ſona: S. P. D.* Laudat nimirum Chriſtophorum Perſonam ob inſignem græcarum litterarum cognitionem, quam converſis jam pluribus in latinum libris græcis abunde probaverat; hortatur itaque, ut vertendis Origenis contra celſum libris ſuam navare operam non gravetur. Folium autem ſecundum Epiſtolam continet interpretis, *Joanni Mocenigo illuſtriſſimo uenetoꝝ p̄ncipi: uniuerſoq3 ſenatui īclito cōſultiſſimoq3:* inſcriptam, qua eosdem hortatur, ut Origenis exemplo, qui rem chriſtianam adverſus Celſum, aliosque chriſtiani nominis hoſtes ſcriptis defendit, eandem armis ſtrenue tueantur adverſus Turcas Hydruntum nobilem in Apulia urbem Captam direptamque vi tenentes. Folio demum tertio præmiſſo auctoris Prooemio opus ipſum incipit. Libris haud alii præfixi ſunt tituli, quam ejusmodi: *Liber Secundus, Liber Tertius* &c. Attamen in fronte folii tertii uberior paulo primi libri legitur titulus capitalibus litteris impreſſus: *Origenis Proaemium Contra Celſum Et In Fidei Chriſtianæ Defenſionem Liber I.* Ad calcem vero libri octavi uberior legitur notitia: *Origenis contra Celſum finis: quem Chriſtophorus perſona Romanus: prior ſanctæ Balbinæ de urbe: latine græceq3 peritiſſimus: cū fide e græco traduxit & emendauit. Magiſter uero Georgius Herolt de Bamberga Romæ impreſſit. Anno incarnationis domini Milleſimo quadringēteſimo octogeſimo primo: menſe Januarii: regnante Sixto quarto pontifice maximo: anno eius decimo.* Folii ſequentis prima pagina *Regiſtrum quinternorum* continet. Orlandi nullam de typographo hoc noſtro facit mentionem: opus vero iſtud inter libros recenſet Romæ impreſſos, quorum ignorantur typographi. Quædam exemplaria hujus editionis loco Epiſtolæ interpretis ad Joh. Mocenigum, & Senatum Venetum exhibent Epiſtolam ejusdem dedicatoriam ad Sixtum IV. Pontificem, ut nos docet P. Audiffredi in Catalogo Romanarum editionum Sæc. XV. pag. 241.

**V. Petri Lombardi quatuor libri ſententiarum Norimbergæ impreſſi per Anton. Koburger 1481. in Fol.**

Paginæ ſingulæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. In prima primæ paginæ columna incipit auctoris *Prologus in libros Sentētiarū.* Hunc in ejusdem paginæ columna ſecunda paulo ante medium excipiunt *rubrice primi libri,*

qua-

quales ceteris etiam libris ſingulis ſunt præfixæ. Folio tertio *Incipit ſententiarum liber prim⁹ de miſterio trinitatis.* Impreſſum eſt hoc opus gothico charactere minuto pereleganti chartæ admodum nitidæ. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. In ſuperiori vero margine primæ paginæ cujusvis folii typographus & librum notavit, & diſtinctionem charactere majuſculo, e. g. *Liber primus Diſt. xix.* Ad calcem voluminis idem hanc addidit notitiam: *Celeberrim⁹ ac famoſiſſim⁹ theologicarū ſnia℞ liber. mgri petri lombardi: ſacre theologie doctoris eximii. Anno dñi Milleſimo quadringētesimo octuageſimo pmo. Impenſis Antonii koburger Nurnberge impreſſus decima die may finit feliciter. ex quo laus & gloria deo.*

## VI. Jacobi Januenſis, ſeu Genuenſis, vulgo de voragine Legendæ Sanctorum, ſeu Lombardica Hiſtoria. Norimbergæ per Ant. Koburger 1481. in Fol.

De opere ipſo & auctore ſcitu neceſſaria dixi ad annum 1478. N. IV. Præſens editio eſt gothico charactere minuto in duabus columnis excuſa, & præſtanti chartæ impreſſa. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, & ſignaturis. Aſt in ſuperiori margine primæ paginæ cujusvis folii typographus non modo nomen ſancti, vel feſti, de quo eſt ſermo, ſed etiam folii numerum majuſculis litteris indicavit; e. g. *De ſancto Petro martire Fo. Lvi.* — *De natiuitate xpi Fo. ix.* Totum volumen foliis impreſſis iisque numeratis conſtat CLxxxiii. Volumini vero præfixum eſt folium non numeratum, cujus averſa pagina indicem exhibet ſanctorum & feſtorum, de quibus in hoc opere eſt ſermo. Ad calcem vero voluminis brevis hæc habetur notitia: *Finit lombardica hiſtoria p mādata Anthonij koburger Nurenberge impreſſa Anno ſalutis ꝛc. lxxxj. ydus vo Aprilis tercio.* Hæc editio ſcriptori recentiſſimo, qui vitam typographi Koburgeri vernaculo nuper ſermone conſcriptam edidit, eidemque catalogum librorum a Koburgero impreſſorum adjunxit, fuit incognita. Vid. Leben Anton Koburgers — Dresden und Leipzig 1786. Videtur tamen eandem editionem jam inſinuaſſe Roederus in Catalogo Libr. Sæc. XV. Norimbergæ impreſſorum pag. 21. N. 146. Licet exemplar Roederi nota anni & typographi caruerit, ut ex notitia ab eo data manifeſtum eſt. Oportet igitur rara eſſe exemplaria, & plerisque ſaltem Bibliographis incognita.

## VII. Nicoſai de Lira Moralia ſuper totam ſcripturam ſacram, ſeu Morales, & Myſticæ expoſitiones totius ſcripturæ ſacræ. Mantuæ per Paulum Johannis de Butſchbach 1481. in Fol.

Moralia hæc ſunt opus diverſum ab ejusdem auctoris expoſitionibus litteralibus, quæ poſtillæ adpellantur, in totam ſcripturam ſacram. Teſtatur ipſemet in Prologo huic editioni præfixo, ſe ad ſcripturam ſecundum myſticum ſenſum exponendam primum acceſſiſſe, poſtquam eandem ſecundum litteralem ſenſum jam expoſuiſſet integram. Quare non omnibus Bibliorum editionibus, quæ cum Nicolai de Lira Poſtillis prodierunt, commentarius hic moralis eſt adjectus. Quod præſentem attinet editionem: in averſa primi folii pagina legitur Ludovici a Turri, Veronenſis, Ord. min. Epiſtola ad Franciſcum Raimondum ejusdem Ordinis Prædicatorem & Provinciæ S. Antonii Vicarium ſcripta ex monaſterio S. Apollonii prope Brixiam xii. kal. Decembris anno 1480. Diſcimus ex hac epiſtola, Ludovicum a Turri opus iſtud a ſcribarum mendis purgaſſe, curaſſeque, ut excuderetur quam emendatiſſimum. In prima folii ſecundi columna *Angelici & excellentiſſimi viri ſacre theologie monarche & profeſſoris eximii Nicolai de Lyra ordinis minoruꝫ plogus. pro ipius moralibus ſuper totam Bibliam.* Hunc prologum in averſæ paginæ columna prima, linea 12 terminatum ſtatim excipiunt ipſæ expoſitiones morales gothico charactere oblongo, & gracili in duabus columnis præſtanti chartæ impreſſæ. Habet hæc editio ſignaturas: caret vero initialibus litteris, cuſtodibus, & paginarum numeris. Libros eorundemque capita typographus in ſuperiori margine indicavit. Finitis expoſitionibus moralibus in Apocalypſin hæc legitur nota, ipſius, ut videtur auctoris: *Poſt libros biblie canonicos ad nō canonicos manum mitto. inter qnos prim⁹ eſt liber Tobie. pͥpter quod incipiam ab ipſo.* Sequuntur deinde expoſitiones in libros Thobiæ, Judith, & duos Machabæorum. In fine harum expoſitionum primum quidem hæc leguntur ipſius auctoris verba: *Expliciunt poſtille morales ſeu myſtice ſuper omnes libros ſacre ſcripture. exceptis aliquibus qui non videbantur tali expoſitione indigere. Igitur ego frater Nicolaus de Lyra de ordine fratꝝ minoꝝ deo gratias ago qui dedit mihi gratiam hoc opus incipiendi & pficiendi. anno dn̄i M. ccc. xxxxix. in die ſancti Georgii martyris. Rogo etiā eos qui ſtuduerint ī hoc ope quatenus deum p me deprecent qui actor* (ſic) *eſt omnis boni.* Interjecto exiguo ſpatio leguntur ſequentia: *Impreſſum hoc opus Mātue per Paulum Joānis de Butſchbach. anno ſalutis* M. cccc. Lxxxj. *iij. kal'. madij.* (ſic). *regnante ibidē feliciſſime illuſtriſſimo dn̄o. dn̄o Federico de Gōzaga marchione tertio.*

## VIII. Henrici Herp, Ord. min. Speculum aureum decem præceptorum Decalogi. Norimbergæ per Anton. Koburger ann. 1481. in Fol.

Præmiſſus eſt index alphabeticus materiarum, novem foliis impreſſis comprehenſus. In prima folii decimi columna *Incipit Speculū aureū decem preceptoꝝ dei. fratris Henrici herp ordinis minorū. de obſeruantia ꝑ modū ſermonū ad īſtructioneꝫ tam ꝯfeſſoꝝ q̄ predicatoꝝ. Et primo de multiplicitate ⁊ diuerſitate legū. Sermo pm⁹.* Impreſſum eſt hoc ſpeculum in duabus columnis gothico charactere juſtæ magnitudinis pereleganti, & præſtanti chartæ. Deſunt initiales litteræ ſermonum, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. In margine ſuperiori primæ paginæ cujusvis folii & præceptum indicatur, & ſermo, e. g. *Preceptū. ij. Sermo iij.* In fine voluminis, ſeu ſermonis V. in nonum & decimum præcepta conjunctim hæc leguntur impreſſa: *Speculi aurei preceptorum dei clariſſimi fratris Heinrici herp ordinis minorum de obſeruantia opus preclarum: per Anthonium koburger Nuremberge diligeuter conſummatuꝫ eſt. Anno ſalutis ꝛc. lxxxi. menſis marcii idus quarto. Laus & gloria xp̄o.* Auctor horum ſermonum Sæculo XV. floruit, ferturque obiiſſe Quardianus conventus Mechlinienſis anno 1478. Editionem operis ejusdem Moguntinam a Petro Schoiffer curatam poſt alios recenſet de Bure in *Bibliograph. Inſtructiv. n.* 144.

## IX. Æneæ Sylvii, poſtea Pii II. Rom. Pont. Epiſtolæ Norimbergæ anno 1481. per Anton. Koburger. in Fol.

Præmiſſus eſt *Numerus & ordo epiſtolarum in hoc opere contentarum*, ſeu epiſtolarum index foliis quinque impreſſis comprehenſus. Mutilum eſſe oportet exemplar a Cl. Zapfio in Merkwürdigkeiten der Zapfiſchen Bibliotheck pag. 62. deſcriptum, utpote in quo index iſte quatuor tantum foliis conſtat. In averſa ſexti folii impreſſi pagina legitur *Preconiʒatio Enee ſiluii poete laureati* concinnata a Nicolao de Vuile ſacri Lateran. Palatii & aulæ imperialis Comité. Folio demum ſeptimo Epiſtolæ incipiunt, quorum prima eſt Juliani Cardinalis S. Angeli ad Æneam Silvium. Impreſſæ ſunt gothico charactere pereleganti, & præſtanti chartæ. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, earundemque inſcriptiones. Continet hæc editio Epiſtolas 432. Eſt igitur ex illarum numero editionum, quæ omnium maxime completæ ſunt. Nam non modo editiones hac antiquiores, verum etiam recentiores quædam, e. g. Lovanienſis ad annum 1483 recenſenda longe minorem complectuntur numerum Epiſtolarum. Poſt epiſtolam 432 leguntur quædam diſticha in laudem Virginis Deiparæ ab Ænea Sylvio, ut fertur, compoſita, quæ, ſi epiſtolæ loco habere velis, numerus epiſtolarum in hac editione omnino erit 433, quem quidem numerum huic editioni aſſignat Cl. Zapf loc. cit. pag. 63. Poſt hæc diſticha ſequens legitur notitia:

Pij.

*Pij. ij. pôtificis maximi cui ante ſūmū epatū pmū qdē impiali ſecretario: tādē epo deide cardinali ſeneñ. Eneas ſilui⁹ nomē erat. familiares epl'e ad diuerſos in qdruplici vite ſtatu trāſmiſſe: impenſis Antonii koburger Nurēberge impſſe. finiūt. xvj. kl's octobris. Anno ſalutis chriſtiane ꝛc.* M. cccc. lxxxj.

**X.** Tractatus de actionibus & earum natura compoſitus per Baptiſtam de ſancto Blaſio J. U. D. Præmiſſa eſt Joh. Andreæ Arbor actionum a Baptiſta de S. Blaſio correcta, & aucta. Venetiis per Erhardum Ratdolt 1481. in Fol. magn.

Opus iſtud in duabus columnis gothico charactere pereleganti præſtantiſſimæ chartæ impreſſum eſt. Arbor cum Gloſſis Johannis Andreæ, & quæ his præmiſſæ ſunt, Gloſſis, ac explicationibus Baptiſtæ de S. Blaſio, folia duo priora, & tertii folii primam implet paginam. Et in his quidem initiales litteræ omnes ſunt rubro colore impreſſæ, ut plura alia hic occurrentia. Tria hæc folia non ſunt ſignata: at reliqua inde a quarto, ubi tractatus ipſe de actionibus incipit ſunt ſignata. Deſunt ubivis cuſtodes, numeri paginarum, earundemque inſcriptiones. Conſtat volumen integrum foliis impreſſis 25. Ad calcem ſequens exſtat notitia typis impreſſa: *Explicit ſolennis & vtilis tractatus de actōnibus & natura earum: compoſitus per prefatuȝ vtriuſqȝ iuris doctorem dominum Baptiſtam de ſcō Blaſio de Patauio In preſentiarū legentem iura canonica ad lecturam decreti ī dicto felici ſtudio Patauino.* M. cccc. Lxxxi. *inſtante menſe aprilis: ad laudem: honorem: & gloriam dei eterni. Impreſſus quoqȝ idem eſt tractatus impenſa & diligentia maxima Erhardi Ratdolt de Auguſta Uenetiis tertio nonas. madij. eiuſdeȝ anni. Lxxxi. feliciter completus. Laus deo.* Ejusdem auctoris plura alia opera juridica eodem anno ab eodem typographo Venetiis impreſſa recenſet Cl. Zapfius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte pag. 158. & 159. Conf dicta a me ad h. a. N. XLIV.

**XI.** Guidonis de Baiiſio Roſarium Decretorum, ſeu ampliſſimus in decreta commentarius: vulgo *Archidiaconus ſuper Decretis.* Venetiis per Joh. Herbort de Seligenſtat anno 1481. in Fol. magn.

Editionem hujus operis hac antiquiorem, ſed nota loci, anni, & typographi carentem recenſui *Faſcicul.* I. N. XXII. inter libros nota anni deſtitutos, ubi etiam quædam de auctore breviter dixi. Præſens hæc editio omnino dici poteſt ſplendidiſſima. Excuſa eſt enim in duabus columnis charactere plane elegantiſſimo, & impreſſa chartæ magnæ, ac præſtantiſſimæ, ſeu albedinem, ſeu firmitatem, ſeu demum munditiem ſpectes. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, paginarum numeri, & earundem inſcriptiones. Pa-

ginæ vero ſignatæ ſunt. In averſa folii primi pagina exſtat *Franciſci moneglienſis de Genua in Archidiaconum ſuper decretis a ſe caſtigatum Epiſtola*, in qua multa occurrunt in laudem hujus operis, atque auctoris, nec non typographi & eorum, qui ad editionem ſumptus ſuppeditarunt. Folio ſecundo auctoris ad Gerardum Sabinenſem Epiſcopum cujus erat Archidiaconus, Clericus, & Capellanus, Epiſtola dedicatoria legitur. In averſa autem pagina folii ejusdem ipſe incipit commentarius. Ad calcem voluminis non nihil uberior legitur notitia, quam recitabo integram: *Exactum inſigne hoc atque pclarū opus ductu auſpitiis optimo4 Joannis de Colonia. Nicolai ienſon ſociorūue Qui nō tm̄ ſummā curā adhibuere ut ſint hec & ſua queq3 ſine uicio & menda: verū etiam ut bene ſint elaborata atq3 iucundiſſimo littera4 caractere ɔfecta ut unicuiq3 pdeſſe poſſint & oblectare: more poetico. & prodeſſe uolunt & delectare poete. Huiuſce aūt operis artifex extitit ſūmus in hac arte mgr Joānes de Selgenſtat aleman9. qui ſua ſolertia ac uigiliis diuoq3 imprimēdi caractere facile ſup eminet oēs. Olympiadibus dñicis Anno uero milleſimo. cccc. Lxxxi. tertias nonas aprilis.* Accedit in prima ſequentis folii pagina Regiſtrum chartarum.

XII. Johannis Matthæi, ex nobili familia Ferrariorum, ex oppido grado prope Mediolanum oriundi, Medicinæ Doctoris, & Profeſſoris, Medicina practica, ſeu commentarius & additiones ad librum Almanſoris dictum. Mediolani per Petrum Anton. de Caſtilione 1481. in Fol.

Opus iſtud in duas partes eſt diſtributum, impreſſumque eleganti chartæ, ampliſſimis marginibus inſtructæ, gothico charactere, in duabus columnis. Parti primæ hic quaſi titulus in fronte primæ columnæ primæ itidem paginæ eſt præfixus, rubroque impreſſus colore: *Pars prima commētarii textualis in nonum Almanſoris. cum ampliationibus & additionibus materierum.* (ſic) *per Magiſtrum Johannem Matheum ex Ferrariis de Gradi Mediolanenſem.* Tum immediate incipit operis dedicatio cæſari facta. In averſa pagina ſine ullo titulo auctoris incipit præfatio, ſeu introductio, in qua de Medicinæ origine, operis, quod Almanſoris dicitur, auctore & titulo, aliisque differit. Auctorem operis ſtatuit Babikit, Arabem Zachariæ Eraſis filium: Almanſoris autem dici affirmat, quod ad petitionem Almanſoris filii Iſaac Regis editus fuerit. Ad calcem primæ partis nulla legitur ſubſcriptio: parti vero ſecundæ typographus ſequentem adjecit notitiam: *Scda pars practice famoſiſſimi artiū & medicine doctoris dñi Jo. Mathei ex Ferrariis d' gradi ipſa Ml'i ductu & auſpiiciis ſolertiſſimi uiri dñi Petri antonii d' caſtiliono feliciter explicit. āno.* 1481. *qrto nonas maij. Johāne Galeazio Uice-Comite duce nro inuictiſſimo ac Principe feliciſſimo.* In averſa folii ejusdem pagina leguntur rubricæ capitulorum primæ, & ſecundæ partis. Accedit demum regiſtrum chartarum utriusque partis. Caret hæc editio cuſtodibus, numeris paginarum, & earun-

rundem inſcriptionibus. Sæpe etiam deſunt initiales litteræ, ſignaturas vero typographus adjecit. Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* &c. Maittaire Annal. T. I. nullum librum a Petro Anton. de Caſtilione ante annum 1493 excuſum noverant.

XIII. Francifci Zabarellæ, Patria Patavini, Archiepiſcopi Florentini & S. R. Eccleſ. Cardinalis, Lectura ſuper Clementinis. Venetiis per Johannem magnum de Seligenſtat ann. 1481. in Fol.

In averſa primi folii pagina legitur *Franciſci Moneliensis in lecturam Reuerendiſſimi in Christo patris domini Frãciſci Zabarelle Cardinal's ſup Clemẽtinis a ſe caſtigatã epſa;* ex qua diſcimus, hoc etiam opus ſumptibus Joh. de Colonia, Nic. Jenſon & ſociorum fuiſſe excuſum, quemadmodum opus N. XI. recenſitum. Eſt vero impreſſum iisdem litteris gothicis, elegantiſſimis illis, & chartæ præſtantiſſimæ in duabus columnis. Caret cuſtodibus, initialibus litteris, numeris paginarum, & earundem inſcriptionibus. Habet vero ſignaturas. In fine ſequens legitur ſubſcriptio: *Lectura Reuerendiſſimi iu chriſto patris domini Frãciſci de Zabarellis Cardinalis ſuper Clemẽtinis. per honorabilem virum Joannem magnum de Selgenſtat exactiſſima diligẽtia impreſſum Uenetiis. Anno incarnationis dominice. Mileſimo quadringenteſimo octuageſimo primo. xxviij. menſis Januarii. Finit feliciter.* In averſa pagina exſtat Regiſtrum chartarum.

XIV. Lectura Baldi ſuper libros codicis I. II. & III. Nec non etiam IV. & V. Venetiis per Joh. de Colonia, Nicolaum Jenſon, & ſocios. 1481. in Fol.

Exterior forma eſt prorſus eadem cum lectura auctoris ejusdem in ſextum librum codicis, quam in eadem typographia impreſſam recenſui ad annum 1480. N. XXXII. Lecturæ in tres priores codicis libros ſunt uno volumine comprehenſæ, ad cujus calcem leguntur ſequentia: *Bal. ſuper primo ſecundo & tertio. C. diligenter emendatus atq3 impreſſus ductu & expenſis ſumoru3 uirorum Johannis de Collonia.* (ſic) *Nicholai.* (ſic) *Jenſon ſociorũq3* Mccccl xxxi. *octauo Idus Januarij Explicit.* Ad calcem libri quarti: *Lectura Bal. ſuper quarto codicis diligenter correcta atq3 expolita ductu & ipenſis ſingulariq3 ingenio Johannis de Colonia Nicolai yenſon ſociorũq3. Nonis Februarij. M.* 1481. (ſic) *Explicit feliciter.* Brevior eſt ſubſcriptio, quæ ad calcem legitur libri quinti: *Baldus ſuper quinto. C. ſumma cura atq3 diligentia Johãnis de Colonia: Nicolai yenſon: ſociorũq3 impreſſus Explicit.* 1481. *pridie kalendas Februarii.*

jectos habent, ſed textum exhibent diverſum, ut ſunt præter alias *Saconi* editiones Lugdunenſes ab Alberto Caſtellano correctæ. Conf. Maſch. loc. cit. §. XXVII. Editionibus novem Genuinis, quas ibidem Cl. Maſchius enumerat, addenda eſt decima, a me ad annum 1482 N. XV. recenſenda.

XVII. Vocabularius Juris utriusque, ſeu lexicon alphabeticum vocabulorum in jure utroque frequentius occurrentium. Norimbergæ per Ant. Koburger 1481. in Fol.

Vocabularius iſte gothico charactere pereleganti in duabus columnis præſtanti chartæ impreſſus eſt. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, ſignaturis, numeris, & inſcriptionibus paginarum. In prima primæ paginæ columna legitur: *Incipit vocabularius iuris vtriuſq3.* Exhibet vero prima hæc columna non niſi præfationem. Vocabularius ipſe incipit in ſecunda ejusdem paginæ columna. Ad calcem voluminis, quod foliis conſtat impreſſis 110, ſequens legitur notitia: *Explicit vocabulari⁹ vtriuſq3 iuris pridie nonas ſeptembris Anthonii koburger Nureinberge* (ſic) *impenſis impreſſus & cōſummatus. Anno ſalutis.* M. cccc. Lxxxi.

XVIII. Guilielmi Poſtilla in Evangelia & Epiſtolas de tempore & diebus Dominicis, de Sanctis, de communi Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & pro Defunctis. Norimbergæ anno 1481. per Ant. Koburger. in Fol.

In averſa primi folii pagina primum quidem auctoris legitur præfatio, quæ incipit: *itam* (Vitam) *bonam & exitum beatū* &c. Tum auctores nominantur, ex quibus auctor ſua depromſit: explicantur abbreviaturæ in libro occurrentes, & demum notitia datur eorum, *Ad quos ſanct⁹ Paulus ſcripſit epſtas.* Folio ſecundo ipſum opus incipit gothico charactere in duabus columnis impreſſum. Caret litteris initialibus, ſignaturis, cuſtodibus, paginarum numeris, & earundem inſcriptionibus. Ad calcem voluminis hæc habes impreſſa: *Sacrorum euangeliorum dominicaliū. epiſtolarumq3 de tempore & ſanctis per anni circulum poſtilla feliciter finit. Ingeniiq3 ſublimitate Anthonii koburger Nurmberge pacta. Anno* ꝛc. M. cccc. Lxxxi. Noviſſimus ſcriptor, qui catalogum texuit omnium librorum a Koburgero impreſſorum, hujus operis non meminit. Conf. Leben Anton Koburgers Dreßden und Leipzig 1786. vel potius das chronologiſche Verzeichniß Biographiæ adnexum. Habet tamen Roederus pag. 21. N. 14. Editionem operis ejusdem nota loci, anni, & typographi carentem recenſui Faſcicul. I. N. LXXIX. ubi etiam de auctore operis quædam adnotavi.

XIX. Alberti Magni Commentaria in tres libros Ariſtotelis de Anima, nec non in librum de intellectu & intelligibili. Venetiis per Rainaldum de Novimagio. 1481. in Fol.

Impreſſum eſt hoc opus gothico charactere, & præſtanti chartæ in duabus columnis. Caret initialibus literis, cuſtodibus, & paginarum numeris. Habet vero ſignaturas, & paginarum inſcriptiones, e. g. *Liber Primus*. In fine tertii libri de anima ſequentia leguntur: *Alberti magni Epiſcopi Ratiſponēſ philoſophorum grauiſſimi: ſuper libro de anima ſententia foeliciter explicit:* in fine autem libri de intellectu & Intelligibili: *Alberti magni expliciūt ſnie libri de aīa & de intellctu & intellıbili;* (ſic) *Uenetiis p̄ mgrm raynaldū de Nouimagio impſſe.* 1481. His ſubjectum eſt regiſtrum chartarum.

XX. Hienach volget ein gar ſchône Cronick vnd hyſtori auß den geſchichten der Rômern. In wellicher hyſtori vnnd Cronick man vindet gar vil ſchôner vñ nützlicher exempel die gar lûſtlich vnd kurtzweilig ze leſen vnnd ze hôren ſeind. Auguſtæ Vindel. per Johannem Schönſperger 1481. in Fol. min.

Quæ tituli loco recitavi verba, leguntur in fronte operis, ſeu primæ paginæ. Impreſſum eſt litteris germanicis oblongis, paulo majoribus. Occurrunt paſſim figuræ, ligno inciſæ, & illuſtrandis, quæ narrantur, hiſtoriis, fabulisque deſtinatæ. Litteras etiam initiales magnas ligno inciſas typographus adjecit. Signaturæ vero, cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum deſunt. Ad finem voluminis ſequentia leguntur impreſſa: Ein ennde hat die hyſtori von den ſyben weyſen meiſtern, vnd die hat getruckt vnd volenndet Johannes ſchônſperger in der erwirdigen ſtat Augſpurg am montag vor ſant Michels tag, Do man zalt nach Chriſti geburt. M. cccc. Lxxxj. jar. Nihil de hoc opere habet Cl. Zapſius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte ad ann. 1481.

XXI. Vincentii Bellovacenſis, unius ex primis ordinis Prædicatorum Alumnis, opera complura ſimul edita, nimirum 1) Quatuor libri, dicti *Libri Gratiæ.* 2) Tractatus de Laudibus Mariæ Virginis Deiparæ. 3) Tractatus de S. Johanne Evangeliſta. 4) De eruditione, ſeu modo inſtruendorum filiorum Regalium. 5) Conſolatio ſuper morte amici. Baſileæ per Johannem Amerbach anno 1481. in Fol.

In averſa primi folii pagina legitur Præfatio ſeu typographi, ſeu illius, qui editioni præfuit. Huic ſubjunctus eſt operum in hac editione con-

tentorum breviſſimus catalogus. Folia quinque ſequentia indicem complectuntur capitum omnium quatuor librorum gratiæ. Porro cur gratiæ nomine inſigniti fuerint hi libri, ex illorum argumento facile intelligitur. Auctor enim, triplici ſpeculo ab ſe edito, naturali, doctrinali, & Hiſtoriali notiſſimus, in primo libro agit de æterna æque, ac temporali Chriſti generatione: in 2do de ejusdem incarnatione, & inter homines converſatione: in 3tio de ejusdem Paſſione: in 4to demum de ejusdem Reſurrectione, & Sancti Spiritus miſſione. Atque hi quidem libri, ut tractatus quatuor ſequentes gothico charactere pereleganti & luculento in duabus columnis chartæ firmiſſimæ, ſatis albæ tamen, & politæ, impreſſi ſunt. Deſunt cuſtodes, & paginarum numeri. Sed litteras initiales parvas, ſignaturas, ac paginarum inſcriptiones, e. g. *Liber Quartus*, ſc. Gratiæ, *Laudes Uirginis Marie* &c. ipſe typographus adjecit. In fine tractatus de S. Johanne Evangeliſta legitur ſequens ſubſcriptio:

*Finit liber de ſancto Johanne euangeliſta.*
*Da gloriam deo.*

In fine vero voluminis, ſeu tractatus de conſolatione ſuper morte amici leguntur carmina in laudem præcedentium operum, atque hujus editionis. Tria poſtrema diſticha recitabo:

*Perlege diuina vatūq3 volumina lector:*
*Et ſimul hoc noſt4 concelebrabis opus.*
*Ingenium moreſq3 uiri preſſoris & artem:*
*Regia cōmendat vrbs Baſilea ſatis.*
*De Amerbach natus nomen ſibi forte Johānes:*
*Finem operi impoſuit: dum pia virgo parit.*
*Idibɔ decēbrib9 Anno a Chriſti natali die Octua' geſimo pmo ſupra milleſimū quaterq3 centeſimū.*
*Bene Uale Lector.*

In prima folii ſequentis ultimi pagina impreſſa eſt tabula, cujus argumentum pandunt verſus eidem præfixi:

*Ut valeas citius chartis conjūgere chartas*
*Hec tibi monſtrabit tabula que ſequitur.*

## XXII. Liber ſextus Decretalium cum Apparatu Johannis Andreæ. Spiræ per Petrum Drach. 1481. in Fol.

Textus ipſe eſt gothico charactere majori, luculento admodum & pingui, eoque elegantiſſimo in duabus columnis impreſſus, commentaria vero quæ extremos quatuor margines occupant, charactere non minus eleganti gothico, eoque admodum minuto impreſſa ſunt. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum: hæ vero ſignatæ ſunt.

Char-

Charta eſt plane firmiſſima, alba etiam & polita. Ad calcem voluminis in ſeparato folio colore rubro, & charactere majori, eodem nempe quo textus eſt impreſſus, leguntur ſequentia:

*Decretaliū liber ſextus vna cum apparatu dñi Johannis andree in inclita Spirenſium urbe diligēter impreſſus. factore Petro drach iu-niore ciue inibi Anno domini. M. cccclxxxj. .xvij. menſis auguſti finit feliciter.*

His ſubjecta ſunt typographi inſignia, rubro pariter colore expreſſa, & nihil amplius.

## XXIII. Conſtitutiones Clementis V. cum Apparatu Johannis Andreæ. Spiræ per Petrum Drach. ann. 1481. in Fol.

Exterior hujus operis forma eſt prorſus eadem, quæ operis præcedentis, tum quoad typos, & chartam, tum quoad alia omnia. Ad calcem tertiæ columnæ folii ultimi impreſſi nigro colore, & eodem charactere, quo ipſe textus, impreſſa hæc leguntur: *Clementinarum hoc op⁹ p̄clarū in inclita ſpirenſiū vrbe impreſſum factore Petro Trach* (ſic) *inibi ciue. Anno dñi.* M. cccc. Lxxxj. xxj. *die mēſis ſeptembris feliciter eſt ɔſummatum.* Columna quarta folii ejusdem indicem exhibet titulorum.

## XXIV. Joh. Duns Scoti ſcripta in libros 4 ſententiarum Petri Lombardi a Thoma Panchet anglico, Theologiæ Profeſſore Patavino caſtigata. Ejusdem Scoti Quodlibeta. Norimbergæ per Antonium Koburger anno 1481. in Fol.

Impreſſa ſunt hæc opera minuto charactere gothico pereleganti, & præſtanti chartæ in duabus columnis. Deſunt ubivis cuſtodes, ſignaturæ, litteræ initiales, & numeri paginarum. In ſuperiori autem margine primæ paginæ cujusvis folii & librum & diſtinctionem typographus majuſculis characteribus deſignavit, e. g. *Liber ij. Diſt. xij.* Habent ſinguli libri ſubſcriptionem in fine peculiarem ſibi adnexam, quæ tamen, quod ſenſum attinet, eadem eſt omnibus communis. Igitur duas ejusmodi ſubſcriptiones recitaſſe ſufficiet, quarum una quidem ad calcem libri 4ti ſententiarum, altera vero in fine quodlibetorum legitur: Prior hujusmodi eſt: *Johānis duns ſcoti ſubtilis opus p̄clariſſimū in quartū ſententia4 ceteris theologie voluminibus diligentius caſtigatum . ꝑ venerabilē thomā anglicū ordinis heremitarum* (ſc. S. Auguſtini) *in theologia padue ordinariū. impſſione. ductu. & impenſis Anthonii koburger Nurēberge fideliter exaratū finit. xix. maij. Anno ſalutis* ⁊c. *Lxxxj.* In ſubſcriptionibus librorum primi & tertii annus quidem eſt expreſſus, deeſt vero diei no-

 ta.

ta. Subſcriptio vero libri ſecundi diei notam habet, nimirum *xxiij. aprilis.* Quodlibetta ſubſcriptionem habent ſequentem. *Finit quodlib3 Johannis duns ſcoti ſubtilis theologoru3 monarche: poſt ſcripta eiſdem ſup quatuor libris ſententiarū per Thomam panchet anglicū i ſtudio patauino ordinarie legente3 diligēter caſtigata. Et impenſis Anthonij koberger Nurnberge fideliter impreſſa. Anno ſalutis.* Mcccclxxxj Poſt hæc *Sequitur ordo queſtionū huius quodlib3*, & in fine hujus indicis: *Et ſic eſt finis.*

## XXV. Decretales Gregorii Noni cum Commentariis Johannis Andreæ. Venetiis per Johannem Herbort de Seligenſtat anno 1481. in Fol. magn.

In averſa primi folii pagina legitur *Franciſci genuenſis de monelia emendatio decretalium ad Illuſtrem principem ac dominū dn̄m Hieronymum Rearium Imole forliuii* ꝛc. *dominū ac ſancte Romane Eccleſie imperatorem generalem*, ſeu potius dedicatio operis a Franciſco de Monelia in hac editione emendati. Dedicationi in eadem pagina ſubjecta ſunt tria, quæ ſequuntur, diſticha:

*Dum cuperem placuiſſe tibi comes alme reari:*
*Conciui & domino: munera parua dedi.*
*Aſſcripſiſſe meos uolui tibi: parce: labores:*
*Semper ut eternum nomine uiuat opus.*
*Maiores maiora dabunt: ego pauper id ultra*
*Hunc dare nō potui: tunc dabo quū potero.*

Folio ſecundo ipſum opus incipit, impreſſum gothico charactere (textus majori in duabus columnis, commentaria minori in extremis quatuor marginibus) utroque elegantiſſimo, & præſtantiſſimæ chartæ. Signaturas, & litteras initiales parvas, has quidem in commentariis plerumque, in textu rarius, typographus adjecit. Deſunt vero cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. Ad calcem voluminis uberior de hac editione legitur notitia: *Exactum inſigne hoc atq3 p̄clarum opus ductu auſpitiis* (ſic) *optimo4 Joannis de Colonia. Nicolai ienſon: ſociorūue.* (ſic) *Qui nō tm̄ ſummā curam adhibuere ut ſint hec & ſua queq3 ſine uicio & menda. uerū etiam ut bene ſint elaborata atq3 iucundiſſimo litterarum caractere confecta: ut unicuiq3 & prodeſſe & oblectare poſſint. Huiuſce aūt operis artifex extitit ſūmus in hac arte mgr Joannes de Selgenſtat alemanus: qui ſua ſolertia ac uigiliis diuoq3 imprimendi caractere facile ſup eminet omnes. Olympiadibus dominicis: Anno vero milleſimo.* cccc. Lxxxj. *quarto idus ſeptembris.* In averſa pagina ejusdem folii exſtat *Regiſtrum decretalium*, ſeu chartarum potius.

## XXVI. Inſtitutionum Juſtiniani Imperatoris Libri IV. cum Gloſſa. Baſileæ per Michaelem Wenſsler anno 1481. in Fol.

In averſa primi folii pagina leguntur *Rubrice Inſtitutionū*, in duabus columnis impreſſæ. Folio ſecundo mox ipſum opus incipit, impreſſum charactere gothico pereleganti, tam majori, quo textus in duabus columnis, quam minori, quo gloſſa in extremis quatuor marginibus eſt excuſa. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, & numeri paginarum. Signaturas vero, & inſcriptiones paginarum, e. g. *Liber Secundus De Legatis* (ſc. Titulus) ipſe typographus adjecit. In quarta ultimi folii columna rubro colore, & eodem, quo textus, charactere impreſſa leguntur ſequentia: *Juſtiniani ceſaris preclariſſimum Inſtitutionum opuſ in celebratiſſima vrbe Baſilieſi qua3 aeris clemētia. agri vbertas. & hoim induſtria cetis vrbibus preſtantiorem facit. terſe. nitide. & emendate impſſu3 eſt per Michaelem wenſsler expletum deniq3 Anno noſtre ſalutis octuageſimo primo p⁹ milleſimum & quadringenteſimum pridie kalēdas Decembris.* Poſt medium paginæ ejusdem typographi inſignia rubro ſunt colore expreſſa.

## XXVII. Concordia Diſcordantium Canonum, ſeu Decretum Gratiani cum Apparatu Bartholomæi Brixienſis. Baſileæ per Michaelem Wenſsler ann. 1481. in Fol. magr.

Textus charactere majori gothico in duabus columnis, Apparatus, ſeu commentaria paulo minori, in extremis marginibus ſunt impreſſa. Character uterque perelegans eſt, charta magna, & præſtans. Signaturas, & litteras initiales parvas, has tamen non ubique. immo rarius, typographus adjecit. Cuſtodes vero, & paginarum numeri deſunt. In margine ſuperiori utriusque paginæ notatur Quæſtio cauſa vel diſtinctio, e. g. *Cauſa I. Queſtio VI. Diſtinctio LV.* & quidem charactere majuſculo, & rubro colore, quo etiam aliæ, quæ vocantur, rubricæ ſunt impreſſæ. In fine rubro pariter colore impreſſa leguntur ſequentia: *Anno dominice incarnacionis.* M. cccc. Lxxxj. *xiiij. kl. Septembris Sanctiſſimo in xpo patre ac dño domino Sixto papa qrto pontifice maximo. Illuſtriſſimo. nobiliſſime dom⁹ Auſtrie. Friderico. Romanorum rege glorioſiſſimo. rerum dñis. Reuerendiſſimo in xpo patre domio Caſpar. in nobili vrbe Baſilea. aeris temperie ac fructuum redundantia. iocūdiſſima artis impſſorie ſtudiorūq3 gimnaſiis haut parum omnipotentis gratuito munere ſublimata epiſcopatum gerente. ſuffragante diuina clementia. ſine cuius ope nihil rite finitur. hoc preſens Graciani decretum vna cum apparatu Bartho. Brixieñ. in ſuis diſtinctionibus & cauſis bene viſum & emendatum. non atramentali penna cannave. ſed arte quadam ingenioſa imprimendi ad laudem omnipotentis dei Michael wenſsler ſuis cōſignando armis ſelicit' conſummauit.* Subjecta ſunt typographi inſignia, & nihil præterea.

XXVIII.

XXVIII. Innocentii IV. Rom. Pont. Commentaria in Decretales. Venetiis ſumptibus Joh. de Colonia &c. per Johannem de Seligenſtat ann. 1481. in Fol. magn.

Famoſiſſimum iſtud opus auctori ſuo nomen, *Pater veritatis*, peperit. Inde patet, quanto in pretio habitum fuerit. Præſens ejus editio eſt gothico charactere elegantiſſimo, magnæ, & præſtantiſſimæ chartæ in duabus columnis impreſſa, ut adeo exterior forma jucundiſſimum oculis ſpectaculum exhibeat. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, numeris, & inſcriptionibus paginarum. Habet vero ſignaturas. In averſa primi folii pagina exſtat *Franciſci monelienſis de Genua in lecturam Innocentii pape quarti a ſe caſtigatā Epiſtola*, in qua multa habet in laudem cum operis ipſius, tum præſentis editionis. In fine ſubſcriptio habetur ſequens: *Exactum hoc preclarum opus impenſa caractereq3 iucundiſſimo optimorum Johannis de colonia Nicolai ienſon ſociorumq3: qui non ſolum ſummā curam adhibuere: ut ſint hec ſuaue* (ſic) *queq3 ſine vicio: uerum ut laute ſint elaborata: ut cuilibet more poetico & cpdeſſe poſſint & oblectare. curam ac huius rei diligentiā adhibuit ſummus in hac arte vir: magiſter iohannes de ſelgenſtat alemanus: vir non mediocriter obſeruandus. Impreſſum Uenetiis. Anno ſalut.* M. cccc. Lxxxj. xv. *Junij.*

XXIX. Henrici de Zoemeren, Theologiæ Profeſſoris & Decani Antverpienſis Epitoma primæ partis Dialogi de Hæreticis a Guilhelmo Okamo compoſiti. Lovanii per Johannem de Weſtphalia anno 1481. in Fol. min.

In fronte operis exſtat *Epiſtola magiſtri Henrici de Zoemeren ſacre theologie profeſſoris & decani Antwerpieñ Ad dñm Biſſarionem* (ſic) *Cardinalem Nicenū que eſt vice prologi in opus ſequens.* Terminatur epiſtola, in qua auctor dicti Cardinalis Capellanum ſe adpellat, teſtaturque, illo hortante vel potius jubente hanc epitomam a ſe fuiſſe concinnatam, in averſa primi folii pagina linea 5. Opus impreſſum eſt præſtanti chartæ litteris ſingularis formæ oblongis juſtæ magnitudinis. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, paginarum numeris, & inſcriptionibus. Habet vero ſignaturas. In fine typographus ſequentem adjecit notitiam: *Eruditiſſimi uiri Magiſtri Henrici de Zomeren ſacre theologie profeſſoris & Decani Antwerpieñ Epithoma in primam partem Dialogi, G. Ockam Finit feliciter Impreſſum* (ſic) *Louanii per me Joannem de Weſtfalia Sub Anno xpiane natiuitatis. M. CCCC. Lxxxj. Maximiliano Illuſtriſſimo Auſtrie Duce Brabantie preſidente.*

**XXX. Johannis Canonici, ordinis Minorum, Quæſtiones ſuper octo libros Phyſicorum Ariſtotelis. Venetiis per Octavianum Scotum de Modoetia anno 1481. in Fol. min.**

Opus iſtud gothico charactere in duabus columnis præſtanti chartæ impreſſum eſt. Caret initialibus litteris librorum, cuſtodibus & paginarum inſcriptionibus. Ad calcem voluminis hæc habes impreſſa: *Qõnibus ſubtiliſſimis clariſſimi doctoris Joannis canonici ex orat'e* (ſic) *mino4 oi cura & diligētia venerãdi fris Frãciſci de benzonib⁹ de crema bacchalarij ſacre theologie i ȝuentu Venetia4 ep igenio adhibita finē ipoſuit Octauian⁹ Scotus de Modoetia. M. CCCC-LXXXI.* Accedit index Quæſtionum quatuor foliis impreſſis comprehenſus.

**XXXI. Ægidii Romani, Ord. Erem. S. Aug. Quæſtiones Quodlibetæ in ſex partes, ſeu libros diviſæ. Bononiæ per Dominicum de Lapis anno 1481. in Fol. min.**

In averſa primi folii pagina incipiunt *Tituli queſtionuȝ primi qɔlibȝ Dñi Egidii archiepi ordiniſ heremit4 ſãcti auguſtini*, & ſequuntur tituli ceterorum etiam Quotlibetorum, impreſſi in duabus columnis gothico charactere minuto, ut ipſum opus, ac terminati in averſa ſecundi folii pagina. Folium tertium eſt vacuum. Quarto autem folio *Incipiunt qdlȝ celeberrimi ac excellentiſſimi doctoris dñi Egidii de Roma bituricenſis archiepi: ordinis fratrum heremitaruȝ Sancti Aguſtini* (ſic) Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. Signaturas vero typographus adjecit. In fine voluminis hæc habes ſubſcripta: *Egidii Romani Bituricenſis Archiepiſcopi fundatiſſimi qȝ doctoris ſacri ordinis fratrum Heremitarũ diui Auguſtini perutiſima* (ſic) *quotlibeta feliciter finiunt. Cura induſtriaqȝ Fratris Simonis de Ungaria ordinis ante dicti per Magiſtruȝ Dominicum de lapis Bononie Impreſſa Anno dñi.* M°. cccc°. Lxxxi°. *die xxii. maii.*

**XXXII. S. Thomæ Aquin. Commentarius in librum quartum ſententiarum. Venetiis per Joh. de Colonia, Nicol. Jenſon & ſocios anno 1481. in Fol. min.**

Impreſſum eſt hoc opus præſtantiſſimæ chartæ in duabus columnis charactere gothico. Habet ſignaturas, & paginarum inſcriptiones, e. g. *Diſ.* X. i. e. Diſtinctio decima. Caret vero initialibus litteris, cuſtodibus, & paginarum numeris. In fronte primæ columnæ primæ paginæ *Sancti Thomæ de Aquino ordinis predicato4 ſuper quarto libro ſententia4 preclarum opus feliciter incipit.* In fine autem voluminis hæc habes ſubſcripta: *Opus pcl4 ſacre pagine doctoris eximii ſancti Thome de aquino ſuper quartum ſententia4 impendio*

*Jo-*

*Johannis de colonia: Nicolai Jenſon ſociorūq3 ſumma cū diligētia uenetiis impſſum finit: Anno ſalutis dn̄ice.* MccccLxxxi. *octauo calendas Julii. Laus deo.* Accedit tabula, ſeu index quæſtionum, foliis ſeptem comprehenſus, & demum *Regiſtrum chartarum.*

## XXXIII. Priſciani Grammatici opera impreſſa Venetiis ſumptibus Michaelis Manzolini de Parma anno 1481. in Fol.

In fronte voluminis *Juliano Conſuli ac Patricio Priſcianus Salutem.* Finitur hæc epiſtola in averſa primi folii pagina linea 18. Tum immediate ſequuntur brevia argumenta operum Priſciani grammaticorum vulgo majoris, in ſedecim libros diviſi, & minoris, quod duobus tantum libris conſtat. Folio tertio demum paulo ante medium paginæ primæ incipit ipſum opus majus. Operi minori immediate adnexus eſt dialogus inter magiſtrum & diſcipulum de XII. Carminibus, ſeu analyſis verſus primi cujusvis libri Æneidos. Dialogum hunc excipit tractatus de Accentibus, de Ponderibus, & Menſuris, partim metrice conſcriptus. Ad hujus finem ſequentia leguntur ſubſcripta: *Volumen priſciani de octo partibus orationis: de conſtructione: de duodecim carminibus: de accentibus: de numeris & ponderibus & menſuris explicitum eſt. Anno domini. M. CCCC. LXXXI.* In averſa pagina folii, in quo hæc leguntur, nimirum folii ſignati *mmiii.* incipit tractatus de Præexercitamentis a Priſciano ex Hermogene translatis. Tractatum hunc excipit *Priſciani grāmatici de uerſibus comicis Ratio.* Huic adnexum eſt *Cōmentarium Rufini de metris comicis.* Volumen claudunt Tractatus de Declinatione nominum & verborum, & *Priſciani interpretatio ex dionyſio De orbis ſitu.* Ad calcem hujus interpretationis metricæ hæc habes ſubſcripta: *Impreſſum Veneciis Impenſis Magiſtri Michaelis Manzolini de Parma. Anno Domini. MCCCCLXXXI. Die xv. Menſis Decembris.* Accedit *Regiſtrum* (chartarum) *hujus voluminis.*

Typis impreſſum eſt hoc opus rotundis perelegantibus, & luculentis. Græca, quæ paſſim occurrunt, accentus habent. Deſunt cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. Litteras vero initiales parvas, & ſignaturas typographus adjecit. Charta eſt præſtantiſſima. Priſcianus Romæ natus eſt, Cæſareæ vero in Palæſtina litteras didicit; quas Conſtantinopoli poſtmodum docuit. Fuit Caſſiodoro coævus, floruitque adeo ſæculo ſexto. Operum Priſciani editiones plures noſtram hanc præceſſerunt, nimirum omnium, ut creditur, prima ann. 1470. ſine loco & typographo. Venetæ duæ eodem anno 1476. altera per Joh. de Colonia & Joh. Manthen, altera impenſis Marci de Comitibus, & Girardi Alexandrini. Attamen noſtra typorum tam græcorum quam latinorum elegantia vix cuiquam ex his cedet.

XXXIV.

XXXIV. *Incipiũt queſtiones perutiles ſuper tota phĩa magiſtri Joãnis Mgri doctoris pariſiẽſis cum explanatiõe textus Ariſtotelis ſecundum mentẽ doctoris ſubtilis Scoti.* Parmæ anno 1481. in Fol.

Verba, quæ tituli loco recitavi, leguntur in prima primæ paginæ columna. Opus impreſſum eſt gothico charactere admodum minuto, ſed eleganti, ac præſtanti inſuper chartæ. Deſunt cuſtodes & paginarum numeri. Signaturas vero, & litteras initiales parvas typographus adjecit. In ſuperiori etiam margine primæ paginæ cujusvis folii idem notavit librum, e. g. *Primo phyſicorum.* Continentur autem in hoc volumine quæſtiones in 1) octo libros Phyſicorum. 2) In libros quatuor de Cœlo & mundo. 3) In libros duos de generatione & corruptione. 4) in tres libros Metheororum. 5) in libros tres de Anima. 6) In libros de ſenſu & ſenſato. 7) De memoria & reminiſcentia. 8) De ſomno & vigilia. 9) De longitudine & brevitate vitæ. Ad calcem poſterioris hæc leguntur ſubſcripta: *Queſtiones putiles ſup tota phĩa nãli magiſtri Joãnis de Magiſtris doctoris pariſiẽſis cũ explanatiõe textus Ariſtotelis ſm mẽtẽ doctoris ſubtilis ſcoti feliciter finiunt. Impreſſũ Parme anno dñici natalis.* 1481. *die vo xijª. menſis Decembris.* Accedunt Regiſtrum chartarum, & tabula, ſeu index Quæſtionum.

XXXV. Gualteri Burlæi, Angli, Expoſitiones decem librorum Ethicorum Ariſtotelis. Venetiis per Octavianum Scotum Modoetienſem. anno 1481. in Fol.

Singulæ paginæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. Litteræ ſunt gothicæ minores. Charta firma eſt & nitida. Signaturas & paginarum inſcriptiones, e. g. *Ethicorum Liber III.* typographus adjecit. Cuſtodes vero, paginarum numeri, & initiales litteræ deſunt. In fine voluminis hæc ſubſcripta leguntur: *Gualteri Burlei doctoris egregij ſuper decem libros Ethicoꝝ expoſitiones expliciunt. Uenetiis per Octauianum Scotuꝫ Modoetienſem Anno ſalutis.* M°. ccccLxxxi. *Sexto idus Maij Joanne Mocenigo Inclyto Uenetiarum Duce.* Accedit *Regiſtrum*, ſc. chartarum. Auctor operis Scoti auditor quidem, minime vero opinionum illius ſectator exſtitit. Quin Profeſſor factus Oxonienſis totus fere fuit in refutandis Scoti opinionibus. Præter vitas Philoſophorum Faſc. I. ad ann. 1472 recenſitas ſcripſit Expoſitiones in varios Ariſtotelis libros, vixit adhuc anno 1337.

XXXVI *Altiſſimi doctoris Antonij andree ſeraphici ordinis minorum queſtiones ſubtiliſſime ſup̲ duodecī libros methaphiſice A4 felicit̄ icipiūt.* Hæc rubro impreſſa colore in fronte primæ columnæ, primæ itidem paginæ leguntur.) Venetiis per Antonium de Strata ann. 1481. in Fol.

Hoc opus gothico charactere minuto in duabus columnis præſtanti chartæ impreſſum eſt. Habet ſignaturas & paginarum inſcriptiones. Caret vero initialibus litteris, cuſtodibus, & paginarum numeris. Ad calcem leguntur ſequentia: *Queſtionibus ſubtiliſſimis ſup̲ duodecim libris A4. editis ab altiſſimo doctore. Antonio Andrea ordinis mino4 finis feliciter ipoſitus ē ſub anno dn̄i.* 1481. 24. *die decembris opa & arte cpuidi viri Antonij de ſtrata d' Cremona. In clariſſima ciuitate venetiarum.* Subjecta eſt *Tabula*, ſeu index materiarum, nec non *Regiſtrum* chartarum. Auctor Scoti diſcipulus fuit, natione Aragonius. Præſens ejus opus jam ante Vicentiæ anno 1477 per Hermannum Lichtenſtein typis excuſum fuit.

XXXVII. Faſciculus temporum. Venetiis per Erhardum Ratdolt anno 1481 impreſſus, & ad hunc usque annum continuatus. in Fol.

De opere ipſo,, ejusque auctore ſcitu neceſſaria dixi ad annum 1480. N. XXVI. Præſens editio præmiſſum habet indicem alphabeticum materiarum, foliis ſeptem impreſſis comprehenſum. Deeſt vero primum folium in noſtro exemplari. Folio 8 *Faſciculus temporum omnes antiquorum cronicas cōplectens incipit feliciter.* Continet autem hoc folium non niſi auctoris præfationem. Ab hoc folio ad finem usque operis folia in ſuperiori margine numeros habent adpreſſos, conſtatque volumen integrum foliis numeratis 64. Impreſſum eſt minutiſſimo charactere gothicæ formæ, ſed admodum eleganti. Charta quoque & firma eſt, & munda. Cuſtodes, ſignaturæ, & paginarum inſcriptiones deſunt. In fine voluminis primum quidem ſequens de morte Mahumetis legitur relatio: *Anno dn̄i* 1481 *Mahometus ottonianus qui iā ꝑ* 30 *annos infeſtiſſime xp̄i fideles pſecutus fuerat multiſq3 terris xpianitatis ſue ditioni ſubiugatiſ atrociſſimis belis tande3 deſcendit ad inferos. tertia die mai.* His ſubjecta eſt ſequens notitia: *Faſciculus temporū oēs quaſi antiquas choronicas* (ſic) *mortaliū uſq3 ad hec tempora cōplectens felicit̄ explicit Impreſſuſq3 impenſa & arte mira Erhardi rodolt* (ſic) *de auguſta.* 1481. 12. *calen̄. Jan̄.* Locus impreſſionis hic quidem non eſt expreſſus. Verum conſtat aliunde, Erhardum Ratdolt ab anno 1476 - 1485 Venetiis verſatum fuiſſe. Conf. Zapfs Augsburgs Buchdruckergeſchichte.

XXXVIII. *Incipit tractatus quidā de Turcis ꝗput ad p̄ſens eccleſia ſancta ab eis affligit. collectus diligēti diſcuſſione ſcripturarū a q̄buſdā fratrib⁹ ordinis p̄dicatorum q̄ etiā ď tribꝫ ꝓcipalit' tractat. Primo de autenticatōne ſcripturaꝝ loquētiū de p̄ſnti afflictiōe eccleſie. Scd'o de culpis & cauſis hui⁹ afflictionis Tercō de eius duratōe & termīo q̄ntū videlicꝫ tp̄is eccleſia ab eis affligetur.* Norimb. per Conrad. Zeninger 1481. in 4.

Hæc verba leguntur in fronte opuſculi, quod charactere gothico paulo majori, admodum luculento & eleganti impreſſum 22 tantum conſtat foliis, ſignatis a. b. c. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, numeris, & inſcriptionibus paginarum. Sed in margine exteriori brevia dictorum argumenta leguntur impreſſa. Abbreviaturæ ſunt admodum frequentes. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta, ſed hæc rarius. In fine impreſſa hæc leguntur: *Explicit tractat⁹ collect⁹ āno dn̄i.* M. cccc. Lxxiiij. *a quibuſdā fratribus ordinis p̄dicatoꝝ: de preſenti afflictione eccleſie: illata a turcis: declarans ꝑ autēticas ſcp̄turas quomō ipſa ſit preſignata. & ꝓpter que peccata chriſtianorum ſit inflicta. & quando ſit finienda. Impreſſus āno dn̄i.* M. cccc. Lxxxj. *nurēberge per conradum Zeninger.*

XXXXIX. Alexandri de Ales Ordinis Min. Summa Theologica. Norimbergæ per Anton. Koburger 1481, & 1482. Voll. IV. in Fol. magn.

Operis hujus pars tantum ſecunda anni 1481 notam habet. Reliquæ tres partes primum anno 1482 prodierunt in lucem. Placuit tamen hic eos ſimul recenſere, eoquod ejusdem operis ſint partes, eandemque habeant externam formam. Hanc igitur quod attinet, impreſſum eſt opus iſtud gothico charactere minuto, & pereleganti in duabus Columnis præſtanti chartæ, in qua nullum adparet chartarii ſignum. Deſunt ubivis initales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, & paginarum numeri. In ſuperiori margine primæ paginæ cujusvis folii charactere gothico majori indicatur quæſtio, quæ pertractatur, e. g. *Queſtio LVI.* In averſa pagina primi folii primæ partis *In laudem irrefragabilis doctoris diui Alexandri de Ales: ordinis beatiſſimi Franciſci: pangericū* (ſic) *carmen incipit.* Carminibus hisce hæc in eadem pagina ſubjuncta ſunt: *Anno ab incarnatione domini.* M. ccxlv. xii. *kal'is Septembris obiit idem irrefragabilis doctor: pariſius ſepultus: cuius tumba his preconiʒatur metris.*

*Clauditur hoc ſaxo famam ſortitus abunde:*
*Gloria doctoꝝ decus & flos philoſophorum*
*Auctor ſcriptorum vir Alexander varioꝝ*
*Norma modernorū: fons veri: lux alioꝝ.*

*Inclitus anglorum fuit archileuita: ſed horum*
*Scriptor cleric4: frater collega minorum*
*Factus: egeno4 fit doctor: primus eorum*
*Siquis hono3 meritis: ſiqui virtute colunt*:*
*Nec ſorde & culpa pigritere per ocia deſes:*
*Nanciſci ſtudio que minor iſte refert.*

Pars hæc prima, ceteris, quod volumen attinet, minor, quæſtiones complectitur LXXIV. Ad calcem vltimæ quæſtionis hæc leguntur impreſſa: *Explicit prima pars ſumme alexandri de Ales doct. irrefragabilis theologorum monarche diligenter emēdate impenſis atq3 induſtria• Anthonii koburger nurenberge impreſſa & finita Anno ſalutis xpiane.* M.cccclxxxij. *die* xxiiij. *menſis Januarij.* Accedit index materiarum & quæſtionum foliis quatuor impreſſis comprehenſus. Index ejusmodi parti ſecundæ in noſtro quidem exemplari eſt præfixus, & novem implet folia. Folio decimo *Incipit liber ſecūdus ſumme Alexandri de ales: irrefragabilis doctoris parienſis:* (ſic) *ordinis minorū obſeruantiſſimi.* Complectitur hic liber quæſtiones CLXXXIX. & in fine hæc habet ſubſcripta: *Explicit ſecūda pars ſūme Alexandri de Ales irreuocabilis* (ſic) *anglici doctoris Anthonij koburger impenſ Anno xpiane ſalutis* M°. cccc°. Lxxxj. *iij. kl'. decembris.* Pars etiam tertia indicem habet præfixum, eumque foliis quinque comprehenſum. Folio ſexto *Tercia pars ſūme diui Alexandri de Ales: irrefragabilis doctoris pariſienſ: ordinis mino4 obſeruantiſſimi xpi nomine inuocato incipit.* Continet pars iſta quæſtiones LXXXII, & in fine quæſtionis ultimæ hanc habet ſubſcriptionem: *Tercia pars ſumme alexandri de ales theologorum pariſienſiu3 monarche doctoris irrefragabilis q̄ diligēter emendata & ad ordinem redacta. Impenſis Antonii koberger Nuremberge impreſſa finit: conſūmata pridie nonas Maij. Anno xpiane ſalutis.* M. cccclxxxij. Index quartæ parti præfixus novem implet folia. Folio decimo *Quarta pꝫ ſumme Alexandri de Ales theologorū monarche incipit feliciter.* Continet quæſtiones CXIIII. Ad calcem ultimæ hæc leguntur impreſſa: *Incliti anglo4 leuite. theologo4 iſdem* (ſic) *tempibus monarche Alexandri de Ales: minorum fratris mendicantium primi doctoris Summa theologicalis Anthonii koburger Nurenberge impenſis impreſſa: q̄ diligenter viſa & in formalē ꝓceſſu3 directa experientia e docebit. Et ſub anno ſalutis xpianiſmi,* M. cccc. Lxxxij. xxiij. *Auguſti cōſummata eſt. Unde nō immerito; laudes & gratias referam⁹ deo.* Exemplaria hujus editionis, integra ſaltem, raro ſunt obvia. Plerumque una, vel altera pars deeſt. Quare merito inter Bibliothecarum Cimelia refertur. Roederus in Catalog. Libr. Sæc. XV. Norimb. Impreſſ. pag. 24. N. 174. partem ſecundam ad annum 1482 retulit, licet jam ante pag. 19. N. 138. ad annum 1481 eandem excitaſſet. Noviſſimus ſcriptor des Leben Anton Koburgers partem 2dam excitavit ad annnm 1481. idem vero ad annum 1482 omnes quatuor partes denuo ad annum 1482. retulit. Neuter igitur exactam de hac editione notitiam habuit.

XL.

XL. Alberti magni, ſeu potius Henrici de Saxonia, Alberti M. Diſcipuli, Tractatus de Secretis Mulierum. Sine loci & typographi nota anno 1481. in 4to.

In fronte opuſculi, quod foliis impreſſis 42 comprehenditur, auctoris legitur Præfatio ſine ullo titulo eidem præfixo. Terminatur in averſa primi folii pagina, linea 16. tum ſequitur immediate:

*Titulus*

*Ncipiunt ſecreta mulierum & virorum ab Alberto magno compoſita.*

Litteræ ſunt gothicæ ſingularis formæ, paulo minores, & ſatis tamen pingues. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones, nec non initiales litteræ ſectionum majorum, excepta prima præfationis, quæ magna eſt ligno inciſa, ſc. S, in medio virum exhibens tunica talari indutum, & cappam oblongam eamque rotundam in capite geſtantem. Charta ſatis eſt firma, & munda. Chartarii ſignum nullum occurrit, quam caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. Ad calcem opuſculi hæc tantum leguntur impreſſa: *Finis huiꝰ tractatuli venerabilis Alberti magni.* Interjecto exiguo ſpatio hæc ſequuntur: *Anno incarnacōis. M°. CCCC°. LXXXI°. pñs opuſculum ꝯſūmatū eſt.* De loco impreſſionis & typographo non habeo, quæ proferam ſatis probabilia.

XLI. Oldradi de Laude Juriſconſulti Sæc. XIV. celeberrimi Conſilia Juridica. Per Eberhardum Fromolt anno 1481. in Fol. Sine loci mentione.

Editionem hujus operis, forte omnium primam, ad annum 1472 N. XI. recenſui. Præſens editio præmiſſam habet tabulam quæſtionum ſeu Conſiliorum foliis ſeptem comprehenſam; & gothico charactere in duabus columnis chartæ admodum albæ, & firmæ impreſſam, ut ipſum opus, quod folio octavo ſine ullo titulo, aut inſcriptione incipit verbis auctoris *N* (in) *nomine domini amen. In cauſa Eboraceñ. attendendū eſt* &c. Signaturas, & plerumque etiam litteras initiales parvas typograpus adjecit. Cuſtodes vero, numeri, & inſcriptiones paginarum deſunt. Chartarii ſignum eſt manus hominis. In fine uberior legitur de hoc opere notitia: *Finis conſilioꝝ (Eximii iuris utriuſqꝫ profeſſoris Oldradi de laude) q̄ꝫ plurimos caſus & queſtiones tam in cauſis temporalibus & ſpūalibus in facto quotidie emergentes conſulentium & deſcidentium* (ſic) *Vna cum tabula deſignante ſuo ordine titulos queſtionum & loca earundem per numeruꝫ folioꝝ Per Eberhardū frommolt impreſſorū. Et cum ſumma diligentiā correctoꝝ finitoꝝ hoc Anno dñi milleſimo quatercēteſimo octuageſimo primo. Et die. xix. menſis nouēbris. Ad laudem ſummi patris qui cum filio & ſpiritu ſancto trinus & vnus viuit & regnat per infinita ſeculoꝝ ſecula Amen.*

XLII.

XLII. Jacobi de Dondis Civis & Medici Paduani Sæculo XIV. celeberrimi *Aggregator*, ſeu opus medicum, ex diverſis auctoribus collectum, ſeu *Aggregatum* de Virtutibus Medicinarum, maxime ſimplicium, quæ in diverſas claſſes ordine alphabetico ſunt diſpoſitæ. Venetiis anno 1481. Sine nota typographi, in Fol.

Opus iſtud in duabus columnis præſtanti chartæ charactere gothico perpulchro impreſſum eſt. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, numeris & inſcriptionibus paginarum. Habet vero ſignaturas. In prima primæ paginæ columa ab initio hæc leguntur: *Aggregator. Cōpilatione. Clariſſimi phiſici Jacobi de dondis Ciuis. paduāi Prohemium operis.* Auctoris Prohemium, quod immediate ſequitur, excipiunt Rubricæ ſingulorum totius operis capitum. Atque hæc quidem omnia ſunt novem foliis impreſſis comprehenſa. Folio impreſſo decimo incipit *Primus tractat⁹ de* (hæc charactere majuſculo impreſſa ſunt, non item ſequentia) *primis virtutibus medicinarum cuius tria ſunt capitula.* In fine voluminis hæc tantum habes impreſſa: *Explicit Agregatio* (ſic) *clariſſimi medici Jacobi de dundis* (ſic) *Paduani. Venetiis feliciter īpreſſa. Anno domini.* m. cccclxxxi. x. *kalendas Junias. Laus deo.* Cl. P. Laire in *Specimin. Hiſtor. Typograph. Rom.* editionem anni ejusdem Romanam hujus operis excitavit. Verum videtur noſtram deſignare voluiſſe, hanc nempe venetam, ut ante me jam monuit P. Audiffredi loc. cit. pag. 247.

XLIII. Nicolai de Tudeſchis commentaria in Lib. I. Decretal. Baſileæ anno 1481 impreſſa. in Fol.

De his conf. Num. XXXII. ad ann. 1480.

XLIV. Baptiſtæ de S. Blaſio J. U. D. & Profeſſoris Patavini Tractatus juridici plures, nimirum 1) de privilegiis dotalibus. 2) Tractatus centum quæſtionum centum doctrinas continentium de differentiis inter arbitrum, & arbitratorem. 3) Tractatus correlativorum. 4) Repetitio ſolemnis ſuper prima Rubrica decreti. Impreſſit Erhardus Ratdolt Venetiis 1481. in Fol. magn.

Omnia hæc opuſcula eodem charactere, gothico nimirum pereleganti, eidemque chartæ, omnino præſtantiſſimæ, in duabus columnis impreſſa ſunt. Deſunt in omnibus cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. Initiales vero litteras magnas florentes, ligno elegantiſſime inciſas, & ſignaturas typogra-

pographus adjecit. Singulis in fronte primæ primi folii columnæ præmiſſus eſt peculiaris titulus, ſubjecta quoque peculiaris ſubſcriptio, adeo quidem, ut tractatus ſinguli ſeorſim haberi poſſint. Tractatus 1) quatuordecim conſtat foliis impreſſis, eumque, ut ex ſubſcriptione diſcimus auctor *expediuit* (complevit) Paduæ *die. xvj. ſeptembris.* M. cccc. lxx. — *Impreſſusq3 eſt idem tractatus in Uenetiis per Erhardum Ratdolt de Auguſta.* M. cccc. lxxxj. vj. *calen. Junii feliciter. Laus deo.* Ttractatum 2) auctor, teſte ſubſcriptione, compilavit, & promulgavit (i. e. publicum fecit) Mcccclxxxj. *die xxv. menſis Maii — Impreſſum quoq3 eſt* (hoc opus) *p Erhardum ratdolt de Auguſta iiij non. Junij Uenetiis felicit. Laus deo.* Conſtat foliis 20 impreſſis. Tractatus 3) octo tantum foliis impreſſis conſtans eſt *inchoatus* (ut in ſubſcriptione legitur) *die. xxiiij. iunij: z finitus* (ab auctore) *die viij. iulij.* M. cccc. lxxiij. — — *Que3 quidē tractatū Erhardus Ratdolt de Auguſta. xij. calen. iunij.* M. cccc. lxxxj. *Uenetiis impreſſit feliciter. Laus deo.* Tractatus demum 4) ſeu Repetitio ſolennis primæ Rubricæ Decreti *Repetita fuit — — in feliciſſimo ſtudio Patauino anno domini.* M. cccc. lxxx. — *Eande3 z Erhardus ratdolt de Auguſta imprimēs pridie calen. Junij.* M. cccc. lxxxj. *feliciter compleuit Uenetiis. Laus deo.* Conſtat hic tractatus foliis impreſſis tredecim. Præter quatuor hosce tractatus duos alios ejusdem auctoris ab eodem typographo hoc anno impreſſos recenſet Cl. Zapfius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte pag. 158 & 159. Verum Bibliographus iſte adfirmat, Tractatum de privilegiis dotalibus in fine hanc habere ſubſcriptionem: *Impreſſit Erhardus ratdolt de Auguſta XII. Calen. Junij Venetiis* 1481. Videtur hanc notitiam ex Bibliotheca Schwarziana, ad quam provocat, hauſiſſe. Verum hæc quidem notitia minime adcurata eſt. Hic enim tractatus non *XII. Calen. Junii*, quo tractatus correlativorum, ſed *vi. Calen. Junij* impreſſus eſt, ut ex ſubſcriptione a me recitata patet. Ceterum duo alii tractatus auctoris ejusdem ab illuſtri Zapfio loc. cit. indicati ſunt alter quidem de Actionibus, (ſupra N. X. ad h. a. a me recenſitus) alter de Orationibus.

## ANNO 1482.

**I. Ob einem man ſey zů nemen ein eelich weib oder nit,** ſive de vitæ conjugalis commodis & incommodis. Auctore Alberto ab Eybe Archidiacono Würzburgenſi, nec non Canonico Bambergenſi, & Eichſtettenſi, J. U. Doctore. Impreſſ. Auguſtæ Vind. per Joh. Schönſperger anno 1482. in Fol. min.

In prima primi folii pagina auctoris legitur præfatio, ex qua diſcimus, eum opus iſtud anno 1472 ſenatui & civibus Norimbergenſibus dedicaſſe, & Xenii loco obtuliſſe. In averſa folii ejusdem pagina operis in tres partes diviſi, breve argumentum exhibetur. In fronte folii ſecundi verba legun-

leguntur, quæ tituli loco recitavi. Impreſſum eſt opus litteris germanicis, oblongis illis, & ſatis pinguibus. Litteræ initiales magnæ ligno inciſæ ſunt. Cuſtodes vero, ſignaturæ, numeri & inſcriptiones paginarum deſunt. In fine hæc tantum impreſſa leguntur: Gedruckt zů Augſpurg vō hannſen Schōnſperger am Samſtag vor Geori. (ſic) Anno domini ꝛc im *Lxxxij*. jare. Nihil de hoc opere anno 1482 Auguſtæ impreſſo habet Cl. Zapſius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte.

**II. Von Ordnung der Geſundheit. — Opus initio, & in fine mutilum — ſed probabiliter anno 1482 Auguſtæ per Joh. Bämler impreſſum, in Fol. min.**

Incipit verbis ex indice operi præfixo Item von dem vnwillen czů dem ennd auſs, was nucz dauon kōme &c. In averſa pagina folii ejusdem figura exhibetur ligno inciſa, quæ virum repræſentat nudum, cui a dextris & ſiniſtris duo adſtant alii, quorum ille quidem vaſculum manu dextra, hic librum apertum utraque manu tenet. In fronte folii ſequentis hæc verba leguntur: Hie volgt ein nüczlich regiment wer ſich darnach haltet der mag ſein leben lang in geſuntheyt behalten. Cl. Zapſius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte N. II. ad annum 1482. librum recenſet a Johanne Bämler eodem anno impreſſum, cui titulus in fronte iisdem verbis (una tantum alterave ſyllaba mutata) conceptus eſt præfixus. Idemne ſit cum Zapſiano hoc is quem præ manibus habeo, non poſſum certo adfirmare: videtur mihi autem probabile admodum. Ceterum exemplar noſtrum habet litteras initiales magnas ligno inciſas, easque florentes. Cuſtodes vero, ſignaturæ, numeri & inſcriptiones paginarum deſunt. Ad finem libri quarti ſequentia leguntur: Hie endet ſich das vierde bůch, darjnn man vindet wie man eyn geſunden vnd krancken menſchen erkennen ſoll vnd was ein yeglich harm puls vnd gelaſſen plůt bedeüt. In averſa pagina legitur Ein gůten trien machen; & hæc quidem eſt ultima noſtri exemplaris, terminata verbis Item er mag trincken gerſten waſſer. Qui exemplar completum hujus operis nactus fuerit, ex dictis facile dijudicabit, idemne ſit exemplar a me deſcriptum cum Zapſiano ſupra laudato, quod in fine hanc habet ſubſcriptionem: gedruckt vnd vollendet von Johanne Bämler zu Augspurg an dem nächſten mōntag nach ſant Gilgentag nach Chriſti vnnſers lieben herrn gepurt M. cccc. vnd darnach *lxxxij*. jar.

III. Ariſtotelis 1) Libri octo Phyſicorum. 2) Libri tres de Cœlo & mundo. 3) Libri duo de generatione & corruptione. 4) Libri quatuor Metheororum. 5) Libri tres de Anima. 6) Liber de Plantis. 7) Liber de Coloribus. 8) Liber de Morte. 9) Liber de Intelligentia. 10) Liber de Lineis indiviſibilibus. 11) Liber de Inundatione Fluvii. 12) Liber Phiſiognomiæ. 13) Liber de cauſa motus animalium. 14) Epiſtola ad Alexandrum M. 15) Ariſtotelis vita. 16) Liber de ſenſu & ſenſato. 17) Liber de Memoria & Reminiſcentia. 18) Liber de Somno & Vigilia. 19) Liber de cauſis. 20) Liber de bona Fortuna. 21) Liber de longitudine & brevitate vitæ. 22) Liber de Juventute & Senectute. 23) Liber de Aſpiratione & Reſpiratione. 24) Liber de Morte & Vita. 25) Libri duodecim Metaphyſices. — Accedit ſeorſim impreſſus Averois Tractatus de Subſtantia orbis. Venetiis per Philippum Venetum anno 1482 in Fol.

Omnia hæc Ariſtotelis opera ita alterum cum altero ſunt connexa, ut ſeparari non poſſint. Quare nullus dubito, quin ſimul in lucem prodierint. Impreſſa ſunt præſtantiſſimæ chartæ litteris rotundis perelegantibus, & luculentis. Initiales litteras parvas, ſignaturas, & paginarum inſcriptiones e. g. *Liber ſecundus Phyſicorum*, ipſe typographus adjecit. Deſunt vero cuſtodes & paginarum numeri. In fine libri duodecimi Metaphyſices ſubſcriptio ſequens legitur: *Explicīut oper Ariſtotelis de naturali philoſophia impreſſa Venetiis Duce inclito Joanne Mocenigo per magiſtrum Philippū Venetum: eiuſq3 impenſis diligētiſſime emendata: Anno domini Milleſimo. cccc. Lxxxii. pridie Nonas Aprilis.* In averſa pagina folii ejusdem, in quo hæc leguntur, verſus habes impreſſos ſequentes.

*Petrus Antonius ſforȝantes de Fauētia.*
*Quiſquis Ariſtotelis ſumpturus dogmata tendis:*
*Commoditas paruo (ne fuge) multa dabit.*
*Noueris hoc quātum natura uolumine preſtet:*
*Et cœli cauſas: actaq3 clauſtra poli:*
*Nec non ut cōſtet nullum ſub ſydere natum:*
*ſ3 morte & uita ſingula quæq3 regi:*
*Fulmina quis iaciat: qui conſtent æthere nubes:*
*Cur phoebus gelidas grādine mittat aquas.*
*Deniq3 quo mundi traſcēdens aſtra meatu*
*Spiritus in terris cuncta reuiſat ouans:*

*Quid ſenſus captet: quid mens ſibi cōſcia recti*
*Proderit: æternū cum petet illa decus:*
*Cur ſpirent homines: quid uos animalibus addat:*
*Qui uigeant: ruga cur tenet atra cutem:*
*Cauſaq3 cauſarū ſolio ſubnixa perenni:*
*En præbet curſus: tollat ut aura leuis:*

Averois de ſubſtantia orbis tractatus novem tantum conſtat foliis impreſſis eodem, quo præcedentia, charactere, & in fine hæc tantum habet ſubſcripta: *Explicit Auerois de ſubſtātia orbis.* Orlandi in *Origine e Progreſſo* &c. pag. 29. hanc editionem indigitaſſe videtur, ita tamen, ut, qui eam non vidit, neſciat, quid contineat. En ipſa Orlandii verba: *Ariſtotelis Phyſic. & Metaph. latine. fol. per eund.* (ſc, Philippum Petri Venetianum) *Pridie Nonas April. ibid.* (Venetiis) 1482. Iisdem fere verbis editionem eandem excitavit Maittaire Tom. I. pag. 430.

## IV. Gerhardi Odonis, Ord. Min. Miniſtri Generalis, & Patriarchæ Antiocheni Sæc. XIV. commentarius in decem libros Ethicorum Ariſtotelis a Gratio Brixiano ejusdem ordinis editus. Impreſſus Brixiæ anno 1482 ſumtibus Bonifacii de Manerva. in Fol.

In averſa primi folii pagina *Incipit regiſtrū*, ſc. chartarum. Folio autem ſecundo incipiunt tituli Quæſtionum, quos excipit index alphabeticus materiarum, gothico charactere pereleganti in duabus columnis, ut ipſum opus, impreſſus, & cum præcedentibus, octodecim foliis comprehenſus. In averſa folii decimi noni pagina legitur editoris epiſtola dedicatoria ad Franciſcum Sanſonem Brixianum, Ord. minorum Miniſtrum Generalem, in qua teſtatur, ſe in hoc opere edendo omnem adhibuiſſe diligentiam, ut emendatum prodiret in lucem. Diſcimus ex eadem, editorem tum quidem Bononiæ theologicas habuiſſe lectiones. Scripſit vero Epiſtolam *Ex Brixia kl. Maijs.* Folio 20 *Incipit ſcriptum ſuper librū ethicorū editum a fratre Geraldo odonis de ordine fratrum minorū Magiſtro in theologia ꝛc.* Caret initialibus litteris, cuſtodibus, & paginarum numeris. Habet vero ſignaturas, & paginarum inſcriptiones, e. g. *Libro: V.* In fine voluminis hanc habes notitiam: *Impreſſa Brixie ad expenſas. Sp. dñi Bonifacij de manerua.* M. cccc. Lxxxij. *die vltimo aprilis.* Meminerunt hujus editionis, ſed ſine adjecto typographi, ſeu potius Bibliopolæ nomine Orlandi pag. 163. & Maittaire Tom. I. pag. 437.

V. Gualterii Burlæi, Angli, Expoſitiones octo librorum Phyſicorum Ariſtotelis. Venetiis per Johannem Herbort anno 1482. in Fol.

Expoſitiones iſtæ ſunt gothico charactere in duabus columnis præſtantiſſimæ chartæ impreſſæ. Deſunt cuſtodes, paginarum numeri, & plerumque initiales litteræ. Paginæ ſignatæ ſunt, & in ſuperiori margine liber indicatur, e. g. *Phy. Liber Primus.* In prima primæ paginæ columna *Ex illuſtri baduario4 familia q̃ oli ꝑticiacha dicebat oriundo dño Sebaſtiano cẽſori cõis venetia4 ꝑſtãtiſſimo Nicholet⁹ vernias theatin⁹. S. P. D.* Teſtatur Vernias, Philoſophiæ tum Profeſſor Ordinarius Patavinus, ſe ab impreſſoribus rogatum Burlæum ſuper libros de Phyſico auditu, qui antehac corruptiſſime fuerat impreſſus, emendaſſe. Epiſtolam hanc immediate excipit Verniæ Tractatus de Definitione Philoſophiæ, nec non Examen Quæſtionis de Incoactione formarum. Atque hæc quidem omnia tribus foliis, & quarti prima pagina ſunt comprehenſa. In fine vernias teſtatur, ſe hæc abſolviſſe anno 1482. 4to cal. marcias. Folio Quinto *Clariſſimi philoſophi gualterij de burleis anglici fideliſſimiq3 interpretis ariſ. & ſui cõmẽtatoris auerois expõ in libros octo de phiſico auditu feliciter incipit.* Sunt hæc rubro colore, & charactere majori elegantiſſimo, quo ſcilicet ipſe textus Ariſtotelis, impreſſa. Ad calcem voluminis ſatis ampli hæc ſubſcripta leguntur: *Et in hoc finitur expoſitio excellentiſſimi ph'i Gualterii de burley anglici in libros octo de phyſico auditu Ariſt. ſtragerite*: (ſic) *emendata per me nicoletũ verniã theatinum publice & ordinarie philoſophiam in gimnaſio patauino legentẽ: impreſſa arte & expenſis diligentiſſimi viri Johannis herbort de almania: & humato ieſu eiuſq3 genitrici virgini Marie ſint gratie infinite.* Quæ ſequuntur ſunt impreſſa charactere majuſculo: *Impreſſa Uenetiis.* M. cccc. Lxxxii. *die quinta decima menſis aprilis.* Accedit tabula dubiorum, quæ in hoc opere pertractantur, & regiſtrum chartarum.

VI. Ægidii Romani, Ord. Eremit. S. Aug. Archiep. Bituricenſis, & Aquitaniæ Primatis Liber de Regimine Principum. Romæ per Stephanum Plank. ann. 1482. in Fol. min.

In fronte voluminis *Eorgio* (Georgio) *miſeratione diuina Archiepiſcopo Ulixponen. Sacroſanctæ. Ro. eccleſie. tituli ſanctoru3 Petri & Marcellini preſbytero Cardinali Reuerendiſſimo ac bene merito: Oliuerius Seruius Tholentinas. S. P. D.* Sequitur itaque Epiſtola Dedicatoria hujus operis. In averſa pagina folii ejusdem incipiunt brevia ſingulorum totius operis capitum argumenta, quæ terminantur in averſa quarti folii pagina. Folio quinto impreſſo *Incipit liber de regimine principũ editus a fratre Egidio romano ordinis fratrum heremitaru3 ſancti Auguſtini.* Impreſſum eſt hoc opus charactere gothico in duabus columnis præſtanti chartæ. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, ſignaturis,

 nume-

numeris & inſcriptionibus paginarum. Opus ipſum, quod tum ab auctore, qui ex nobiliſſima familia de Columna (Colonna) originem traxit, & vergente ad finem Sæc. XIII & initio XIV. Philoſophicis æque ac theologicis diſciplinis excelluit, tum ab ipſo argumento notiſſimum eſt, in tres libros eſt diviſum. Primus liber denuo in partes quatuor, ſecundus & tertius in tres ſunt partes diviſi. Ad calcem voluminis hæc habes ſubſcripta: *Explicit liber de regimine principum editus a fratre Egidio Romano. ordinis ſratrum heremita4 ſci Auguſtini. Impreſſum Rome per inclitū virū magiſtrū Stephanum plannk. de Pataula Anno domini Milleſimo. ecccIxxxii. Die nona Menſis Maij* c̄i. His immediate ſubjunctum eſt *Regiſtrum*, ſc. chartarum. Cl. de Bure *Bibliographie Inſtructiv.* n. 1350. adfirmat, editionem hanc eſſe primam & originalem, raram, & a curioſis quæſitam: falſam vero, quæ ab eodem typographo jam anno 1472 excuſa a non nullis, ut ab Orlandio, memoratur: Valde ſuſpectam denique eam, quæ cum nota anni 1473, ſine loci & typographi mentione excitatur.

## VII. Decretales Gregorii Noni cum Gloſſa. Venetiis per Petrum Cremonenſem de Plaſiis ann. 1482. in 4to.

Hoc opus gothico charactere, & textus quidem in duabus columnis paulo majori, Gloſſa vero in extremis quatuor marginibus minuto admodum eſt impreſſum. Charta eſt admodum nitida. Initiales litteræ, cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Ad calcem voluminis legitur ſequens notitia: *Exactum diuinis auſpicijs opus decretalium Gregorii viiij. ſumma cum diligentia venetiis impreſſum cura impenſiſq3 petri cremonenſis de plaſiis: enucleatiuſq3 emendatum. Anno ab incarnatiōe domini.* MccccLxxxij. *die xxiiij. mēſi aprilis Regnantibus ſanctiſſimo in chriſto patre Sixto. iiij. pontifice maximo: nec nō & Joanne mocenigo inclyto venetorum principe illuſtriſſimo.* Accedunt duo folia, quibus index alphabeticus materiarum, & Regiſtrum chartarum continentur.

## VIII. Digeſtum vetus cum Gloſſa. Norimbergæ per Ant. Koburger anno 1482. in Fol.

Textus charactere majori admodum luculento, gloſſa minutiſſimo, utroque gothico, ſed elegantiſſimo chartæ præſtantiſſimæ ſunt impreſſa. Signaturas, & in gloſſa quidem etiam initiales litteras parvas ipſe typographus adjecit. Deſunt vero cuſtodes, numeri & inſcriptiones paginarum, nec non, in textu quidem, litteræ initiales. In fine majoribus litteris, quibus ipſe textus, ſed rubro colore hæc leguntur impreſſa: *Sacratiſſimi principis Juſtiniani pandectarum opus (quod digeſtum vetus vocitamus) vigili ſtudio impenſis Anthonij koburger Nurenberge eſt conſummatum Anno dominice incarnationis Milleſimo*

*mo quadringenteſimo octuageſimo ſecundo. Decimo kalendas decembres.* **In averſa** pagina impreſſæ leguntur Rubricæ totius operis.

## IX. Johannis Aſtexani, Ord. Min. Summa de caſibus conſcientiæ. Norimb. per Anton. Koburger anno 1482. in Fol.

Editionem hujus operis forte omnium primam Faſcicul. I. pag. 51. recenſui. Præſens iſta minutiſſimo charactere gothico, eodem nimirum, quo gloſſa ad opus immediate præcedens, excuſa eſt, & impreſſa in duabus columnis nitidiſſimæ chartæ. Caret cuſtodibus, ſignaturis, initialibus litteris, numeris & inſcriptionibus paginarum. In averſa primi folii pagina Bartholomæi Bellati Ord. min., qui opus jam antea quam diligentiſſime emendaverat, epiſtola legitur dedicatoria ad Marcum Barbum titulo S. Marci de urbe Preſbyterum Cardinalem. Folio ſecundo opus ipſum incipit. Ad calcem voluminis uberior legitur de opere & ejusdem editoribus notitia: *Summe confeſſionis operi nobiliſſimo & huic facultati opam dantibꝰ ꝑ neceſſario quaꝫ frater Aſtexanus de Aſt ordinis minoꝝ doctor ſolennis edidit maxima cura & ſollicitudine famoſiſſimi ſacre theologie mgr̄i fratris Bartholomei de Bellatis de feltro circa iuris quotationes. nec nō fratris Gometii hiſpani de vlixbona ꝓuincie portugalie ſacre theologie baccalarii clariſſimi in ꝯuentu Venetiaꝝ circa reſiduum totiꝰ voluminis ambo eiuſdem religionis minoꝝ emendate ſumptibꝰ & iuſſu Anthonii koburger Nurenberge finis impoſitus eſt.* M°. cccc°. Lxxxij°. *die xi. menſis may.* Exemplar hujus editionis, quod exſtat in Bibliotheca civica Ratisbonenſi, deſcriptum a Cl. Gemeiner in Nachrichten von den in der Regensburgiſchen Stadtbibliotheck befindlichen merkwürdigen und ſeltenen Büchern aus dem fünfzehenden Jahrhundert pag. 111 — 113. mutilum eſſe oportet. Adfirmat enim Cl. Gemeiner: **In einigen Ausgaben iſt eine Zuſchrift an den Cardinal Caietan vorgedruckt, die ſich aber in unſerm Exemplar nicht befindet.** Sane Epiſtola auctoris dedicatoria ad Cardinalem Cajetanum, cum ejusdem ad illum reſponſoria, nec non prohemium auctoris, & tituli primi libri folium exemplaris noſtri ſecundum occupant.

## X. Liber aſcetico - moralis dictus der Seüſſe. Auguſtæ Vind. per Antonium Sorg ann. 1482. Fol. min.

Opus moralis eſt argumenti, in quatuor libris varia exhibens ſpiritualis vitæ documenta atque incitamenta. Occurrunt paſſim figuræ ligno inciſæ ad illuſtrandum argumentum adcommodatæ. Nomen der Seüſſe, ab auctore, qui vulgo habetur, *Henrico* (ſecundum alios *Amando*) *Suſone*, Ord. Præd. Patria Conſtantienſi ex nobili comitum Montenſium familia oriundo, habere videtur. Quod ſi Henricus Suſo revera auctor eſt, oportet eum anno ſaltem 1352 adhuc vixiſſe. Nam in fine libri quarti auctor ipſe tempus indicat,

dicat, quo libro huic componendo initium fecit. En ipſa ejus verba: Dicʒ bůch ward angeuangen in der vaſten. do man czalt von gottes gepurt tauſent vnd vierdhalb hundert vnnd zwai iar. Niemant ſol endarf fragen durch ven got dicʒ bůch geſchriben hab. wann der menſch getrauet gotes gute das es in ſeinem leben nymmer auf komen ſölle noch nymmer creatur ſöll bekant werden in diſer zeit amen. Porro Caveus cum pluribus aliis adfirmat, Henricum Suſonem vergente ad finem Sæculo XIII. vel initio XIV. jam obiiſſe. Circa annum 1380 Suſonem vixiſſe Poſſevinus affirmat in apparatu Sacro Tom. I. Cl. Zapfius in Augsburgs Buchdrucker-geſchichte pag. 64. Suſonem libri hujus auctorem eſſe incunctanter adfirmat, promittitque de eodem in ſecundo Annalium ſuorum volumine uberiorem notitiam. Ego interim editionis iſtius deſcriptionem dabo adcuratiorem. Præmiſſa ſunt ſingulorum capitum brevia argumenta, foliis tribus, & prima pagina folii quarti comprehenſa. In averſa ejusdem quarti folii pagina videre eſt imagines ligno inciſas Davidis, Salomonis, Jobi, Ariſtotelis, & duorum aliorum, quorum alter coronam in capite cum cruce ſuperimpoſita geſtat, alter habitu ordinis Prædicatorum indutus eſt. In medio hujus paginæ ſex leguntur ſententiæ morales. Præter has in margine ſuperiori hæc verba leguntur impreſſa:

Der ſunnē bild iſt ſo fein. Er vbertrift der ſtern ſchein.

in inferiori vero margine hæc:

*Sapiencia nō īuenitur ī tr̄a ſuaīter viuenciū.*

Folio quinto auctoris prologus incipit, inſcriptus: Das iſt der prologus. das iſt die vorrede des bůchlins das da heiſſet der Seüſſe. Ab hoc folio usque ad finem voluminis prima cujusvis folii pagina in margine ſuperiori numerum folii exhibet impreſſum, e. g. Das vi. blat: in averſa autem pagina liber deſignatur, e. g. das erſt bůch. Liber primus conſtat foliis cviii. Sed primum vacuum eſt, & poſtremum in noſtro quidem exemplari deeſt. A libro ſecundo novi incipiunt numeri foliorum, quæ ad finem usque libri quarti ſunt CXLvj. Subſcriptio, quæ circa finem primæ ultimi folii paginæ legitur, hujusmodi eſt: Gedruckt vnd vollendet iſt dicʒ bůch (des geleichn noch beſſers dē laien nit kund iſt ſein leben ze beſſern - genant der Seüſſe) von anthonio ſorg - in der keyſerlichen ſtat Augſpurg. an dem nächſten freitag vor ſant Jörgen tag do man zalt nach Chriſti gepurt - tauſent uierhundert zwai und achzig iar. Litteræ ſunt germanicæ oblongæ & ſatis pingues. Charta minus alba & polita eſt. Litteras initiales magnas ligno inciſas typographus adjecit. Cuſtodes vero & ſignaturæ deſunt.

XI.

XI. Roberti de Licio, Ord. minorum, gentilitio nomine Caraccioli, Epiſcopi Aquinatis ſermones 1) Quadrageſimales a Dominica Septuageſimæ usque ad feriam tertiam poſt Paſcha, qui ſunt 73. Accedunt ſex alii ſermones de diverſis materiis, quorum primus eſt, de Annunciatione B. M. V. 2) De Adventu, hoc eſt, a Dominica I. Adventus usque ad Feſtum Epiphaniæ. Accedunt ſermones unus de S. Joſepho, & undecim alii, quorum ſeptem de divina charitate, duo de immortalitate animæ, unus de vita hominis ante ſuam Beatitudinem, unus de beatitudine in genere. Accedit Tractatus de immaculata conceptione B. V. M. 3) Sermones de Timore Judiciorum Dei. Venetiis per Octavianum Scotum ann. 1482. In 4.

Omnia hæc æſtimatiſſimi ſua ætate, Sæculo nimirum XV. divini verbi præconis opera ſunt gothico charactere pereleganti & præſtanti chartæ in duabus columnis impreſſa. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones, Chartæ autem ſunt ſignatæ. Sermonibus tam Quadrageſimalibus, quam de Adventu, & de timore judiciorum Dei præfixi ſunt peculiares indices, ſeu tabulæ ſermonum. Ad finem voluminis ſatis ampli leguntur ſequentia: *Celeberrimi theologie magiſtri nec non ſacri eloquii p̄conis fratris Roberti epiſcopi Aquiñ. ordinis mino4 profeſſoris ſermones quadrageſimales: de aduentu: & de timore iudicio4 dei cum quibuſdam aliis annexis feliciter expliciunt. Impreſſi ī ciuitate Uenetia4 per Octauianum ſcotum Modoetienſem. MCCCCLXXXII. Pridie kalendas Februarij.* Accedit regiſtrum chartarum. Cl. Michael Denis in Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliothek pag. 205. plures excitavit ſermonum Roberti de Licio editiones. De noſtra hac vero ſilet. Nec apud alios, qui mihi ad manus ſunt, Bibliographos de ea quidquam adnotatum inveni. Idem loc. cit. pag. 81. de operis auctore plura habet in compendio. Obiit Aquini anno 1495, cum opera ejus varia per plures editiones jam ubique propagata fuerant.

XII. Petri de Abano, ſeu Apono, qui vicus eſt prope Paduam, Medicinæ Doctoris, & Profeſſoris Paduani, Sæc. XIII. & initio XIV. celeberrimi Expoſitio Problematum Ariſtotelis. — Per Johannem Herbort anno 1482. in Fol.

Textus Ariſtotelis latinus eſt gothico charactere magno, & luculento, expoſitiones vero textui ſubjunctæ ſunt charactere minuto admodum, utroque elegantiſſimo, in duabus columnis impreſſæ. Charta firmitate pergame-

gamenum adæquat: eſt tamen alba & munda. Initiales litteræ, cuſtodes, numeri & inſcriptiones paginarum deſunt. Chartas vero typographus ſignavit. In fronte voluminis exhibetur tabula alphabetica materiarum, tribus foliis impreſſis comprehenſa. Folio quarto *Expoſitio preclariſſimi atq3 eximii artium ac medicine doctoris Petri de Ebano* (ſic) *Patauini in lib4 problematum Ariſtotelis feliciter incipit.* Ad calcem voluminis hæc habes impreſſa: *Explicit expoſitio ſuccincta problematum Ariſto. quam Petrus edidit Paduanus: ea nullo prius interpretante: incepta quidem Pariſius: & laudabiliter Padue. terminata. arte hac impenſa Joannis herbort Alemani: qui nō ſolum ſummam cura3 adhibet ut ſint hec ſua-ſuaue queq3 ſine vicio: verum ut laute ſint elaborata. Anno.* M. cccc. Lxxxij. *die xxv^a Februarii.* In averſa pagina exſtat Regiſtrum chartarum. Ex modo recitata ſubſcriptione illud videtur recte colligi poſſe, Johannem Herbort Alemannum de Seligenſtat, qui anno præcedenti libros ad h. a. NN. XXV. & XXVIII. recenſitos ſumptibus Johannis de Colonia, Nicolai Jenſon & ſociorum impreſſit, librum præſentem jam ſuis ſumptibus excudiſſe. Num Paduæ, an Venetiis hoc quidem opus excuſum fuerit, dubitare licet. Inter typographica monumenta Paduana ab Orlandio in *Origine e Progreſſi* &c. pag. 153. recenſetur. Operis ejusdem editionem Mantuanam anno 1476 a Paulo Johanne de Puzbach curatam excitavit Hambergerus in zuverläßigen Nachrichten &c. Thl. 4. pag. 505. qui etiam de auctore ſua ætate celeberrimo, & aliis ejusdem operibus uberiorem dabit notitiam.

## XIII. Bartholomæi Socini, Senenſis, J. U. Doctoris, & Profeſſoris Piſani, ſcripta ſuper varios titulos Juris civilis, ſine loco & typographo. anno 1482. in Fol.

In prima pagina exſtat *Tabula eorum, quæ continentur in hoc volumine* &c. &c. Sunt autem ſequentia. ſuper 1ma infort. Tit. *ſolu matrimonio uſq3 ad principium l. diuortio incluſiue.* In tit. de lib. & poſthu. *L. Gallus cum ſuis* §. In tit. de vulga. & pupill. *L. prima ſolēniter repetita. vna cum additionibus eiuſdem Dñi Bartholamei. L. Moribus. L. Si filius qui patri. L. Centurio.* Super 2da part. infort. *Titulus de lega. primo uſq3 ad* §. *In legatis. In l. Simili. Et tibi incluſiue.* In Titulo Ad Trebel. *L. prima cum ſuis.* §. *L. Marcellus uſq3 ad* §. *Qui dant in cluſiue.* §. *cum ita in h heredes mei. Titulus de rebus dubiis Titulus de hii que pene nomine. Titulus de condi. & demon. uſq3 ad l. ſi in ānos incluſiue. Item l. cum auus ſolēniter repetita.* Super prima ff. novi. *Titulus de acq. poſ. uſq3 ad.* §. *nihil cōmune in l. naturaliter incluſiue. Item. l. rem que nobis repetita. Titulus de exceptionibus. Titulus de excep. rei. iudi. Conſilium in materia trebellianice.* Super 2da ff. noui. *Titulus de ver. oblig. uſq3 ad.* §. *ſi is qui duplam incluſiue. L. Siq3 arbitratu repetita. L. cum filiuſ familias. L. qui uſum fructum. L. Qui Rome uſq3 ad* §. *ſeyn incluſiue.* In primam Cod. *Titulus de edendo. Titulus de in jus vocando. Titulus de pac. uſq3 ad l. Si creditores*

*ditores incluſiue.* In 2da ff. vet. *Titulus ſi cer. pet. Titulus De iur. uſq3 ad.* §. *ite3 ſi iurauero in. l. ait pretor.* In titulo de conditione indebiti, *L. prima. L. eleganter. L. ſi non fortem. L. frater a fratre.* Averſa primi folii pagina eſt vacua. Folio ſecundo opus ipſum incipit gothico charactere in duabus columnis magnæ & præſtanti chartæ impreſſum. Caret cuſtodibus, & paginarum numeris: habet vero inſcriptiones, ſignaturas, & litteras initiales parvas. In fine voluminis ſatis ampli hæc habes ſubſcripta: *Hucuſq3 legit. Excellētiſſimus ac in toto orbe famoſiſſimus J. U. Monarcha aduocatuſq3 conſiſtorialis. Domi. Bartholomeus Sozinus. in almo Gimnaſio Piſano tranſlato apud oppidum prati.* M. cccc. Lxxxii. *Ad laudem & gloriam omnipotentis dei.. Finis. Laus Deo.* Auctor operis filius fuit celeberrimi ſua ætate Juris Conſulti Mariani Socini, Senenſis, dicti Senioris, Jurium Profeſſoris in Patavina & Senenſi academiis, defuncti ann. 1467, & unus ex majoribus Fauſti & Lelii Socinorum.

## XIIII. Titi Livii Patavini Hiſtoriarum Decades Prima, Tertia, & Quartæ libri novem. Tarviſii per Joannem Vercellenſem anno 1482. in Fol.

Præmiſſa eſt *Jo. An. Epiſcopi Alerienſis Ad Summum Pon. Paulum II. Venetum: Et Marcum Sancti Marci Cardinalem Epiſtola*, eadem ſcilicet, quæ præfixa eſt Editioni Romanæ a Johanne Andrea in typographia Conradi Schweynheym, & Arnoldi Pannartz curatæ. Epiſtolam hanc in averſa folii ſecundi pagina, linea 23 terminatam excipit Flori Epitoma Quatuordecim Decadum Livii. Huic adnexus eſt indiculus primarum vocum ſingulorum librorum, nec non eorum, quæ præceſſerunt. Sunt hæc foliis impreſſis novendecim comprehenſa. In averſa folii vigeſimi pagina *T. Livii Patavini Hiſtorici Primæ Decadis Præfatio* legitur. Folio demum 21 *T. Livii Patavini Hiſtorici Decadis Primæ Liber Primus* incipit. Impreſſum eſt hoc opus charactere rotundo pereleganti, & præſtanti chartæ. Caret cuſtodibus, numeris, & inſcriptionibus paginarum. Habet vero ſignaturas, & litteras initiales parvas ſaltem in Epitoma Flori. Initio enim librorum Livii non niſi ſemel iterumque eas obſervavi, forte quod rubricator colore eas obtexerit. Nolui autem colorem abſtergere, & litteras plane elegantiſſimas vitiare. Decadis quartæ in hac quidem editione libri decem numerantur ab editore. Revera autem non niſi novem libros continet. Numerus decem librorum inde venit, quod primus in duos libros ſit diviſus. Deeſt igitur liber tertius etiam in hac editione, quemadmodum in editione anni 1485 ab eodem typographo facta, quam deſcripſit Cl. Michael Denis in Merkwürdigkeiten der garelliſchen Bibliothek pag. 113. Cetera etiam omnia, quæ de externa editionis hujus forma habet Cl. Denis, ſunt prorſus eadem in noſtra editione. Quæ in fine legitur ſubſcriptio, eſt totidem verbis concepta, & ſola differt nota anni ac voce *Vercellenſis* pro *Vercellius*. *Finis.* Hæc vox in medio capitalibus eſt lit-

teris impreſſa. Tum ſequitur: *Has Titi Livii Decades a Luca porro q diligentiſſime recognitas: Taruiſii Joannes Vercellius* (Denis: *Vercellenſis* habet) *impreſſit Anno ſalutis Milleſimo quadringenteſimo octogeſimo ſecundo.* In averſa ultimi hujus folii pagina legitur Regiſtrum ternionum, & quaternionum. De *Luca Porro*, qui editionem hanc curavit, nec ego habeo, quæ proferam.

## XV. Biblia latina vulgatæ edit. ſine nota loci & Typographi cum verſibus in fine adjectis: *Fontibus ex græcis* &c. Anno 1482. in Fol.

Eſt hæc Bibliorum editio ex earum genere editionum, quæ *genuinæ* vocantur, fuitque Cl. Maſchio incognita. Conf. quæ dixi ad annum 1481. N. XVI. Recenſetur vero in Catalogue des Livres de feu M. Le Duc de La Valliere. Theologie. N. 43. Excuſa eſt in duabus columnis charactere gothico perpulchro, admodum luculento, ſimillimo, aut eodem omnino cum charactere, quibus impreſſa ſunt Biblia ad annum 1481. N. XVI. recenſita. Cetera etiam omnia, quæ ad externam ſpectant formam, ſunt utrinque eadem. Verſibus in fine: *Fontibus ex græcis* &c. hic quoque præmiſſi ſunt verſus memoriales: *Generat exodus* &c. & loco *numeri*, hic quoque legitur *numen.* Differunt fere ſola anni nota, quæ in præſenti editione ſic eſt expreſſa: *M. CCCCLXXXII.* Accedunt vero in hac editione 1) Index Epiſtolarum, & Evangeliorum, quæ in dominicis & feſtis, per annum diebus, nec non aliis occaſionibus leguntur, comprehenſus octo foliis. In fine verſus leguntur:

*Marcus romanis ſed iohannes aſianis*
*Lucas achais matthe⁹ ſcripſit hebreis*
*Matthe⁹ ſcripſit euãgeliũ ãno dñi.* 39.
*Marcus.* 43. *Lucas.* 53. *Johannes*: 83.
*Finis. Deo gratias.*

2) Interpretationes hebraicorum nominum, foliis impreſſis 33 comprehenſæ. Si quis ambas haſce editiones fugitivo tantum oculo inter ſe comparaverit, facile unam cum altera confundat neceſſe eſt. Præter ea enim, quæ mox in oculos incurrunt, puta, litteras, chartam, ſignaturas ea eſt ambarum inter ſe harmonia, ut plerumque folium folio, columna columnæ, linea lineæ reſpondeat. Quare differentias quaſdam indicabo. Prima ſe offert in columna tertia folii ſecundi. In editione enim anni 1481 ultimæ hujus columnæ lineæ ſic ſe habent:

*et fornicationis filios. & adulteram cubi*
*culo clauſam mariti: multo tempore ſe'*

in editione vero anni 1482 ſic:

*et fornicationis filios. & adulteram cubicu*
*lo clauſam mariti: multo tempore ſede'*

Sed ejuſmodi differentiæ frequenter occurrunt. Paulo major, & multo infrequentior ea eſt, quæ in prima columna, ubi caput Danielis ſecundum incipit,

cipit, obſervatur. Hujus columnæ duæ lineæ ultimæ in editione anni 1482 ſic ſe habent:

*interpretationem ei⁹ indicabimus. Et re*
*ſpondens rex ait chaldę. Sermo receſ,*

in editione vero anni 1481 ſic:

*Rex in ſempit'num viue. Dic ſomniū ſer,*
*uis tuis: & interpretationē eius indica,*

Cetera in fronte leguntur columnæ ſequentis. Titulus columnæ ad cap. II. Danielis in editione anni 1481. mendoſe eſt poſitus, ſc. *Ezech.* pro *Daniel*, ut recte habet editio anni 1482. Aſt Cap. II. Epiſt. S. Jacobi utrinque mendoſe legitur *Sup exaltet aūt mia iudicio* pro *iudicium.*

## XVI. Alexandri de Ales Summæ Theologicæ Partes I. III. & IV. Norimbergæ per Anton. Koburger ann. 1482. Voll. III. in Fol. magn.

Cum Pars hujus operis ſecunda jam anno 1481 prælo exierit, has etiam tres partes ad h. a. N. XXXIX. recenſui.

## XVII. Faſciculus temporum. Per Albertum Kunne de Duderſtat Memmingæ anno 1482. in Fol

Editiones hujus operis antiquiores duas ad ann. 1480. N. XXVI. & ad ann. 1481. N. XXXVII. recenſui. In priori loco de auctore & opere ipſo ſcitu neceſſaria prælibavi. Editio præſens hiſtoriam ad annum 1474. tantum continuatam exhibet. Videtur proinde ex originali, & prima hujus operis editione quam Coloniæ anno 1474 Arnoldus Ther Hueren curavit, facta eſſe. Impreſſa eſt gothico charactere oblongo, minus pingui, chartæ albæ quidem, ſed minus politæ, & firmæ. Paginas typographus ſignavit. Deſunt vero cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones, nec non initio ſectionum majorum litteræ initiales. In fronte voluminis ſine ullo titulo auctoris legitur præfatio, quæ terminatur in averſa primi folii pagina, linea 29. Ad calcem folii 63 hæc leguntur impreſſa: *Opuſculum vtiq3 omni ſtatui. atq3 hominum gradui ad vitam exemplandam putile. ɔtinens ſuccinte* (ſic) *epgreſſum patrū ab initio mundi vſqne ad hoc noſtrum temp⁹ cum actis notabilioribus eorundem. Quod deuotus quidā Carthuſień. eius auctor primus: Faſciculū tempoꝝ nuncupauit. Impreſſum ꝑ me Albertū kūne de Duderſtat Magunt'. dyoceſs Et admiſſum ab alma vniūſitate Colonień Explicit feliciter Sub āno dñi Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſecundo. Laus deo.* Accedit index alphabeticus materiarum foliis octo impreſſis comprehenſus, ad cujus calcem legitur: *Impreſſus Memmingen.*

## XVIII. Euclidis Elementa Geometriæ cum Commentariis Johannis Campani. Venetiis per Erhardum Ratdolt anno 1482. in Fol.

Opus iſtud gothico charactere pereleganti, & præſtanti chartæ impreſſum eſt. Initiales litteræ magnæ eæque florentes ligno inciſæ ſunt elegantiſſimæ. Chartas typographus ſignavit, idemque in ſuperiori margine librum notavit, e. g. *Liber VI.* Deſunt vero cuſtodes, & numeri paginarum. Figuræ geometricæ marginem occupant exteriorem. In fronte voluminis charactere majori, & rubro colore hæc leguntur impreſſa: *Preclariſſimū opus elementoꝝ Euclidis megarēſis ūna* (ſic) *cū cōmentis Campani pſpicaciſſimi in artē geometriā* (ſic) *incipit felicit*". Volumen integrum foliis conſtat impreſſis 134, & ad calcem hæc habet ſubſcripta: *Opus elementorū Euclidis megarenſis in geometriā artem In id quoq3 Campani pſpicaciſſimi Cōmentationes finiūt. Erhardus ratdolt Auguſtenſis impreſſor ſolertiſſimus. venetijs impreſſit. Anno ſalutis.* M. cccc. Lxxxij. *Octauis. Calē. Junī. Lector. Ualе.* Editio hæc eſt omnium prima, & vel ideo rarioribus libris accenſenda. Typographus eandem Johanni Mocenigo Venetorum Duci dedicavit. Porro in Epiſtola Dedicatoria gloriatur, ſe omnium primum fuiſſe, qui libros mathematicos figuris mathematicis exornaverit. In noſtro vero exemplari deeſt epiſtola hæc dedicatoria. Eam integram exhibuit vir Cl. Abraham Goth. Käſtner in diſſertatione de hac editione, cui titulum fecit: *Geometriæ Euclidis primam quæ poſt inventam typographiam prodiit editionem breviter deſcribit Abraham Gotth. Käſtner &c. Lipſ.* 1750. *in* 4. Conf. Zapfs Augsburgs Buchdruckergeſchichte pag. 160 & 161. ubi plures excitantur auctores, qui de eadem agunt editione. Ego id unum addo, Cl. de Bure *in Bibliographie Inſtructive* n. 1958. Johannem Campanum cum Joh. Antonio Campano, qui circa finem Sæc. XV. in typographia Udalrici Hahn Romæ correctoris munere functus eſt, confudiſſe. Johannes Campanus Joh. Antonio Campano aliquot ſæculis anterior fuit. Floruit enim, ſecundum non nullos quidem, circa annum 1030; quamvis non deſint, qui floruiſſe illum circa annum 1250, vel omnino 1354 perhibeant. Id certum eſt, patria Novarienſem Lombardum fuiſſe, & Euclidis Elementa non ex græco, ſed ex arabico vertiſſe; quo factum eſt, ut Arabum interpretationem ſecutus fæde perverſum nobis Euclidem reliquerit, ut ait Daniel Huetius de Claris interpretibus pag. 227.

## XIX. Martialis Epigrammata cum Commentariis Domitii Calderini. Venetiis per Baptiſtam de Tortis anno 1482. in Fol.

In averſa primi folii pagina *Domitius Calderinus Joanni Franciſco Lodovici Principis Mantuani Filio Salutem.* In hac epiſtola id potiſſimum agit Calderinus, ut Principi perſuadeat, ſine cauſa a malevolis quibusdam hæc

ejus

ejus commentaria, jam ante hac edita, vituperiis fuiſſe laceſſita. Epiſtolæ ſubjuncti ſunt verſus, quos compoſuit *Domitius in uolumen dicatum Laurentio*, Medicæo nimirum, Florentino, Petri filio, ad quem etiam folio 2do incipit Calderini epiſtola, terminata in prima folii tertii pagina, linea 3. In eadem pagina, interjecto exiguo ſpatio, legitur *Vita Martialis in commentarios: quos Domitius Calderinus edidit:* In averſa autem pagina ejusdem folii, *Plinii ſecundi epiſtola ad Cornelium Priſcum*, quam ſcripſit Martiali defuncto. Folio 4to demum Epigrammata cum commentariis incipiunt, illa quidem majori, hæc minori charactere, utroque romano pereleganti impreſſa, & hæc quidem extremos tres margines occupant. Charta eſt plane præſtantiſſima. Initiales litteræ librorum, cuſtodes, numeri & inſcriptiones paginarum deſunt. Chartas vero typographus ſignavit. Ad calcem libri decimi quarti hæc tantum leguntur: *Venetiis per Baptiſtam de tortis. M. CCCC. LXXXII. die xv. iulii.* In averſa pagina folii, ubi hæc leguntur, incipit Defenſio Calderini commentariorum ſuorum in Martialem, cui in laudem Calderini ſubjectum eſt *M. Lucii Phoſphori Epigramma.* Accedit demum Regiſtrum chartarum.

## XX. Gregorii Ariminenſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Lectura in primum Librum Sententiarum. Pariſiis anno 1482. in Fol.

Lectura hæc eſt gothico charactere minus eleganti, ſed nitidiſſimæ chartæ in duabus columnis impreſſa. Deſunt cuſtodes, litteræ initiales, numeri, & inſcriptiones paginarum. Chartas vero typographus ſignavit. In averſa primi folii non ſignati pagina leguntur verſus in laudem auctoris, compoſiti, ut ex ſubſcriptione iisdem ſubjecta diſcimus, *Per eloquentiſſimū Oratorez ac Poetā laureatū Comitemqz palatinum Dominicum Mancinum.* Folio ſecundo immediate ſine ullo titulo opus ipſum incipit. In fine ſequentia leguntur ſubſcripta: *Explicit lectura primi ſentētiarum fratris Gregorii de Arimino: ſacri ordis hēmitaꝝ ſcti Aug. Theologie ꝓfeſſoris ꝑcellētiſſimi Qui legit pariſius. Anno dñi.* 1344. ꝑ *clariſſim̄* (ſic) *vniuerſitatis pariſienſis. M. Guglierm̄ Militis maxia diligētia emēdata: & pariſiꝰ impſſa āno dñi.* 1482. 9. *auguſti.* In ſequenti columna, quæ eſt ultima paginæ, incipiunt tituli quæſtionum, quos excipit index alphabeticus materiarum, ac demum regiſtrum chartarum.

XXI. **Hanns Tuchers, eines Nürnbergers, und des kleinern Rathes daſelbſt, Beſchreibung einer von ihm ſelbſt im Jahre 1479 gemachten Reiſe nach Jeruſalem, und von da nach den Berg Sina zum Grabe der H. Katharina. Gedruckt zu Augsburg von Hanns Schönſperger 1482. in Fol.**

Operi nullus præfixus eſt titulus, ſed incipit verbis ipſius auctoris Nach Criſti vnnſers lieben herrn gepurt M. cccc. lxxix. iare am dorſtage der do was der ſechſt tage des monats May. Pin ich Hans tucher burger vñ die zeit einer des kleinern Rates d' ſtat Nüremberg. meines alters eins und fünffzig iare vnd fünff wochen &c. &c. Impreſſum eſt charactere magno germanico, pingui admodum, & luculento. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, numeri, & inſcriptiones paginarum. Littera initialis magna N in fronte operis eademque initio deſcriptionis itineris Jeroſolymis ad Montem Sina eſt ligno inciſa: reliquæ initiales ſunt majuſculæ. In prima ultimi folii, h. e. ſeptuageſimi quinti pagina opus terminatur, adjecta hac ſubſcriptione: Gedruckt und volendet durch Hanſen ſchönſperger zů Augſpurgk Anno dñi Tauſent virhundert im lxxxij. iar. Hæc omnium prima eſſe cenſetur editio hujus operis. *Jungendres* in *Diſquiſitione in Notas Characteriſticas Librorum a Typographiæ incunabulo ad An. MD. impreſſorum* pag. 40. excitavit editionem ejusdem eodem anno, eademque in typographia factam, quæ paginas numeris ſignatas, & indicem habet præfixum. At vero noſtrum exemplar tam indice, quam numeris paginarum impreſſis caret. Num forte duæ exiſtunt a ſe diverſæ editiones anno eodem, eademque in typographia factæ? Idem animadvertit, ſignum diſtinctionis, quod hujusmodi ( ı ) eſt, admodum inepte plerumque eſſe poſitum, adeo ut ſenſum perplexum reddat potius, quam dilucidet, id quod etiam in noſtro exemplari obſervavi.

XXII. **Sanctorum Patrum Homiliæ & Sermones in Epiſtolas & Evangelia de tempore juſſu Caroli M. a Paulo Diacono collectæ. Impreſſæ per Petrum Drach Juniorem Spiræ ann. 1482. in Fol.**

In averſa primi folii pagina *Incipit prologus Karoli magni in omeliariũ per totum annũ*: idemque terminatur in ſecunda ejusdem paginæ columna, linea 18. Folio ſecundo *Opus preclarum omnium omeliarũ & poſtillarũ venerabiliũ ac egregiorũ doctoꝝ gregorii. auguſtini. hieronimi. ambroſii, bede. herici. leonis. maximi iohãnis epi. atq3 origenis — — -- incipit feliciter*, impreſſum in duabus columnis gothico charactere juſtæ magnitudinis pereleganti, & præſtanti.

ſtanti chartæ. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. Chartas typographus ſignavit. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta. In fine voluminis, ſeu Homiliæ S. Gregorii in Evangelium S. Matth. de Communi Virginum: *Simile eſt regnum cælorum decem virginibus* &c. quæ incipit: *Sepe vos frēs chariſſimi ammoneo* &c. hæc leguntur impreſſa: *Omelia4 opus egregiū: plurimo4 ſācto4 alio4ve famoſiſſimo4 docto4: ſuper euāgeliis de tpe & ſanctis. quibuſdam eorūdem annexis ſermonib9: factore Petro drach iuniore. in inclita Spirēſium vrbe impreſſum. Anno incarnatōnis dominice Milleſimo quadringenteſimo octoageſimo ſecundo: In vigilia natiuitatis glorioſiſſime marie virginis: ad euſebiā cūctipotētis dei feliciter eſt cōſummatū.* His ſubjecta ſunt typographi inſignia, & nihil amplius.

XXIII. Viola Sanctorum, ſeu breves narrationes de Sanctis, aliisque præcipuis Feſtivitatibus, quæ ſingulis per annum diebus occurrunt. Vulgo Martyrologium. Sine nota loci & typographi, anno 1482. in Fol. min.

In ſuperiori margine primæ paginæ a ſiniſtris legitur impreſſum *Viola ſancto4*, a dextris vero *Januarius*. Et nomina quidem menſium in margine ſuperiori ſingularum paginarum leguntur impreſſa. In eadem prima pagina auctoris legitur præfatio lineis ſedecim, & parte decimæ ſeptimæ comprehenſa. Tum immediate in eadem pagina incipit narratio de feſto Circumciſionis Domini. Litteris opus iſtud impreſſum eſt gothicis majoribus, luculentis, & ſat pinguibus. Charta nec firma admodum, nec alba eſt. Chartarii ſignum frequentius occurrens eſt caput bovis. Initiales litteras magnas ligno inciſas typographus ipſe adjecit. Cuſtodes vero, ſignaturæ, & numeri paginarum deſunt, In averſa folii impreſſi 118 pagina, quæ ultima eſt voluminis, ſequens legitur notitia: *Viola ſanctorū explicit feliciter Anno dn̄i* ɱcccccLxxxij. De operis auctore, typographo, & loco impreſſionis non habeo, quæ proferam.

XXIV. Ciceronis Epiſtolæ ad Familiares cum commentariis Hubertini Clerici Creſcentinatis. Venetiis anno 1482 per Baptiſtam de Tortis. in Fol.

In averſa primi folii pagina *Bonus Accurſius Piſanus clariſſimo ac doctiſſimo uiro Joanni Franciſco Turriano ducali quæſtori digniſſimo ſalutem plurimam dicit.* Porro in hac epiſtola Hubertini Clerici, quem ſeptem annos in Gymnaſio Papienſi maxima cum audientium & attentione & utilitate publico legiſſe ſtipendio Acurſius teſtatur, commentaria ceteris omnibus, nominatim Guarini Veronenſis, Joannis Petri Lucenſis, Omniboni Leoniceni, præferuntur.

In

In prima ſequentis folii pagina Hubertini ad Bonum Accurſium legitur epiſtola, ex qua diſcimus, hunc quidem illi ad ſuſcipiendum hoc opus auctorem fuiſſe. Scripta eſt hæc epiſtola *Mediolani. iiii. idus. Auguſtas.* In averſa demum pagina folii ejusdem incipit Hubertini introductio quædam in primum librum Epiſtolarum Ciceronis ad Lentulum, quæ terminatur in prima tertii folii pagina, linea 23. Quod ſupereſt hujus folii ſpatium, eſt vacuum. Quarto demum folio ipſæ incipiunt epiſtolæ cum commentariis. Cum illæ, tum hæc ſunt romano charactere, illæ majori, hæc minori, utroque pereleganti, impreſſa chartæ admodum nitidæ. Initiales litteræ, cuſtodes, numeri & inſcriptiones paginarum deſunt. Chartas typographus ſignavit. Præter punctum etiam duo puncta occurrunt. Diphtongus *ae* expreſſa eſt. Ad calcem Epiſtolarum hæc tantum leguntur: *Venetiis per Baptiſtam de Tortis. M. CCCC. LXXXII. die xxiiii. Maii.* In averſa pagina ejusdem folii, in quo hæc leguntur, Hubertini ad Accurſium Epilogus legitur. In ſequentis folii prima pagina *Hubertinus Clericus Creſcentinas librum ſuum alloquitur* oratione ligata, verſibus nimirum diſtichis, & in averſa ejusdem folii pagina paulo ante medium Petrus Antonius Palatinus. S. D. Octaviano Vicomercato Jurisconſulto præſtanti. Sunt autem octo diſticha in laudem Hubertini, ejusque operis. Accedit in prima ultimi folii pagina *Regiſtrum*, ſcilicet chartarum.

XXV. Pars Hyemalis Breviarii Friſingenſis Babenbergæ (Bambergæ) impreſſa per Henricum Petzenſteiner & Joh. Senſenſchmidt. ann. 1482. in 4to.

Præmiſſum eſt Calendarium Eccleſiaſticum ſex foliis comprehenſum. Tum ſequitur Pſalterium, aliaque Cantica Eccleſiaſtica. Hæc excipiunt Litaniæ de omnibus Sanctis, & preces ad horas. Tum ſequuntur Hymni, Antiphonæ, Lectiones ad Matutinum &c. de tempore, ad quorum calcem legitur ſubſcriptio ſequens: *Pars Hyemal' libro4 horarū. Egregiū ꝑ capitulū Friſingn̄. correctū. ꝑ Henrꝫ Petʒenſteiner & Jo. Senſenſchmydt Babn̄berge. Anno īcꝫ.* 1481. *kl'. vo Nouēbrꝫ.* 16. *impſſū: finit:* His accedunt 1) Antiphonæ, Lectiones, aliaque de Sanctis. 2) de Communi Sanctorum. 3) de Beata Virgine intra adventum. Et his quidem nulla in fine adjecta eſt notitia. Charta, cui impreſſum eſt hoc breviarium, eſt præſtantiſſima: litteræ gothicæ ſunt magnæ admodum & luculentæ, perquam elegantes. Deſunt ubivis cuſtodes, ſignaturæ, numeri & inſcriptiones paginarum. Litteras vero initiales rubras ipſe typographus adjecit. Præter punctum etiam duo puncta occurrunt. Ex ſubſcriptione paulo ante recitata diſcimus, artem typographicam jam anno 1482 Bambergæ floruiſſe, non anno primum 1499, ut habet Orlandi loc. cit. pag. 217. & Maittaire Tom. I.

**XXVI.** *Doctrina egregii magiſtri Gerſonis cācellarii priſienſis de Confeſſione & abſolutione.* Viennæ ann. 1482. ſine nota Typographi. in 4to.

Hæc in fronte leguntur primæ paginæ, quæ mox excipit ipſe textus operis. In fine opuſculi, quod foliis tantum conſtat quatuordecim, hanc typographus adjecit notitiam: *Impreſſum Wienne anno domini* M cccc Lxxxii. Litteræ ſunt gothicæ oblongæ, minus pingues. Charta minus firma ſed alba eſt. Initiales litteræ majorum ſectionum, cuſtodes, numeri & inſcriptiones paginarum deſunt. Præter punctum & duo puncta etiam comma occurrit, & hoc quidem illis frequentius. Chartas vero typographus ſignavit ſed inepte admodum. Nam primum folium ſignatum eſt littera A, ſecundum B, quintum C, ſextum D, nonum E, decimum F, undecimum G. Folia reliqua ſignaturis carent. Paginæ pleræque 39 lineas continent, occurrunt tamen, quæ 38, 36, immo & 32 complectuntur.

De hoc opuſculo nihil habet Cl, Michael Denis in Wiens Buchdruckergeſchichte. Idem vero vir clariſſimus datis ad me litteris teſtatus eſt, non diu poſt editam a ſe Viennenſis typographiæ hiſtoriam opuſculum iſtud in Bibliotheca Parochiali Brünenſi in Moravia repertum fuiſſe.

**XXVII.** *Tractatus breuis & vtilis pro infirmis viſitandis & confeſſionem* (ſic) *eorum audiendis.* Paſſavii impreſſus per Joh. Alakraw & Benedictum Mair. Anno 1482. in 4to.

Verba quæ tituli loco recitavi, leguntur in fronte opuſculi, quæ mox ipſe textus excipit. Impreſſum eſt gothico charactere majori eoque luculento, & pereleganti. Conſtat ſex tantum foliis impreſſis. Tria priora typographus ſignavit litteris A, B, C. Initiales litteræ, cuſtodes, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta. Ad calcem folii ſexti legitur notitia typis impreſſa: *Finis preſentis opuſculi impreſſum* (ſic) *in inclita ciuitate Patauienſi per Johannem Alakraw & Benedictū Mair. Sub anno domini*: M. cccc'xxxij. *decima quarta die Nouembris.* Hic certe liber unus ex primis eſt, qui Paſſavii fuere impreſſi. Conf. Denis Wiens Buchdruckergeſchichte Eingang pag. I. not. a)

**XXVIII.** Pomponii Melæ Geographia, ſeu de ſitu orbis libri tres. Accedit Priſciani Interpretatio ex Dionyſio de ſitu orbis. Venetiis per Erhardum Ratdolt 1482. in 4to.

Opuſcula hæc ſunt gothico charactere pereleganti chartæ nitidiſſimæ impreſſa. Litteras initiales magnas ligno eleganter inciſas & ſignaturas ipſe

 typo-

typographus adjecit. Cuſtodes vero, numeri & inſcriptiones paginarum deſunt. In fine libri tertii de ſitu orbis hæc tantum leguntur: *Pomponii Mellę de orbis ſitu. Finis pfauſtus.* In averſa folii ejusdem pagina incipit *Priſciani ceſarienſis Interpretatio ex Dionyſio de orbis Situ;* ad cujus calcem hanc typographus adjecit notitiam: *Pomponii mellę una cū priſciani ex dionyſio de orbis ſitu interpretatione finit. Erhardus Ratdolt Auguſtēſis impreſſit Uenetiis.* 15. *Calen. Auguſti Anno ſalutis noſtrę.* 1482. *Laus deo.*

## XXIX. Lutrei Quæſtiones in libros Ariſtotelis de Anima. Per Paulum Wider de Hornbach anno 1482. in 4to.

Impreſſum eſt hoc opuſculum gothico charactere minus pingui, & oblongo, qui multas habet abbreviaturas, chartæ plane firmiſſimæ, albæ tamen & mundæ. Caret cuſtodibus, ſignaturis, numeris & inſcriptionibus paginarum. Tituli quæſtionum ſunt majuſculo charactere impreſſi. In fronte primæ paginæ *Circa iniciuꝫ librorū de aīa q̄ritur prio Utr| de aīa ſit ſſia tanqꝫ de obiecto ppō & adequato illius ſcīe.* In averſa folii impreſſi 71, ejusque ultimi pagina ſubſcriptio legitur ſequens: *Exercitiū librorū de anima per Egregiū dn̄m lutree ſacre pagine liceciatū Eriſordēſi ī vniuerſitate collectū & approbatū. Anno īcę* 1482 *kl. vo* Λ *Septēbris ꝑ Paulū Wider de hornbach impreſſum finit.* Orlandi pag. 196. librum iſtum, ſine adjecto tamen typographi nomine, ut librum Erfordiæ impreſſum excitavit. Quod ſi ita eſt, hic liber aut primus eſt, aut inter omnium primos recenſendus libros, qui Erfordiæ typis excuſi ſunt.

## XXX. Formularium Inſtrumentorum in curia Romana conſuetorum. Romæ per Stephanum Plank, anno 1482. in 4to.

Præmiſſus eſt index inſtrumentorum ſeptem foliis impreſſis comprehenſus, & alphabetico ordine, ut ipſa inſtrumenta, diſpoſitus. Litteræ ſunt minutiſſimæ, charta vero admodum nitida. Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, numeri & inſcriptiones paginarum deſunt. Præter punctum nullum obſervavi ſignum diſtinctionis. Inſtrumenta foliis impreſſis 168 ſunt comprehenſa. Circa finem folii 168 ſequentia typographus adjecit: *Formulariū inſtrumentoꝝ exactiſſima diligentia Rome impreſſum p honorabilem virum mgrm̄ Stephanū Planck de Patauia ſub ãno dn̄i.* ꟿ. cccc. Lxxxij. *die.* xxij. *Octobris.* Nihil de hac editione innotuit P. Audiffredio in Catalogo Edit. Roman. Sæc. XV. ad ann. 1482.

AN-

# ANNO 1483.

I. Vocabularium ſecundum materias diſpoſitum a Wenceslao Brack, artium Profeſſore, & examinatore Conſtantienſi. Accedunt 1) Ethimologiæ quorundam nominum, ex libro decimo Ethimologiarum Iſidori. 2) Indiculus alphabeticus verborum adjecta interpretatione Theodiſca. 3) Modus ſcribendi epiſtolas. 4) Didaſcalon Hugonis libri ſex. Anno 1483. in Fol. min. ſine nota loci & typographi.

Omnia hæc opuſcula ſunt eodem charactere, gothico nimirum, nec eo ineleganti, in duabus columnis chartæ minus albæ & politæ impreſſa. Deſunt cuſtodes, paginarum numeri, & earundem inſcriptiones. Opuſculis præmiſſa eſt *Tabula Vocabularii*, ſeu omnium potius opuſculorum, quæ hoc volumine continentur. In fine didaſcali Hugonis majuſculis characteribus ſequentia leguntur impreſſa: *Explicit ſextus & p conſequens totus hugonis ī didaſcalon liber. Qui eſt de modo ſtudēdi & ordine legendi. Anno. MCCCC. lxxxiij. in vigilia Simōis & iude.* De loco impreſſionis & typographo non habeo quæ proferam.

II. Jacobi Januenſis ſeu Genuenſis, vulgo de Voragine, Legendæ Sanctorum, ſeu Lombardica Hiſtoria. Sine nota loci & typographi, ſed cum expreſſa anni 1483. in Fol. min.

De opere & auctore quædam dixi ad annum 1478. N. VI. Editio, quæ mihi nunc præ manibus eſt, præfixum habet indicem alphabeticum materiarum, confectum ab anonymo, cujus etiam prologus, in averſa primi folii pagina incipiens, eſt huic indici, foliis impreſſis undecim comprehenſo, præmiſſus. Folio duodecimo *Incipit prologus ſuper legendas ſanctorum. quas collegit ī vnū frater iacobus ianuēſis ordinis fratrum predicatorum.* Prologum hunc in averſa ejusdem folii pagina excipit legendarum index, qui in averſa folii 13 pagina terminatur. Tum hæc, tum ipſum opus, quod incipit folio 14, ſunt gothico charactere ſatis luculento in duabus columnis chartæ minus firmæ, & mundæ impreſſa. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, numeri paginarum, & earundem inſcriptiones. Paginas vero typographus ſignavit. Ad calcem voluminis hæc tantum leguntur impreſſa:

*Lombardica hyſtoria explicit.*
*Anno dñi.* M. cccclxxxiij.

**III. Hugonis de Prato Ord. Præd. Sermones ſuper Epiſtolas & Evangelia Dominicalia per annum. Norimbergæ per Ant. Koburger anno 1483. in Fol.**

Præmiſſus eſt index alphabeticus materiarum, foliis ſeptem comprehenſus, & in duabus columnis gothico charactere elegantiſſimo, & admodum luculento, ut ipſum opus, impreſſus. Folio octavo demum *Incipiunt ſermones dominicales ſup euāgelia & epiſtolas per totuꝫ annum: editi a fratre hugōe dꝰ prato ordīs p̄dicatorū plogus.* Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, numeri paginarum. In ſuperiori margine primæ paginæ cujusvis folii indicatur numerus ſermonis, e. g. *Sermo Primus*, vel *Sermo III.* Comprehenduntur univerſim ſermones CXV. Ad calcem ultimi typographus hanc adjecit notitiam: *Sermones dominicales euangelioꝝ & epiſtolarū totius anni curriculo. editi a fratre hugone de prato. ordinis ſancti dominici ſectatorem. q̄ꝫ proſpere finiunt. Impēſis anthonii koburgers* (ſic) *Nurenberge impreſſi. Auno xpiane ſalutis.* M. cccclxxxiij. *ipō die Johānis ante portam latinam.*

**IV. Æneæ Sylvii Epiſtolæ. Lovanii per Johannem de Weſtphalia anno 1483. in Fol. min.**

In fronte voluminis *Enee Silvii Senenſis Poete Laureati Imperialisque Secretaaii* (ſic) *Viri Omnium Facile Preſtantiſſimi. Rerum Familiarium. Incipiunt Epiſtole Peramene.* Atque hæc quidem ſunt capitalibus litteris impreſſa. Tum immediate præmiſſo argumento incipit prima Epiſtola. Porro Epiſtolis plerisque præmiſſum eſt breviſſimum argumentum: in fine vero adjecta loci, anni, & diei nota, quibus ſcriptæ ſunt. Litteræ ſunt rotundæ perelegantes, & charta omnino eſt præſtantiſſima. Occurrunt tamen multæ abbreviaturæ, & ſphalmata typographica non pauca. Interpunctionis ſignum ſunt punctum & duo puncta, hæc rariora. Deſunt quoque initiales litteræ, cuſtodes, numeri & inſcriptiones paginarum. Signaturas typographus non in infimo margine, ut fieri ſolet, ſed externo collocavit: e. g.

— — — — — *diu illis*
— — — — — *auidus eſt* = α

Continet hæc editio Epiſtolas tantum 332. Eſt igitur minus completa editione Norimbergenſi ad annum 1481 N. IX recenſita, quæ epiſtolas complectitur 432. Quare auctor Catalogi *des Livres de ſeu M. Le Duc de la Valliere* Tom. II. p. 753. non recte de hac editione judicavit, dum eam omnium maxime completam eſſe dixit: *Cette edition eſt la plus complete, & la plus belle de ces lettres.* Forte erronea hæc aſſertio in cauſa fuit, ut exemplar La-Vallerianum pretio 117 librarum gallicarum in publica auctione venderetur. Ad calcem editionis iſtius hæc legitur uberior notitia: *Pii ſecundi pontificis*

*maxi-*

*maximi cui ante ſummū epiſcopatū primū quidem imperiali ſecretario Mox epiſcopo. Deīde etiā Cardinali ſenēſi. Enee ſiluio nomē erat. Familiares epiſtole date ad amicos ī quadruplici uite eius ſtatu finiunt per me Joānē de uueſtfalia In alma uniuerſitate louanienſi cōmorātē. Anno incarnatōis dominice M.CCCC.LXXXIII.* Plura de hac editione ſcitu jucunda habet Cl. Zapfius in Merkwürdigkeiten der Zapfiſchen Bibliotheck St. 1. pag. 63. ſeqq.

## V. Roberti Holkot, Angli, Ord. Præd. Commentarius in librum Sapientiæ. Spiræ per Petrum Drach anno 1483. in Fol.

Operi præmiſſus eſt index alphabeticus materiarum, foliis 17 comprehenſus, & in duabus columnis gothico charactere pereleganti, ac præſtanti chartæ, ut opus ipſum, impreſſus. Folio impreſſo 18 *Opus preclariſſimum eximii dñi magiſtri roperti holkot* &c. &c. incipit. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, paginarum numeris. Habet vero ſignaturas, & paginarum inſcriptiones, e. g. *Capitulū primū Lectio prima.* Eſt enim opus diviſum in novendecim capitula, quot nempe conſtat ipſe liber ſapientiæ. Capitula denuo ſunt diviſa in lectiones, quarum univerſim ſunt CXII. Accedit in fine auctoris ejusdem oratio de ſtudio diuinæ ſcripturæ, ad cujus calcem hæc typographus ipſe adjecit: *Opus preclariſſimum eximii domini magiſtri roperti Holkot ſacre theologie moraliſſimi atq3 doctiſſimi pfeſſoris ordinis fratrū predicatorū ſup ſapientiā Salomonis Per me Petrum drach ciuem Spireñ. impreſſu3. Anno incarnatōnis dominice Milleſimo quadringenteſimo octogeſimo tercio. quarta die Kalēdas Marcij finit ſeliciter.* Subjecta ſunt typographi inſignia. Videtur hæc editio omnium, quibus adjecta eſt anni nota, eſſe antiquiſſima. De auctore, & aliis ejus operibus agit Weislinger in *Armamentario Catholico* &c. pag. 509 ſeqq.

## VI. Johannis Heroldt Ord. Predicat. Sermones de tempore & Sanctis, dicti *Sermones Diſcipuli.* Accedit Promptuarium Exemplorum, nec non Promptuarium de Miraculis B. M. Virginis. Norimbergæ per Ant. Koburger anno 1483. in Fol.

Operi præmiſſi ſunt varii indices ad uſum ejusdem expeditiorem reddendum ſpectantes, foliis novendecim comprehenſi, & gothico charactere pereleganti in duabus columnis præſtanti chartæ, ut opus ipſum, impreſſi. Deſunt ubivis initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, numeri paginarum. In margine ſuperiori primæ paginæ cujusvis folii notatur ſermonis numerus, e. g. *Sermo X.* Sermones de tempore ſunt univerſim CLXIII. De Sanctis XLVIII. Promptuarium exemplorum eſt ordine alphabetico concinnatum, cui in fine accedit index materiarum pariter alphabeticus. In fine tabulæ ad

Promp-

Promptuarium de miraculis B. M. Virginis hæc leguntur impreſſa: *Finit opus putile ſimplicibꝫ curã animaruꝫ gerentibꝫ. p venerabilẽ & deuotuꝫ Johannem herolt ſancti Dnici ſectatorẽ pſeſſuꝫ. de tpe & de ſanctis cũ pmptuario exemplorũ atqꝫ tabulis ſuis collectũ. idcirco diſcipulus appellatum: induſtria Anthonii koburger incole Nurembergk qꝫ diligenter ſic effigiatũ. & anno ſalutis* M. ccccLxxxiij. *alta ſeptẽbri.* xvi. *die ꝯſumatũ.* Opus iſtud ſæculo decimo quinto ad finem vergente, quo auctor floruit, fuit ſæpius typis excuſum, plerumque ſine expreſſo auctoris nomine, ſub titulo *Sermones Diſcipuli.* Quo in pretio fuerint, frequentes demonſtrant editiones, quarum undecim Sæc. XV. factas enumerat Cl. Gemeiner loc. cit. pag. 209.

VII. Formulare, oder deutſche Rethorika, h. e. Inſtructio ad ſcribendas epiſtolas, litteras commerciales, aliaque inſtrumenta ſecundum leges, vel mores patriæ. Theodiſce. Argentinæ per Johannem Preuſs. anno 1483. in Fol. min.

In prima primi folii pagina circa medium ejusdem hic quaſi titulus charactere magno gothico legitur

Formulare. Vnd
Tutſch rethorica.

Præter hæc nihil amplius totum hoc continet folium. Folio ſecundo in prima primæ paginæ columna ſine ullo titulo legitur brevis inſtructio de uſu ſequentis materiarum indicis, ipſiusque operis. Index incipit in ſecunda ejusdem paginæ columna, & terminatur in columna ſecunda folii quarti. Atque hæc quidem quatuor folia nec numerata, nec ſignata ſunt. In fronte folii quinti. Hie vahet an ein Rhetorica. haltende die tritten ſtat der ſibẽ freyen künſtẽ. Doruſſz ze lernen wie man tütſch miſſiuẽ | das ſint ſendtbrieff ordenlich | yegligem noch ſynem ſtat vnd würden ſetzen ſoll. Prima hæc pagina per errorem typographi eandem habet ſignaturam cum ſecundi folii, ſeu in ordine ſexti pagina prima, ſc. a ij. In ſuperiori margine primæ paginæ cujusvis folii numerus ejusdem eſt adnotatus hac ratione, e. g. Das. xvj. blat. Conſtat volumen integrum foliis hac ratione numeratis cxij. Litteræ ſunt oblongæ, admodum luculentæ. Charta minus alba eſt, ſed ſatis firma. Cuſtodes deſunt. Initiales vero litteras ſectionum majorum, easque florentes magnas typographus adjecit. In fine hæc tantum leguntur impreſſa:

Getruckt zů Straſz
burg Johanes prüſz
Anno dñi. MccccLxxxiij.

VIII. Johannis de Janua Catholicon. Venetiis per Hermannum Liechtenſtein anno 1483. in Fol.

De opere & ejus auctore ſcitu neceſſaria ad annum 1469. N. V. prælibavi. Præſens editio eſt charactere gothico minuto, ſed eleganti in duabus columnis præſtanti chartæ impreſſa. Habet initiales litteras parvas, ſignaturas, & inſcriptiones paginarum. Caret vero cuſtodibus, & numeris paginarum. In prima primæ paginæ columna hæc leguntur: *Incipit ſūma que vocatur catholicon edita a fratre Johanne de ianua: ordinis fratrū predicato4:* in fine vero operis: *Finit opus preclarū dictū catholicon: editū a fratre Johanne ianuenſi ordinis fratrū predicatorum q3 diligentiſſime emendatū atq3 correctū: Et impreſſū Uenetiis ingenio ac impēſa Hermanni liechtenſtein Colonienſis: Anno natalis dn̄i* M. cccc. Lxxxiij. *octauo kl'as octobris* ꝛc. *Laus Deo.* His ſubjectum eſt *Regiſtrū charta4;* & nihil præterea.

IX. Horatii opera cum commentariis Chriſtophori Landini. Venetiis per Johannem de Forlivio, & ſocios anno 1483. in Fol.

In averſa primi folii pagina *Ad Horatium* (capitalibus litteris) *Flaccum Ode Dicolos Tetraſtrophos Angeli politiani* legitur. Folium ſecundum commentatoris ad Guidonem Feltrinum Præfationem continet. Foliis tribus ſequentibus exhibetur *Tabula Vocabulorum Quæ In Noſtris comentariis Suo Ordine Interpretata Invenies.* Sextum folium errata continet librarii, & Regiſtrum chartarum. Ad hujus calcem hæc leguntur impreſſa: *Chriſtophori landini florentini in. Qu. Horatii flacci opa oīa īterpretationum finis. Diuino auxilio Foelix. die* xvii. *maii.* M, cccc. Lxxxiii. Folio demum ſeptimo opus ipſum incipit. Tam carmina, quam commentarii ſunt rotundo charactere, illa majori & admodum luculento, hæc minori, utroque elegantiſſimo chartæ præſtantiſſimæ impreſſa. Initiales litteras parvas, ſignaturas, & paginarum inſcriptiones typographus adjecit. Cuſtodes vero & paginarum numeri deſunt. Ad calcem voluminis hæc tantum impreſſa leguntur: *Impreſſum Venetijs per Joannem de forliuio & ſocios. Anno M. CCCC. LXXXIII. Finis.* Videtur hæc editio ſecunda eſſe, inter editiones nimirum, quæ Landini commentarios habent adjectos. Editio originalis eſt Florentina anni 1482, quam deſcripſit Cl. de Bure n. 2717. Dubitare licet, num illa ſit hac noſtra elegantior.

X. Caii Plinii Hiſtoriæ Naturalis Libri XXXVII. Venetiis per Rainaldum de Novimagio, Anno 1483. in Fol.

Initio voluminis *Caius Plinius* (ſc. Junior) *Marco Suo Salutem.* Epiſtolam hanc excipit Plinii vita ex Aurelii Victoris libro de viris illuſtribus. Tum ſequitur Plinii itidem Junioris Epiſtola ad Tacitum. Huic ſubjuncta ſunt Tertulliani, & Euſebii Cæſarienſis de Plinio teſtimonia. In averſa ſecundi folii pagina Plinii ad Veſpaſianum Imp. Epiſtola incipit, eademque terminatur in averſa pagina folii tertii. Folio quarto incipit primus liber, qui nihil aliud continet, quam brevia ſingulorum totius operis capitum argumenta. Ad ſingulos libros enumerantur auctores, ex quibus Plinius ſua deprompſit. Atque hæc quidem argumenta ſunt quatuordecim foliis comprehenſa. Impreſſum eſt hoc opus præſtantiſſimæ chartæ, & charactere rotundo elegantiſſimo. Sed eſt etiam multis mendis typographicis inquinatum. Chartas typographus ſignavit, idemque litteras initiales parvas adjecit. Cuſtodes vero, numeri & inſcriptiones paginarum deſunt. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta. In fine libri 37 ſequens legitur notitia: *Caii Plynii Secundi Naturalis hyſtoriæ Liber trigeſimus ſeptimus & ultimus Finit. Venetiis impreſſus opa & impēſa Rainaldi d Nouimagio Alamani Anno Natiuitatis Domini: M. CCCC. LXXXIII. Die ſexta Menſis Junii. Regnante Illuſtriſſimo principe Joanni* (ſic) *Mocenigo.* Accedunt *Correctiones* duobus foliis comprehenſæ, & regiſtrum chartarum in prima ultimi folii pagina.

XI. Epiſtolæ & Evangelia per totum annum tam de Dominicis quam de Feſtis. Cum adjecta eorundem expoſitione. Theodiſce. Per Conradum Dünkmut Ulmæ anno 1483. in Fol.

Folium primum vacuum eſt. Folii ſecundi prima pagina Chriſti e cruce pendentis imaginem, cui adſtant Maria Deipara, & S. Johannes, exhibet. In quatuor vero angulis quatuor evangeliſtarum ſymbola, nimirum Aquila, Angelus, Bos & Leo, conſpiciuntur. In averſa folii ejusdem pagina operis hujus ſcopus & œconomia exponitur. Folio demum tertio opus ipſum incipit: **Nun volget hye nach der anfang an dem erſtenn** (ſic) **ſontag in dem aduent die epiſtel!** Initia epiſtolarum & evangeliorum latine exhibentur: ipſæ vero epiſtolæ & evangelia integra Theodiſce. Folia in margine ſuperiori utriusque paginæ numerata ſunt, e. g. *Cxxij.*, ſc. folium 122. Evangeliis præmiſſæ ſunt figuræ eorum argumento convenientes. Initiales vero litteræ Epiſtolarum magnæ ligno inciſæ ſunt. Charta eſt firmiſſima quidem, ſed cruda, & minus alba. Cuſtodes & ſignaturæ deſunt. Præter punctum occurrit linea cum puncto eidem ſubjecto: (!) Litteræ ſunt gothicæ ſatis magnæ, ſed paulo rudiores. In prima folii *Cclvi* (256) pagina ſequens legitur notitia: **Geendet ſäligklich von Cůnrado Dünkmů: zů Vlm**

freytag nach ſant Mathis des hayligen zwelffbotten tag! der mindern Jar ſal In dem *lxxxiij!* Jar! Operis hujus ...orte omnium primam, ad annum 1473 N. VIII. recenſui.

## ...entii Vallæ Opus de Elegantia linguæ latinæ cum ejus... Epiſtola ad Johannem Tortellium de Reciprocatione ...nominis ſui, & ſuus. Venetiis anno 1483. in Fol.

Præmiſſa ſunt brevia ſingulorum totius operis capitum argumenta ...foliis comprehenſa. Folio quarto *Laurentii Ualenſis* (ſic) *Patricii Ro... commentariorum grammaticorum ſecundum elegantiam lingue latine liber pri... de noīe verboq3 & ex his duobus ɔpoſito participio* ſc, incipit. Sequitur ...tem immediate auctoris *Proemium*, terminatum in prima quinti folii pagi... linea 3. Tum immediate opus ipſum incipit gothico charactere perele...anti & nitidæ chartæ impreſſum. Initiales parvas & ſignaturas typogra...us adjecit. Deſunt vero cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. Ad calcem operis primum quidem hæc leguntur: *Laurentii Uallenſis patritij ...omani de lingue latine elegantia. & de hoc pronomine ſui ad Joannē. Tortellū opus Uenetiis impreſſu3.* *Anno Chriſti.* M. ccccLxxxiij. *die* xvij. *Julii.* Poſtea vero

*Calphurnius.*

*Antonio paſqualino de Sancto Germano Campanie. S.*
*Reſtituit quondam patrie uexilla Camillus.*
*Et raptas gallis ſolus ademit opes.*
*Rettulit eloquium noſtro Laurentius euo*
*E Capitoline contulit arcis opem.*
*Barbara cuncta jacent. ſunt hoc & uindice pulſi.*
*Quicunq3 a gothis ſigna relicta collunt.* (ſic)
*Quo tibi debebit ſemper ſtudioſa iuuentus.*
*Campani Antoni gloria magna ſoli.*
*Nanq3 tua impenſa totum uulgatur in orbem.*
*Uallenſis notus q̄ fuit ante magis.*
*Finis.*

## XIIII. Biblia latina. Venetiis per Joh. Herbort de Seligenſtat anno 1483. in Fol.

In averſa primi folii pagina *Franciſci monelienſis a genua in ſacroſanctam ac ſacratiſſimā bibliā Epſa* legitur, in qua Scripturæ Sacræ ſtudium univerſim commendat, & multa habet in laudem typographi, & hujus Bibliorum editionis, quæ tamen non pauca habet menda typographica. Ceterum gothico charactere minori pereleganti in duabus columnis chartæ admodum nitidæ eſt

 im-

impreſſa. Caret cuſtodibus, & paginarum numeris. Habet vero initiales litteras parvas, ſignaturas, & inſcriptiones paginarum, e. g. *Joſue*, *Regum IIII.* In fine ſecundi libri Machabæorum hæc leguntur:

*Explicit ſecundus liber Machabeorum*
*Incipit epiſtola beati Hieronymi ad Da*
*maſum papam in quattuor euangeliſtas.*

In fine Apocalypſeos primum quidem leguntur verſus memoriales: *Biblia quē retinet* &c. recitati ad annum 1481 N. XVI. His ſubjecta eſt notitia ſequens: *Exactum eſt inclyta in vrbe venetiaꝝ ſacroſanctum biblie volumen integerrimis expolituſq3 litterarum caracteribus. Magiſtri Johānis dicti magni. Herbort de ſiligenſtat alemani: qui ſalua oīum pace auſum* (ſic) *illud affirmare. ceteros facile oms hac tempeſtate ſupeminet. Olympiadibus dnicis. Anno vero.* 1483. *pridie kalendas Nouembris.* Accedunt interpretationes hebraicorum nominum, foliis 31 comprehenſæ. Ad harum calcem leguntur carmina, quorum auctor eſt

*Quintius Emilianus*
*Cymbriacus Poeta lau.*
*Qui prim⁹ latias effinxit in ære lituras:*
*Et docuit ſacros ære notare libros:*
*Non ne putas dicti cælum ſupaſſe mironis?*
*Phidiacas veneres? parrhaſioſue ioues.*
*Hunc ego dædaleos etiam viciſſe labores.*
*Hunc ego palladias credo habuiſſe manus.*
*Finis.*

In prima ſequentis folii pagina exſtat impreſſum *Regiſtrum Chartarum.* Raram eſſe editionem hanc, Cl. Maſchius affirmat in Bibliothec. ſacra Le Long. a ſe edita Part. II. Vol. III. pag. 131.

## XIV. Operum Johannis Gerſon, Cancellarii Pariſienſis, Volumina I. II. & III. anno 1483. Vol. IV. anno 1484 impreſſa Coloniæ per Johannem Kœlhoff. in Fol. min.

Initio ſingulorum voluminum exhibetur ſyllabus eorum, quæ continentur. Habent etiam ſingula volumina ſuas peculiares ſubſcriptiones. Et quidem voluminis primi hæc eſt ſubſcriptio: *Volumē primū tractatuū & librorū venerandi viri dni Joh'is de Gerſōno* (ſic) *ſacraꝝ lrarū interpretis veraciſſimi. doctorisq3 conſolatorii per me Johannē Kœlhoff de Lubeck Colonie ciuem accuratiſſime impreſſu āno gratie.* M. cccc. Lxxxiij. *in vigilia vrbani pape feliciter finit.* Volumen ſecundum hæc habet ſubſcripta: *Volumen ſcdm tractatus & libros diuerſos utiliſſimos cōplectens per Egregiū virū dominū Joh'e3 de gerſonno Doctorē cōſolatoriū vite & ſcientie probitate ſplēdidiſſimū. Cancellariūq3 pariſien dignifſimū. editos Anno gratie* M. cccc. Lxxxiij. *die vltimo Auguſti per me Joh'em kœlhoff* im-

*impreſſum feliciter finit.* Brevior eſt ſubſcriptio, quæ ad calcem legitur voluminis tertii: *Finit volumē tertiū operū dñi Joh'is garſō* (ſic) *Cancellarij piſieñ impreſſuȝ per me Joh'm kœlhoff de Lubeck Colonie ciuē Anno gr̄e.* M. cccc. Lxxxiij. Quarti demum voluminis ſequens eſt ſubſcriptio: *Librorum ac tractatuum doctoris conſolatorij egregij viri Magiſtri Johannis gerſon Cancellarij pariſieñ volumē quartū ſtudioſe elaboratoꝝ per me Johānem kœlhoff de Lubeck felic*\|. *Colonie ciuē Anno gratie* M. cccc. Lxxxiiij. *in vigilia ſancti mathie apoſtoli finit feliciter.* Ceterum volumina hæc gothico charactere majori ſatis luculento in duabus columnis chartæ perpulchræ impreſſa ſunt. Chartas typographus ſignavit. Idem litteras initiales parvas ſæpe adjecit, ſæpius omiſit. In ſuperiori margine leguntur tituli opuſculorum impreſſi, e. g. *Sermo de Vita Clericorum.* Numeri etiam foliorum in prima cujusvis pagina ſunt impreſſi. Conſtat vero paginis impreſſis Volumen I. CCCLxxxij. Vol. II. CCCLxxxviij. Vol. III. CCCxxviij. Vol. IV. CCCCxxix. Porro & illud eſt obſervandum, operibus Gerſonis in hac editione non nulla aliorum opuſcula eſſe immixta. Sic Volumini I. inſertus eſt libellus Joh. de Schœnavia defendentis contra Gerſonum dicta Ruisbrochii. Volumini II. Tractatus Nicolai de Clemangiis de vitiis miniſtrorum Eccleſiæ. Volumen tertium nihil continet, quod non eſt Gerſonis. Volumine quarto continetur tractatus de contractibus & origine cenſuum Henrici de Haſſia, item Henrici de Hoyta Tractatus de Contractibus, item Wilhelmi Orem Tractatus de moneta & ejusdem commutatione.

Editionis hujus tria volumina priora Weislingerus in Armamentario Catholico ad ann. 1483 recenſuit. Nihil vero ad annum 1484 habet de volumine quarto. Nihil quoque de eodem habet Hambergerus in zuverläſſigen Nachrichten &c. qui tria priora ex Weislingero recenſuit. Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* pag. 100. omnia quatuor volumina ad annum 1484. retulit, quemadmodum etiam Maittaire Tom. I. pag. 454. Quamvis hic quidem Bibliographus noſtram etiam editionem deſignaſſe videatur, ubi ad annum 1483 pag. 448. hæc habet: *Jo. Gerſon Tractatus varii Fol. Colon.* 1483.

XV. Plura opera medica. 1) Johannitii Iſagoge in Tegni. 2) Philareti liber pulſuum. 3) Theophili libellus de Urinis. 4) Hippocratis Aphoriſmi in ordinem collecti. 5) Ejusdem Aphoriſmi cum commento Galieni. 6) Liber prognoſticorum. 7) Liber regiminis auctorum. 8) Liber epidemiarum Hippocratis cum commento. 9) Libellus Hippocratis de natura fœtus. 10) Liber Galieni, dictus Tegni. 11) Libellus Gentilis de Fulgineo de diviſione librorum Galieni. 12) Libellus de lege Hippocratis, ejusdemque Jusjurandum. Venetiis per Hermannum Lichtenſtein anno 1483. in Fol.

In averſa primi folii pagina legitur editoris Prologus, cui ſubjectus eſt indiculus operum in hoc volumine contentorum. Folio ſecundo Incipit *Iſagoge Johannitii Ad Tegni Galieni Primus Liber Medicine.* Atque hæc quidem verba capitalibus literis romanis impreſſa leguntur in fronte primæ columnæ folii ſecundi. Paginæ ſingulæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. Characteres ſunt gothici minores perpulchri. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta. Charta eſt admodum ſubtilis & nitida. Numeros foliorum, paginarum inſcriptiones, litteras initiales parvas, & ſignaturas typographus ipſe adjecit. Cuſtodes vero deſunt. Conſtat volumen integrum foliis impreſſis, iisque numeratis 212. Hippocratis jusjurandum terminatur in ſecunda columna folii 211. In eadem columna ſequens legitur notitia: *Expletū eſt opus hoc preclarū artis medicine nomīatum Artiſella Hippocratis: q̄3 diligētiſſime accuratiſſimeq̄3 emendatū per dominū Franciſcū Argillagnes de Ualentia: artiū & medicine doctorē inſignē: impreſſum Uenetiis ſumma cura ac ſollicitudine Hermāni liStēſtein Coloniēſis. Anno dominici natalis.* m. cccc. Lxxxiij. *quarto kalendas apriles.* Subjectum eſt regiſtrum chartarum. In averſa pagina folii ejusdem legitur Franciſci Argilagnes epiſtola in qua de operis hujus a ſe emendati œconomia lectorem inſtruit. Folio 212 pagina prima exhibetur *tabula ſup libros Tegni que ordinata eſt eodē ordine quo tabula poſita ſupra ante libros cpnoſticoꝝ.* Conf. N. XX. ad ann. 1487. ubi editio recenſetur quoad externam formam ſimillima huic earundem opuſculorum editioni, ab eadem tamen diverſa.

XVI. Johannis Anglici, Ord. Min. commentum in Joh. Duns Scoti Quæſtiones de univerſalibus. Venetiis per Joh. Perſan Dauuome anno 1483. in Fol.

In fronte operis, ſeu primæ folii primi columnæ ſine ullo titulo commentatoris legitur brevis prologus, ex quo diſcimus, eum, cum eſſet junior,

opus

opus diffuſum in Scoti logicam ſcripſiſſe. Tum immediate in eadem columna opus ipſum incipit impreſſum gothico charactere minuto chartæ ſubtili, & nitidæ. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, paginarum numeri, & inſcriptiones. Signaturas typographus adjecit. In fine voluminis leguntur ſequentia: *Explicit cōmentū magiſtri. Joannis anglici ordinis minorum ſuper Queſtiōib⁹ de vniuerſalibus doctoris ſubtilis. vz. Joannis ſcoti. Impreſſuz venetiis per Joānem perſan Dauuome anno domini. M. CCCC. LXXXIII.* Subjectum eſt regiſtrum chartarum. Typographi hujus nomen apud Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* &c. & Maittaire fruſtra quæſivi.

## XVII. Guilielmi Hentisberi Expoſitio regularum ſolvendi ſophiſmata per Cajetanum de Tienis, & Franciſcum Agubienſem emendata. Venetiis per Andream de Honetis ann. 1483. in Fol.

Opus iſtud ſine ullo titulo, aut inſcriptione incipit, eſtque in duabus columnis gothico charactere juſtæ magnitudinis chartæ admodum nitidæ impreſſum. Caret cuſtodibus, initialibus litteris, paginarum numeris & inſcriptionibus. Ad calcem ſequens exſtat notitia: *Finis egregii hentiſberi regulaq & ſophiſmatuz expōnis p eximiū ſophiſtā & philoſophū ſūmuz magiſtrū gayetanuz de tienis emendate p acutiſſimū artiū ac medicine doctorē. m. Franciſcum agubienſē mane medicine theoricā papie legētez ſūma cū diligentia p me andreā de honetis dˑ papia venetiiſ ipreſſe regnante iclito principe ioāne moçēigo duce veneto.* M. cccc. Lxxxiij. *die* ix. *dcēbris. Laus deo & beate virgini.* Accedit regiſtrum chartarum. De typographo *Andrea de* HONETIS *de Papia* apud Bibliographos, qui ad manus mihi ſunt, nihil reperio memoriæ proditum. Hinc videtur mihi *Honetis* errorem eſſe typographicum, & ſcribendum fuiſſe *Bonetis.* Nam *Andreæ de Bonetis de Papia* plura occurrent hoc in opere monumenta typographica.

## XVIII. Pauli Veneti ſophiſmata aurea, correcta per Manfredum de Medicis Mediolanenſem impreſſa Papie per Nicolaum de Girardengis 1483. in Fol.

Impreſſum eſt hoc opus gothico charactere pereleganti & luculento, qui tamen abbreviaturas nimis multas habet, in duabus columnis chartæ firmiſſimæ. Caret cuſtodibus, paginarum numeris & inſcriptionibus. Habet vero ſignaturas. In fronte voluminis hæc leguntur: *Preclariſſimi logici ac ſophiſte ſubtiliſſimi Pauli ueneti ſophiſmata aurea putilia incipiūt*: in fine vero præter alia, ex quibus Manfredum de medicis hoc opus correxiſſe diſcimus, ſequentia: *Opus impreſſū Papie p m. Nicolaū dˑ girardēgis. Anno domini. Milleſimo. cccc°. lxxxiij°. die iiij. menſis Martij.*

XIX.

**XIX.** *Preclariſſimi uiri ac ſubtiliſſimi ſophiſte Guilielmi heſberi ꝓbatiões ꝯfūdiſſime ꝯſōnū ī regulis* (ſic) *poſita4.* Impreſſ. Papie per Nicolaum de Girardengis anno 1483. in Fol.

Exterior forma hujus operis eſt prorſus eadem cum exteriori forma operis immediate præcedentis. Quæ initio voluminis leguntur, tituli loco recitavi. In fine autem præter alia hæc habes impreſſa: *Impreſſe cura & diligentia Magiſtri Nicolai de girardengis.* M. cccc? Lxxxiij. *die* xxiiij. *ianuarij.*

**XX.** Guilielmi de Ockam, Ord. Min. ſcriptum ſuper Libr. I. ſententiarum. Anno 1483. ſine nota loci & typographi. in Fol.

Volumini præmiſſa eſt *Tabula ſiue regiſtrū cōtentor4 in hoc volumine ſm ordinē A. b ordinatorū* &c. comprehenſum foliis impreſſis 24. Tum folium ſequitur vacuum. Folio 26 *Scriptum in primum librum ſententiarum venerabilis inceptoris fratris Guilhelmi deOckam — — — — Incipit feliciter*, impreſſum gothico charactere perpulchro, & ſatis luculento in duabus columnis præſtanti chartæ. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, & numeri paginarum. In ſuperiori autem margine notantur quæſtiones, & diſtinctiones, e. g. *Queſtio Nona Di. Secunda.* Singulæ etiam columnæ in ſuperiori margine litteris notatæ ſunt; ſic e. g. folii primi columna prima litteram A, ſecunda B, tertia C, quarta D, folii ſecundi prima E, ſecunda F & ſic deinceps. Litteras etiam initiales magnas floribus ornatas, & ligno eleganter inciſas typographus adjecit. Occurrunt puncta & duo puncta. Abbreviaturæ non nimis frequentes ſunt. In fine voluminis hæc tantum leguntur impreſſa: *Explicit ſriptum ſup primum librū ſententiarū Uenerabilis inceptoris mgri Wilhelmi de Ockā Anglici. Anno.* 1483.

**XXI.** Johannis Capreoli Ordinis Præd. In I. II. & III. Librum ſententiarum commentaria, ſeu Defenſio ſcriptorum S. Thomæ Aquinatis in libros eosdem. Voll. III. anno 1483. Ejusdem Commentaria &c. in librum IV. ſentent. anno 1484. Venetiis per Octavianum Scotum Modoetenſem. in Fol.

Voluminibus ſingulis præmiſſa eſt tabula, ſeu index ſingularum ordine quæſtionum, & concluſionum, qui in primo quidem volumine folia impreſſa quinque, in ſecundo tria, in tertio duo, in quarto tria implet. Peculiarem quoque ſingula volumina ſubſcriptionem in fine adjectam habent. Ad calcem voluminis primi ſequens legitur: *Liber primus defenſionū theologie diui doctoris Thome de aquino in primo ſententia4 edit⁹ per eximiū veritatis ſchole profeſſorē fratrem Johannē Capreoli Tholoſanū ordinis ꝑdicato4 anno domini mille-*

*milleſimo quadringenteſimo nono quo legit ſententias Pariſius feliciter explicit. Impreſſus Uenetiis per Octauianũ Scotum Modoetienſem anno ſalutifere incarnationis* M. cccc. Lxxxiij. His ſubjecta ſunt typographi inſignia, rubro expreſſa colore. Accedit ubivis *Regiſtrum* ſeu index quaternionum, ternionum &c. Subſcriptioni modo recitatæ ſimiles ſunt ſubſcriptiones voluminibus ceteris adjectæ. Quarti tamen voluminis ſubſcriptio diverſam anni, ſc. M. cccc. Lxxxiiij. notam habet, ut jam in titulo inſinuavi. Ceterum quatuor hæc volumina gothico charactere minuto pereleganti in duabus columnis præſtanti chartæ impreſſa ſunt. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, & numeri paginarum. In ſuperiori tamen margine indicantur Quæſtiones & Diſtinctiones, e. g. *Diſtinctio IIII. Queſtio III.* Etiam paginas typographus ſignavit. Abbreviaturæ lectorem nihil fere morantur. Sunt enim minus frequentes, & facile dignoſcuntur. In primo volumine poſt indicem Quæſtionum legitur *Ad Reuerendiſſimũ in chriſto patrẽ & dñm. D. Ol. ẽpm Albañ. ſacroſancte Ro. ec. Cardi. Neapolit. ſacri ordinis predicatorũ digniſſimũ protectorem : Fratris Thome de ſ̃. Ger. Brixiani eiuſdẽ ordinis. ꝓuincie Lombardie. pro Johannis Capreoli voluminũ editione atq; impreſſione epiſtola*, duobus foliis comprehenſa, & ſcripta *Uenetiis kal'. Auguſti* 1483. Diſcimus ex hac epiſtola, Thomam Brixianum omnium primum fuiſſe, qui hæc commentaria typis imprimenda curavit, eademque recognovit.

## XXII. Breviarium Eyſtettenſe juſſu & impenſis Epiſcopi Wilhelmi ex inclyta familia de Reichenau editum, & impreſſum per Georgium Ryſer anno 1483. in Fol. magn.

Præmiſſum eſt calendarium Eccleſiaſticum, ſex foliis comprehenſum. In averſa ſeptimi folii pagina leguntur Benedictiones, & Invitatorium ad matutinum. Tum ſequitur Pſalterium, quod excipiunt Cantica, Lytaniæ de omnibus Sanctis, Preces, ſuffragia & Hymni. Poſt hæc demum legitur admonitio ad Clericos Diœceſeos Eyſtettentis de hujus Breviarii editione. Diſcimus ex ea, Wilhelmum Epiſcopum nullis peperciſſe ſumptibus, ut Breviarium iſtud & adcurate, & eleganter impreſſum prodiret. De typographo hæc habentur: *Caſtigatõis itaq; labore (vt pmittitur) confecto! mititur codex ad officinã mgri georgij Ryſer impreſſorie artis pitiſſimi q̃ acri cura. vigiliq; diligentia opus ſcdm exemplar emendatiſſimũ ſibi traditũ infra ſpacium anni ad calcem vſq; ordinatiſſime perduxit.* In fine demum hujus admonitionis ſequens habetur notitia: *Inceptũ ẽ opus iſtud Anno millesimo quadringenteſimo octogeſimo ſecundo. preſule ut premittitur preſidente domino Wilhelmo de Richennau. cuius & eccleſie atq; capituli Eyſtetteñ inſignia & Arma preſentibus ſunt ſubimpreſſa. Aſſenſum etiam preſtantibus Venerabilibus dominis Decano Vito de Rechenberg iuris pontificii doctore, & Capitulo Eyſteteñ. Conſummatũ atq; abſolutum Anno. milleſimo quadringenteſimo octogeſimo tercio Die viceſima tercia Februarii.* Inſignia, quorum

modo

modo facta eſt mentio, immediate ſubjecta a perito artifice eleganter excuſa ſunt. In folio ſequenti incipiunt Capitula, Antiphonæ, Orationes, Reſponſoria, Lectiones ad matutinum & per Horas &c. Atque hæc quidem voluminis partem longe maximam efficere per ſe ipſum quivis intelligit. In fine voluminis hæc tantum verba leguntur rubro colore impreſſa: *Finis Regula4 de Aduentu domini.*

Charta, cui impreſſum eſt hoc opus, plane præſtantiſſima eſt, utpote magna, munda, alba, firma, & latiſſimos habens margines. Litteræ gothicam quidem habent formam, ſunt vero perelegantes, non nihil majores, & admodum luculentæ, eædem omnino cum litteris, quibus impreſſa ſunt opera ſine nota loci & anni a N. X — XVI. Faſcicul. I. recenſita. Sed conferantur, quæ ibidem pag. 111. in nota (a) animadverti. Initiales litteræ magnæ ſunt, & rubro colore impreſſæ. Colore eodem impreſſæ ſunt, quæ vocantur rubricæ. Sed litteræ, quibus impreſſæ ſunt Antiphonæ, & reſponſoria, ſunt multo minores ceteris, attamen figuram habent eandem. Præter punctum occurrunt duo puncta & interrogationis ſignum. Cuſtodes, ſignaturæ, numeri & inſcriptiones paginarum deſunt omnino.

De typographo & loco impreſſionis ſunt quædam adhuc dicenda. Illius nomen in Admonitione ad Clericos dioceſeos Euſtettenſis, cujus ſupra memini, clare exprimitur verbis: *Mittitur codex ad officinam Magiſtri Georgii Ryſer*, ſeu verius forte Reiſer, *impreſſoriæ artis peritiſſimi.* Verum ex his verbis necdum liquido conſtat, an Georgius Reiſer Euſtadii, an alibi commoratus fuerit. Orlandi in *Origine, e Progreſſi della ſtampa* &c. pag. 207. & Maittaire Tom. I. pag. 493. unicum excitarunt librum Euſtadii, & quidem anno 1488 per Michaelem Reiſer, qui Georgii vel filius, vel frater, vel certe cognatus fuiſſe videtur, impreſſum, ſcilicet Obſequiale, ſeu Benedictionale Euſtadianum. Ex hoc ſatis probabilis conjectura naſcitur, Georgium quoque Reiſer Euſtadii fuiſſe commoratum; quin ex eo etiam, quod in laudata admonitione abſque loci mentione dicatur, *mittitur codex ad officinam* &c. id recte colligendum videtur. In *Monumentis Typograph. Biblioth. Cann. Regg. Rebdorf.* pag. 163. eadem editio Breviarii Euſtettenſis breviſſime indicatur, adeo, ut ne typographi quidem nomen memoretur.

## XXIII. Thomæ Medii, Patricii Veneti, Fabella, cui titulum dedit *Epirota*. Tarviſii per Bernardinum Celerium anno 1483. in Fol.

In averſa primi folii pagina legitur auctoris ad Hermolaum Barbarum Epiſtola. Folio ſecundo fabella, ſeu comædia ipſa incipit, impreſſa charactere rotundo præſtantiſſimæ chartæ. Initiales magnas rubro colore impreſ-

ſit

ſit typographus. Colore eodem impreſſa ſunt nomina perſonarum colloquentium, uti etiam ſignaturæ. Cuſtodes vero, numeri paginarum, & earundem inſcriptiones deſunt. Ad calcem primæ folii decimi paginæ hæc ſubſcripta leguntur: *Impreſſum per Bernardinum d' Celeris de Luere. An. Chr.* MccccLxxxiij. Orlandi in *Origine e Progreſſi della ſtampa* &c. auctorem adpellat *Medicum*, vel de Medicis. Sed omnino dicendus eſt Medius. Idem Orlandi typographum noſtrum anno adhuc 1483 Tarviſii commoratum fuiſſe, anno autem ſequenti (1484) Venetias abiiſſe, & ſocietatem iniiſſe cum Bernardino de Novaria recte adfirmat.

## XXIV. Petri de Ancharano lectura ſuper Clementinis Venetiis impreſſa per Bernardinum Stagninum. Anno 1483. in Fol.

Paulo ante medium primæ primi folii paginæ tituli loco majuſculo charactere hæc leguntur: *Petrus de Ancharano Super Clementinis.* Folio ſecundo ipſa incipit lectura, gothico charactere pereleganti firmiſſimæ ac præſtantiſſimæ chartæ in duabus columnis impreſſa. Paginas typographus ſignavit, idemque litteras initiales parvas, numeros, & inſcriptiones paginarum adjecit. In averſa pagina folii 111, columna quarta typographus ſequentia adnotavit: *Explicit lectura ſolemnis ſuper clementinis: edita per excellētiſſimū Juris utriuſq4 Interpretem dominum Petrum de ancharano. Impreſſa Uenetiis ſumptibus Magiſtri Bernardini ſtagnini de Tridino de Monte ferrato.* M. ccccIxxxiij. *ſexto idus Decembris.* His ſubjectum eſt *Regiſtrū* (chartarum) *hujus operis.* Apud Orlandium & Maittaire Bernardini Stagnini ante annum 1485 nulla fit mentio.

## XXV. Liber ſextus decretalium cum Gloſſis. Venetiis per Bartholomæum Alexandrinum & Andream de Aſula 1483. in Fol.

Opus iſtud eſt eleganti charactere gothico præſtantiſſimæ chartæ impreſſum. Volumini præmiſſa eſt Joh. Andreæ lectura ſuper arbore conſanguinitatis, & affinitatis, tribus foliis comprehenſa. Paginas typographus ſignavit, idem in gloſſa, non in textu, initiales literas adjecit. Deſunt autem omnino numeri & inſcriptiones paginarum, nec non cuſtodes. In fine rubro colore hæc impreſſa leguntur: *Sexti libri decretalium opus perutile enucleatius emendatum atq3 caſtigatum impenſa īduſtriaq3 ſingulari Bertholomei* (ſic) *de alexandria Andreeq3 de aſula ſociorum Uenetiis impreſſū feliciter explicit. Anno ſalutis dominice.* M. cccc. Lxxxiij. *pridie calendas octobris.* Subjecta ſunt typographorum inſignia, eaque rubro colore expreſſa, & Regiſtrum chartarum.

XXVI. Conſtitutiones Clementis V. R. P. cum adparatu Johannis Andreæ. Venetiis per Bartholomæum Alexandrin. & Andream de Aſula anno 1483. in Fol.

Voluminis iſtius externa forma eſt prorſus eadem quæ operis immediate præcedentis. In fine hæc leguntur ſubſcripta: *Clementinarum opus perutile enucleatius caſtigatum elimatūq3: Impenſa atq3 diligentia ſingulari Bartholomei de alexandria Andreeq3 de aſula ſocio3 Uenetiis impreſſum feliciter explicit: Anno ſalutis chriſtiane.* M. cccc. Lxxxiij. *tertio calendas nouembris.* Accedunt typis iisdem impreſſæ decretales extravagantes foliis octo comprehenſæ. Ad harum calcem typographorum inſignia & Regiſtrum chartarum adjecta ſunt.

XXVII. Johannis Andreæ Queſtiones Mercuriales. Ticini impreſſ. impenſis Franciſci de Pezanis. Anno 1483. in Fol.

Incipit opus ſine ullo titulo eſtque impreſſum in duabus columnis gothico charactere admodum luculento & eleganti, chartæ præſtanti & ampliſſimis marginibus inſtructæ. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, numeri & inſcriptiones paginarum: ſignaturas vero typographus adjecit. In fine uberior legitur de opere & auctore notitia: *Expletū eſt aureū cometū d. Jo. and. ſup regul'. iuris quod nuncupat' mercuriales eo q^a ipe auctor die mercurii iſudabat & uigilabat ad ipſū cometu3 explicandum qđ merito aureu3 nūcupari poteſt q^a litteris aureis mereret' Imprimi. quodq3 impreſſū fuit in regia ticinēſi ciuitate impenſis Spectabil'. J. U. doc. d. Jo. Fran. de pezanis. Anno dñi.* M. ccclxxxiij. *die* xvii. *Maii Regnante diuo Jo. Galeaz. duce.* iiij. *mediolani.* His ſubjectum eſt regiſtrum chartarum.

XXVIII. Franciſci de Accoltis conſilia Juridica Mediolani per Antonium Zarottum opera & impenſa Johannis Legnani 1483. in Fol.

Præmiſſus eſt index Alphabeticus materiarum, foliis impreſſis undecim comprehenſus. Folio 12 ipſa incipiunt conſilia gothico charactere admodum eleganti in duabus columnis præſtanti chartæ impreſſa. Paginas typographus ſignavit. Deſunt vero cuſtodes, initiales litteræ, numeri & inſcriptiones paginarum. Ad calcem voluminis typographus in laudem auctoris & ipſius operis adjecit ſequentia: *Expliciunt elegantiſſima conſilia Magnifici equitis Romani: Ac iuriſconſulto4 etate noſtra principis Dñi Franciſci de accoltis de Aretio. Mediolani impreſſa per Magiſtrum Antonium Zarottum Opera & impenſa Johānis Legnani Mediolanēſis librarii.* M. cccclxxxiij. *die vero* x. *Septembris.*

*tembris. Laus Deo.* In prima ſequentis, ejusque ultimi folii pagina exſtat impreſſum *Regiſtrum* (chartarum) *Hujus Operis.*

**XXIX. Porphirii & Ariſtotelis libri complures, in ſubſcriptione, calci voluminis adjecta, ſingulatim enumerati cum commentariis Averrois in eosdem libros Venetiis per Bartholomæum Alexandrinum & Andream de Aſula ann. 1483. in Fol.**

Textus latinus majori pereleganti, & luculento, commentaria textui adjecta multo minori, ſed non minus eleganti charactere gothico in duabus columnis præſtantiſſimæ chartæ impreſſa ſunt. Initiales litteræ, cuſtodes, numeri paginarum deſunt. Paginas vero typographus ſignavit, idemque in ſuperiori margine librorum titulos imprimi curavit, e. g. *Liber ij. poſterio4 Ariſ.* In fine voluminis, præmiſſo Regiſtro chartarum, ſequentia leguntur: *Explicit regiſtrum chartarū voluminis qd continet librū quinq3 p̄dicabiliu3 porphirii cū cōmento Auerois. Item p̄dicamenta Ariſtotelis cū eiuſdem cōmento. Ite3 libros duos perihermenias cu3 eiuſdem cōmento. Item duos prio4 & duos poſterio4 cū eiuſdē cōmento. Inſuper octo topico4 & duos elencho4 ſine eiuſdē cōmento p optime caſtigatos p eximiū virū dnm Nicoletū artiū liberaliū ac medicine pſeſſorem in almo gymnaſio patauino ep nunc legentem: Venetiis ipendio induſtriaue Andree de aſula Bartholomeiq3 alexandrini ſociorum ipreſſos: regnantē illuſtriſſimo Joanne mocenigo venetorū duce: Anno ſalutis dn̄ce.* M. ccccLxxxiij. *quinto nonas februarias.* Laus *deo.*

**XXX. Bartholomæi de Salyceto Lecturæ in libros novem Codicis. Venetiis per Johannem Herbort de Seligenſtat anno 1483. in Fol.**

Lecturas iſtas in 9 libros codicis ipſe typographus in totidem diſtinxit volumina, quorum ſingulis peculiarem in fine ſubſcriptionem & regiſtrum chartarum adjecit. Ex ſubſcriptionibus diſcimus, lecturam in I. librum codicis excuſam eſſe *Anno domini.* M. cccc. lxxxiij. *prima ſeptembris.* Lecturam in II. lib. cod. eod. anno *ſexta decima octobris.* in III. e. a. *vigeſima quarta nouembris.* in IV. e. a. *pridie nonas Julias.* in V. e. a. *duodecimo die nouembris* in VI. e. a. *die .xii. Nouēbris.* *) in VII. e. a. *die viceſima Septembris.* in VIII. e. a. *octaua menſ Auguſti.* in IX. eod. a. *viceſima ſexta die Julij.* Speciminis loco recitabo ſubſcriptionem quæ ad calcem lecturæ in lib. VII. legitur, integram:



*) Si hæc diei nota adcurate expreſſa eſſet, ſequeretur, commentaria, ſeu lecturas in 5 & 6tum codicis eodem die prælo exiiſſe quod vix crediderim. Suſpicor itaque alterutro in loco ſiniſtre poſitam eſſe diei notam.

gram: *Finis lecture excellentiſſimi vtriuſq3 iuris doctoris domini Bartholomei de ſaliceto ſup ſeptimo Codicis impreſſe venetiis per magiſtrum Joãnem Herbort de ſiligenſtat alamanum: qui non ſolum ſummam adhibet curam: vt hec aliaq3 ſine vicio verum & omni diligentia ſua elaborata ſint opera. Anno domini Milleſimo quadringẽteſimo octuageſimo tertio die viceſima Septembris.* Litteræ gothicæ ſunt, eæque perelegantes: Charta omni ex parte præſtantiſſima eſt. Initiales litteras parvas & ſignaturas typographus adjecit. Cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum deſunt.

XXXI. Paſſio D. N. J. Ch. ſecundum quatuor Evangeliſtas, adjectis Patrum expoſitionibus, explicata, & figuris ligno inciſis repræſentata. Theodiſce. Per Anton. Sorg. Aug. Vindel. Anno 1483. in 4to.

In averſa primi folii pagina figuram videre eſt ligno inciſam, quæ Abrahamum, filium Iſaac mactaturum repræſentat. Folio ſecundo opuſculum incipit, germanicis litteris oblongis & admodum pinguibus impreſſum. Deſunt cuſtodes, ſignaturæ, numeri & inſcriptiones paginarum. Initialem litteram magnam ligno inciſam typographus adjecit. In fine majuſculo charactere impreſſa leguntur ſequentia: **Gedruckt und volendet iſt diſer loblich paſſion in d' keiſerlichẽ ſtatt Augspurg von Anthonio ſorg an dẽ ſampſtag nach ſant Pauls ker. Do man zallt nach criſti gepurt M. cccc. vnd in dem lxxxiii. iare.**

XXXII. Euſebii Chronicon a S. Hieronymo latine verſum, continuatum ab eodem, uti etiam a Proſpero, ac Matthæo Palmerio. Impreſſum Venetiis per Erhardum Ratdolt anno 1483. in 4to.

Præmiſſus eſt index alphabeticus materiarum, foliis impreſſis undecim comprehenſus. Folio impreſſo duodecimo S. Hieronymi & ipſius Euſebii hæc quidem a S. Hieronymo latine verſa, Præfationes, incipiunt. Has excipit textus ipſe operis, quod eleganti charactere, & præſtanti chartæ impreſſum eſt. Deſunt cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. Signaturas vero, & literas initiales magnas, easque florentes, ligno eleganter inciſas, typographus adjecit. In fine rubro colore impreſſa hæc leguntur: *Erhardus Ratdolt Auguſtenſis ſolerti vir ingenio maxima cura plurimis vndiq3 comparatis exemplaribus Euſebii libros chronicos ac reliquas in hoc volumine de temporibus additiones: nõ paruo ſtudio impenſiſq3 emendatiſſime impreſſit Uenetiis Duce* (ſic) *inclyto Joan. Mocenigo Romano4 imperatore Phrederico. iij. anno Imperii ſui. 44. Anno Salutis* 1483. *Idibus Septembris.* A ſiniſtris lineæ ultimæ nigro colore

lore impreſſa legitur vox *Gloria:* a dextris *Deo.* Editio hæc, quæ tota e tabulis compoſita eſt, magno in pretio habetur a Bibliographis, quos Illuſtris Zapfius in **Augsburgs Buchdruckergeſchichte** pag. 164. magno numero excitavit. Editionem ejusdem operis forte omnium primam recenſui ad annum 1475. N, XXIII.

XXXIII. Biblia latina Venetiis impreſſa per Franciſcum de Hailbrunn anno.1483. in 4to

Impreſſa ſunt hæc Biblia gothico charactere admodum minuto in duabus columnis chartæ præſtantiſſimæ. Paginarum inſcriptiones, initiales litteras parvas, & ſignaturas typographus adjecit. Deſunt vero cuſtodes, & numeri paginarum. In fine Apocalypſeos hæc tantum leguntur: *Explicit biblia impreſſa Uenetiis per Franciſcum renner de heilbrun. M. CCCC. LXXXIII.* Accedunt interpretationes nominum hebraicorum. Meminit hujus editionis Cl. Maſchius Part. II. Vol. III. Cap. II. Sect. I. pag. 121. Nihil quidem habet de hebraicorum nominum Interpretationibus huic editioni adjectis: dum vero affirmat volumen foliis conſtare 474, oportet etiam interpretationes illas in Exemplari deſcripto fuiſſe adjectas. Ceterum ego quidem univerſim folia numeravi impreſſa 476, non tantum 474.

XXXIV. Tractatus cujusdam Charthuſiani 1) de Amore Dei, 2) de quatuor noviſſimis. Theodiſce per Antonium Sorg Aug. Vindel. anno 1483. in 4to.

In fronte prioris tractatus majuſculis litteris germanicis hæc impreſſa leguntur: **Diſe hernach geſchriben materi iſt gemacht von einem kar‐thauſer. vnd ſagt von der groſſe nuczberkeyt der gerechtē mainūg in allen vnſern wercken.** Hæc verba immediate excipit præfatio ad fratrem Conradum (**brͦd' conrat**) quæ folia quinque implet. Non eſt vero ipſius auctoris, ſed alterius, qui librum deſcripſit. Folio ſexto index capitum incipit, qui rtia folia integra, & quarti primam paginam implet. In fronte averſæ folii ejusdem paginæ legitur: **Daz bůchlin lert vnſz got lieb haben über alle ding.** in fine ejusdem: **Hie endet ſich daz bůchlin von der liebe gotes.** Libellus alter de quatuor noviſſimis hunc quaſi titulum in fronte gerit: **Gedenck in allen deinen werck dein letſte zeit ſo wirſtu nymmer ſünden. Exodivii.** (pro *Eccleſiaſtici vii.*) Ad finem ejusdem leguntur ſequentia: **Ein bůchlin von der liebe gottes mit ſampt dem ſpiegel d' kräcken vnd ſterbenden menſchen endet ſich ſäligklichē. Gedruckt vnd vollendt in der keyſerlichen ſtatt Augspurg. von Anthonio ſorg. an aftermontag nēchſt vor dem palmtage. do man zalt nach criſti gepurt M** *CCCClxxxiii.*

Ini-

Initiales litteras magnas ligno inciſas typographus adjecit. Cuſtodes vero, ſignaturæ, numeri & inſcriptiones paginarum deſunt.

XXXV. Formularium Procuratorum in curia Romana. Romæ per Stephanum Planck anno 1483. in 4to.

Præmiſſus eſt index materiarum, ſeptem foliis impreſſis comprehenſus. Folio octavo opus ipſum incipit charactere minutiſſimo gothico præſtanti chartæ impreſſum. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, numeri, & inſcriptiones paginarum. In fine typographus ſequentem adjecit notitiam: *Formulariū procurato4 exactiſſima diligētia Rome impreſſum per honorabilem virū mgrm Stephanū plannk de patauia ſub anno dñi* ∞. cccclxxxiii. *die* xv. *Januarii Finit feliciter.* Accedit *Regiſtrum*, ſc. chartarum.

XXXVI. *Opus Anthonini archiepiſcopi Florentini ī theologia illūinatiſſimi. In q3 utroq3 iure exptiſſimi De eruditione Confeſſorum feliciter incipit.* Hæc majuſculo charactere gothico in fronte primæ columnæ primi folii leguntur. Accedunt 1) Sermo S. Joh. Chryſoſtomi de Pænitentia. 2) Henrici de Haſſia Regulæ ad cognoſcendam differentiam inter peccatum mortale, & veniale. 3) Tractatus ſolemnis de vero modo prædicandi. Memmingæ per Albertum Kunne de Duderſtat anno 1483. in 4to min.

Hæc omnia opuſcula ſunt gothico charactere in duabus columnis impreſſa. Paginas typographus ſignavit, idemque initiales litteras parvas adjecit. Deſunt vero cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. Ad calcem ſummæ confeſſionum leguntur ſequentia: *Explicit ſūma confeſſionū ſeu Interrogatoriū pro ſimplicibus Confeſſoribus Editum ab Archiepiſcopo Florentino. videlic3. fratre Anthonino ordinis predicatorum.* In eadem columna *Incipit ſermo beati Johānis Criſoſtomi de penitēcia;* cui typographus ſequentem adjecit notitiam: *Explicit ſermo beati Johannis Criſoſtomi d' penitencia. Impreſſus Memmingen Per Albertum Kunne de duderſtat Magunt. dyoceſ. Anno dñi* M. cccc. lxxxiij. In eadem columna incipiunt *Regule ad cognoſcendu3* (ſic) *differentiam inter peccatū mortale & veniale Heinrici de Haſſia doctoris famoſiſſimi.* In fine opuſculi ultimi, iisdem typis, eidemque chartæ impreſſi, quod undecim tantum foliis conſtat, ſequens notitia typis impreſſa legitur: *Explicit felicit' modus predicandi multū notabilis p̄ diſtinctos paſſus & forma3 arboris cōpilat⁹ Impreſſus Memming. per Albertum Kunne de duderſtat Magunt. duoceſ. Anno dñi* M. cccc. lxxxiij. Separari qui-

quidem hoc opuſculum a prioribus poteſt, & ſeorſim haberi. Nullus tamen dubito, quin omnia eodem tempore prodierint in lucem.

XXXVII. *Carmina de urinaꝝ iudiciis edita ab excellentiſſimo dño mḡro Egidio cuꝫ cōmento eiuſdem feliciter incipiunt.* — Paduæ per Magiſtrum Matthæum Cerdonis de Windiſchgretz anno 1483. in 4to.

Secundum verba, quæ tituli loco recitavi, & in fronte leguntur opuſculi, auctor commentarii eſſet ipſe Egidius. Sed ex ſubſcriptione paulo poſt recitanda diſcimus, commentarii auctorem eſſe Gentilem de Fulgineo. Quod externam opuſculi faciem ſpectat, litteræ ſunt gothicæ, eæque non inelegantes. Initiales litteras florentes magnas typographus adjecit. Idem in ſuperiori margine folia priora faſciculorum numeris inſtruxit; ſic e. g. folia priora quatuor quaternionis primi numeros habent 1. 2. 3. 4. quatuor vero poſteriora numeris carent. Quaternionis ſecundi folia quinque priora ſignata ſunt numeris 5. 6. 7. 8. 9. & ſic deinceps, quod ſingulare eſt. Cuſtodes, paginarum inſcriptiones, & ſignaturæ deſunt; quamvis ſignaturarum vicem ſuppleant, numeri paginarum. In fine capituli de ſedimine nigro hæc legitur notitia: *Hic modus imponit᷑ Tractatulo de cognoſcendis urinis peritiſſimi magiſtri Egidii cū expoſitōe ꝛ ꝯmēto mgr̄i Gētilis d' fulgineo ſūma cū diligēª pluribꝰ i locis caſtigatꝰ a. m.°* (ſic) *Auenātio d' camerio artiū ꝛ medicine ꝯfeſſore paduecꝫ īpreſſus ꝑ mgrm matheū cerdonis d' uuindiſchgretz die 12 iulii. Anno 1483.* Poſt ſubſcriptionem hanc in ſequenti folio *Ultimum Capitulum ponitur quo Egidius opus ſuum completū ſigillat.* Capitulum hoc cum commentario quatuor implet folia, & in fine nihil habet ſubſcriptum.

XXXVIII. *Marci Tullii Ciceronis libellus d' dictionum proprietatibus iuxta alphabeti ordinem feliciter incipit. ꝛ primo de dictionibus incipientibus ab. A.* anno 1483. ſine nota loci & typographi. in 4to.

Quamvis libellus iſte, 22 tantum conſtans foliis impreſſis, nota loci & typographi careat: certum tamen mihi videtur, eum ex eadem typographia cum immediate præcedenti prodiiſſe. Eidem enim chartæ iisdem litteris ſunt impreſſa. Cetera etiam omnia, quæ ad externam ſpectant formam, utrinque eadem ſunt. In fine hæc tantum leguntur: *Hic adeſt finis equiuocoꝝ Ciceronis. 1483.*

XXXIX. *Alfontii* (ſic) *regis caſtelle illuſtriſſimi celeſtiū motuū tabule: nec nō ſtella4 fixarū lōgitudines ac latitudines alfontii tpe ad motus veritatē mira diligētia reducte. At pmo Joānis ſaxoniēſis in tabulas alfontii cānōes incipiūt fauſtiſſime.* Hæc rubro impreſſa colore leguntur in fronte operis, quod Erhardus Ratdolt Venetiis impreſſit anno 1483. in 4to.

Litteræ gothicæ ſunt, ſed perelegantes, & charta præſtantiſſima. Initiales litteras magnas florentes typographus ipſe adjecit, idemque paginas ſignavit. Deſunt cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. In fine tabularum hæc ſubſcripta leguntur: *Finis tabula4 aſtronomic4 Alfontii regis caſtelle. Impreſſionem qua4 emendatiſſimā Erhard⁹ ratdolt auguſtenſis. mira ſua arte ſua & impenſa foeliciſſimo ſidere complere curauit. Anno ſalutis* 1483. *Sole in* 20. *gradu Cancri gradiēnte hoc ē.* 4. *noñ. Julii. Anno mundi.* 7681. *ſoli deo dominanti aſtris Gloria.*

XL. *Caii Plinii Secundi Oratoris Facundiſſimi Epiſtolarum Liber Primus Incipit.* Hæc in fronte libri capitalibus litteris impreſſa leguntur, quem Tarviſii impreſſit Johannes Vercellius anno 1483. in 4to.

Litteræ ſunt rotundæ romanæ, eæque perelegantes. Charta præſtantiſſima eſt. Initiales litteræ, cuſtodes, numeri & inſcriptiones paginarum deſunt. In fine ſequentia leguntur:

*C. Plinii ſecundi Nouocomenſis Oratoris Facūdiſſimi Epiſtolarum Liber Octauus & Vltimus Explicit.*
*Finis.*
*Impreſſum quidem eſt hoc opus Taruiſii per Magiſtrū Joannem Vercellium. Anno ſalutis.* M. cccclxxxiii.

XLI. Vincentii Bellovacenſis Ord Præd. Speculum Hiſtoriale per Antonium Koburger Norimbergæ anno 1483 in Fol. max.

Præmiſſa eſt tabula alphabetica materiarum, quæ folium primum, & ſecundi primam paginam occupat in duabus columnis gothico charactere perpulchro, ut ipſum opus, impreſſa. Folio tertio auctoris incipit præfatio, quæ terminatur in ſecunda folii quinti columna. In averſa pagina ejusdem folii incipiunt *Continentia & capitula libri primi*, & ſequentium ordine librorum. Charta eſt plane firmiſſima, & magnitudinis prorſus ſingularis, alba tamen, & munda. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, & numeri pagi-

paginarum. In primæ cujusvis folii paginæ ſuperiori margine libri inſcriptio legitur impreſſa, e. g. *Liber Sextus.* In fine vaſtiſſimi voluminis hæc tantum leguntur: *Speculū hiſtoriale pluſtrati fratris vincencii ordinis pdicatorum cpfeſſoris. per Antonium koburger nurēberge incolā impreſſu3: finit feliciter. Cōſumatū ſub noſtri ſaluatoris anno incarnato* (ſic) *ꝏ*. ccccLxxxiiij. *in vigilia ſancti Jacobi de quo ſine laus & gloria altiſſimo ſit peuū Amen.* Eodem anno idem typographus edidit etiam Vincentii ſpeculum naturale a Bibliographis pluribus, e. g. Orlandio, Maittairio, Roedero, aliisque excitatum.

**XLII. Cini de Piſtorio Legum Doctoris Pars 1ma Lecturæ in Codicem. Papiæ per Franciſcum Girardengum 1483. in Fol.**

Hujus operis partem utramque, ſine loci, typographi, & anni nota impreſſam recenſui Faſc. I. pag. 136. Præſens primæ partis editio charactere gothico in duabus columnis firmiſſimæ chartæ impreſſa eſt. Charta miræ albedinis eſt, & amplos habet margines. Deſunt cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. Litteras initiales parvas, & ſignaturas typographus adjecit. In fine voluminis poſt regiſtrum chartarum hæc habes ſubſcripta: *Hec prima pars Lecture dñi Cini piſto. Impreſſa eſt Papie p Franciſcum girardengum de nouis.* M. ccccLxxxiij. *Nonis Septembris. Finis.*

**XLIII. Biblia Germanica Norimbergæ per Anton. Koburger impreſſa 1483. in Fol. maj.**

Satis nota eſt hæc Bibliorum editio, & jam a plurimis deſcripta. Præ ceteris adcuratius de eadem ſcripſerunt Göezius im Verzeichniß ſeiner Sammlung ſeltener und merkwürdiger Bibeln pag. 311. ſeqq. & Cl. Georg. Wolfg. Panzer in der Geſchichte der Nürnbergiſchen Bibelausgaben pag. 65. ſeqq. Quod externam ejus formam ſpectat, caret ea cuſtodibus, & ſignaturis, literis quoque initialibus cum integrorum librorum, tum capitum ſingulorum impreſſis, quas tamen noſtri exemplaris miniator ubique nunc rubro, nunc ceruleo colore eleganter adpinxit, & auro hinc inde diſtinxit. Capita numeris romanis, & brevi argumento ſingulis præfixo diſtinguuntur. Omiſſa vero ſunt argumenta capitum in Epiſtolis S. Pauli, & ceteris canonicis, nec non in actibus Apoſtolorum, & Apocalypſi. Pſalmis vero præter numeros romanos præfixi ſunt tituli, & inſuper prima verba ſecundum latinam vulgatam verſionem. Paginæ ſingulæ in duas columnas, quarum pleræque 50, complures etiam 51 lineas habent, diſtinctæ ſunt. Tituli ſingulorum librorum in ſuperiori margine leguntur impreſſi. Sic e. g. **Das Buch der Geſchopf** (Geneſis) Ita vero hi tituli ſunt impreſſi, ut una, vel duæ voces ſingulis columnis reſpondeant. Folia numeris romanis ſunt notata. Conſtat vero volumen integrum foliis numeratis CCCCCLXXXIII. Quare in duo plerumque volumina minora diviſa reperitur hæc editio, quorum prius inde ab Epiſtola S. Hieronymi ad Paulinum ad finem usque Pſalterii foliis numeratis conſtat

 CCXCV.

CCXCV. alterum vero inde a proverbiis usque ad finem apocalypſeos folia numerata habet a CCXCVI — CCCCCLXXXIII. Typi paulo majores, & pro temporum illorum ratione ſatis elegantes ſunt, figura ad litteras noſtras germanicas manuductas prope accedentes. Interpunctionum ſigna haud alia occurrunt, quam puncta; quæ quidem cum commatis loco ponuntur, vox immediate ſequens literam initialem parvam habet, raro majuſculam. Abbreviaturæ, utpote minus frequentes, lectorem parum morantur. Papyrus alba, & firma admodum eſt.

Continet hæc editio præter libros utriusque teſtamenti tam proto-quam Deutero-Canonicos, nec non præfationes S. Hieronymi, libris ipſis, ad quos pertinent, præfixas, etiam apocryphos quosdam, nimirum tertium Eſdræ, orationem Manaſſis, Præfationi S. Hieronymi in librum Eſdræ præfixam; orationem Salomonis, libro Eccleſiaſtici (qui dicitur **das Buch der geyſtlichen Zucht**) ſubjunctam, & epiſtolam ad Laodicenſes Epiſtolæ ad Epheſios præfixam. Habet præterea multas figuras ligno inciſas, rudes illas quidem & plerumque admodum ineptas. Göezius loc. cit. poſt comparationem quam adcuratiſſime inſtitutam adfirmat, in editionibus Bibliorum germanicis, Colonienſi nimirum inter Colonienſes antiquiſſima, & Halberſtadienſi anni 1522, easdem omnino figuras, ex iisdem tabulis ligneis expreſſas occurrere. Ceterum textus germanicus huius editionis idem eſt cum textu, qui in aliis vetuſtiſſimis editionibus impreſſus eſt, hinc inde tamen magis emendatus, & ad ortographiæ leges adcommodatus. Hac de re conferri meretur Cl. Panzer loc. cit. pag. 71 ſeqq. Subſcriptio in fine Apocalypſeos ſequens eſt:

Diß durchleutigiſt
werck der gantzen heyligen geſchrifft. genannt dy bibel für all vorgetruckt teutſch biblē. lauterer. clarer. und warer nach rechter gemeyner teutſch. mit hohez und großen Vleyß. gegē dem lateyniſchen text gerechuertigt. und'ſchidlich punctirt, mit vberſchrifften bey dem meyſten teyl der capitel vnd pſalm. iren inhalt vnd vrſach. anzaygende. vn̄ mit ſchönen figuren dy hyſtorie bedeutēde. hat hie ein ende. Gedruckt durch anthonium koburger in der löblichen keyſerlichen reychſtat Nurenberg. Nach der geburt criſti des geſetz der genaden. vierzehen hundert vnd in dem drey vnd achtzigſtē jar. am montag nach Jnuocauit. Vm̄ wellich volbrīg ung. ſey lob. glori. vnd ere. der hohen heyligē dryualtigkeit. vn̄ eynigem weſen. dem vater vn̄ dez ſun vnnd dem heyligen geyſt. der da lebt vnnd regiret gott ewigklich amen.

LIBRI

# LIBRI
## NOTA ANNI IMPRESSA CARENTES,
QUORUM
MULTI ANTE ANNUM 1480, OMNES VERO ANTE ANNUM 1500 IMPRESSI SUNT.

Horum librorum impoſterum tres faciam claſſes. In prima erunt, qui nomen loci ſaltem, vel typographi, vel utriusque impreſſum exhibent. Claſſem ſecundam occupabunt, qui propter litterarum ſimilitudinem & convenientiam, aliasve rationes probabiles uni alicui ex typographis jam cognitis adſcribendi videntur, Lubens quidem fateor, præſertim ſi de litteris fuſis eſt ſermo, plures typographos iisdem uti potuiſſe litteris: immo Valdarferum in Italia, & Georgium Ryſer in Germania, forte Euſtadii, revera iisdem litteris uſos fuiſſe, faſſus ſum Faſciculo I. pag. 111. in nota (a). Verum puto tamen libros iisdem typis, eidemque chartæ impreſſos tamdiu recte uni & eidem typographo attribui poſſe, quamdiu alius typographus, qui iisdem uſus ſit litteris, haud poterit aſſignari, præſertim ſi & aliæ accedant rationes congruæ. In claſſem denique tertiam eos collocabo libros, qui nota loci, & typographi penitus deſtituti nec ex litterarum convenientia uni alicui typographo ex typographis jam cognitis tuto videntur poſſe adſcribi.

## CLASSIS I.
### LIBROS COMPLECTENS NOTAM LOCI, VEL TYPOGRAPHI, VEL UTRIUSQUE IMPRESSAM HABENTES.

Pertinent ad hanc claſſem ex Faſciculo I. Libri recenſiti ſub NN. XX. XXX. XXXII. XXXV. XXXVIII. XLI. XLVII. L. His nunc quidem addo ſequentes.

CVI. Nicolai de Tudeſchis, vulgo Abbatis Siculi commentaria in libros Decretalium tertium, quartum, & quintum. Venetiis per Nicolaum Jenſon. 2. Voll. in Fol.

Duo hæc volumina, nunc primum in loco, ubi nemo quæſiiſſet, caſu reperta pertinent ad editionem hujus operis, cujus primam partem recenſui

cenſui ad annum 1477. N. X. Sunt enim typis & chartæ plane iisdem impreſſa. Ceterá etiam omnia, quæ ad externam ſpectant formam, ſunt prorſus eadem, hoc ſolum diſcrimine, quod in commentariis ad librum III. initiales litteræ parvæ rariſſime occurrant, quæ adſunt plerumque in reliquis partibus. Ad calcem tertii libri legitur: *Finit lecta* (ſic) *Nicolai ſup̱ t̄tio libro decretaliū. Uenetiis ipreſſa ꝑ magiſtrū Nicolaū Jenſon gallicuʒ.* Accedit *Regiſtrum* ſc. chartarum.. Quarti ſequens eſt ſubſcriptio: *Explicit lecta do. Abb. ſiculi ſup̱ q̄rto libro decretaliū: ſequitur lectura eiuſdem ſuper* 5° Quintus liber cum quarto juſtæ molis volumen efficit, ad cujus calcem ſequentia leguntur impreſſa: *Explicit lectu. domini Abba. ſuper* 4° ꝛ 5° *decretal'. venetiis impreſſa per magiſtruʒ Nicolaum Jenſon gallicū: correcta ꝛ emendata per egregium iuris doctorem dominum Petrum de moriglio hiſpanum qui etiam reliquaſ lecturas domini Abbatis emendauit.* Cum tomus primus, ſeu commentaria in I. Lib. Decret. hujus editionis anno 1477 die primum 27 Novembris prælo exierint, tres iſtæ partes primum anno 1478 prodiiſſe videntur.

## CVII. Summæ Hoſtienſis Librorum Decretalium Pars II. & III. Per Ludovicum Hochenwang. in Fol.

Hæc duo volumina recenſui ad annum 1477, quo primus liber ejusdem editionis prodiit, N. XXVI.

## CVIII. *Deciſio conſiliaris ſupra dubio producto de indulgēciis: edita per reuerēdū in xp̄o patrē & dn̄m: fratrē Antoniū de ordine p̄dicatoꝝ Archiep̄m florentin̄ doctorem clariſſimum.* Norimbergæ per Frid. Creuſsner. in Fol. min.

In averſa pagina primi folii, cujus pagina prima eſt vacua, leguntur verba tituli loco recitata. Litteræ ſunt gothicæ formæ, oblongæ, & juſtæ pinguedinis. Deſunt initiales, quæ hoc in tractatulo, decem tantum foliis conſtante, tres tantum formandæ fuiſſent, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. In fine hæc leguntur impreſſa: *Impreſſum ꝑ Fridēricum creuſner ciuem Nurmbergen̄.* Apud nos eandem habet compacturam cum opuſculis ad annum 1477 NN. XII. & XIII. recenſitis, & ab eodem typographo, eodemque charactere impreſſis. Quare eodem circiter tempore prodiiſſe videtur.

**CIX.** **Das iſt die loblich legend von keiſers karls ſtreyt vor regenſpurg geſchehen.** Hæc in fronte opuſculi charactere majuſculo, in fine vero eodem charactere ſequentia leguntur: **Gedruckt durch Fritz Creuſzner.** in 4to.

Opuſculum iſtud ſex tantum conſtat foliis impreſſis, & narrationem continet multis fabulis inquinatam de urbe Ratisbona a Carolo magno occupata. Impreſſum eſt charactere germanico. Initialis litera in fronte opuſculi deeſt. Deſunt etiam cuſtodes, ſignaturæ, numeri, & inſcriptiones paginarum. Charta firma eſt, & alba. Signum chartarii agnus paſchalis eſt. Roederus in Catalogo Librorum Sæc. XV. Norimb. impreſſorum n. 450. ejusdem opuſculi editionem Norimbergenſem a Johanne Stuchs factam excitavit: noſtræ vero editionis non meminit.

**CX.** *Tractatus De futuris chriſtianorū triumphis in ſaracenos. Magiſtri Johannis* (Annii ſeu Nanni Ord. Præd.) *viterbienſis.* Accedit tractatus ejusdem, in quo futura chriſtianorum, & turcarum fata ex influxu aſtrorum præſagit. Impreſſ. Norimbergæ ſine mentione anni, & typographi. in 4to.

Verba: *Tractatus De* &c. leguntur in prima folii primi pagina, & nihil aliud. Folio ſecundo incipiunt concluſiones utriusque tractatus, quæ terminantur in averſa tertii folii pagina, & hæc habent ſubſcripta: *Expliciunt capitula huius editionis - - - Impreſſa Nuremberge.* Folio quarto *Ad beatiſſimum papam Sixtum. & reges ac ſenatus Chriſtianos de futuris Chriſtianorum triumphis in ſaracenos. Epiſtola Magiſtri Johannis viterbienſis incipit.* Hæc vero epiſtola non ad Papam tantum, ſed, ut initio ſtatim inſinuatur, etiam ad reges Francie, Hiſpanie, Sicilie citra farum, Ungarie & ſenatum Genuenſem directa eſt. Epiſtolam in eadem pagina excipit Prohemium, terminatum in prima folii quarti pagina. linea 7. Tum *Incipit primus tractatus*, in duas partes diviſus, in quarum prima quindecim priora, in ſecunda vero reliqua Apocalipſeos capita explicantur. Illa in averſa pagina folii 13, hæc itidem in averſa pagina folii 42 terminatur. Folio 43 *Incipit vltimus tractatus. qui eſt de imperio turchorum ſcdm aſtronomos. eiuſdē magiſtri Johannis qui ſupra.* Tractatus hic decem conſtat propoſitionihus, quarum prima eſt: *Quod dei ſummi prouidentia de curſu communi regit hunc mundum inferiorē. per ſuperiores latiores celeſtes:* Decima vero: *Quod anno ſalutis.* M. cccc. lxxx. *inchoabit depreſſiō imperii turchorum. & fauor paulatim chriſtianorum conſurget. & electo orientis imperatore ex improuiſo augebitur.* Et hæc quidem concluſio, ideoque opus integrum terminatur in averſa folii 47 pagina, linea 16. Tum hæc leguntur impreſſa: *Ex genua* M. cccc. lxxx. *die* xxxi. *Marcii in ſabbato ſancto*

*com-*

*completum* (ſcilicet ab auctore finitum) His ſubjecta hæc ſunt: *Explicit opus Magiſtri Johannis Nannis de futuris chriſtianorum triumphis in, turchos & ſaracenos. Ad beatiſſimū pontificē maximū Sixtum quartū. Et reges. principes. ac ſenatus chriſtianos.* Opuſcula hæc ratione argumenti certe notatu digna gothico charactere luculento, & perpulchro impreſſa ſunt præſtanti chartæ. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum: has vero typographus ſignavit. Roederus in Catalogo Libr. Sæc. XV. Norimb. impreſſorum pag. 58. N. 470. eandem editionem excitavit, & recte obſervavit, typis & chartæ iisdem impreſſam eſſe, quibus a Conrado Zeninger anno 1481. impreſſus eſt tractatus de Turcis, recenſitus a me ad. h. a. N. XXXVIII.

CXI. *Epiſtola de miſeria curatorum ſeu plebanorum.* Auguſtæ per Ant. Sorg. in 4to.

In prima primi folii pagina leguntur verba, gothico charactere majuſculo impreſſa, quæ tituli loco recitavi, & nihil aliud. Folio ſecundo opuſculum ipſum incipit ab auctore anonymo ſcriptum ad Johannem quemdam, qui ejus de ſuſcipienda cura paſtorali conſilium expetierat. Hujus porro vitæ paſtoralis novem incommoda, quæ totidem Diabolos adpellat auctor, enumerantur. Et quidem *Primus diabolus inter omēs eſt ipſe collator* ſc. Beneficii curati. 2) Cuſtos Eccleſiæ. 3) Coca ſeu coqua. 4) Vitricus Eccleſiæ. 3) Ruſticus. 6) Officialis. 7) Epiſcopus. 8) Capellanus. 9) Prædicator. De his ſingulis auctor ita loquitur, ut vir longa experientia edoctus loqui ſolet, dignus omnino, qui vel hodie adhuc legatur ab omnibus, qui curam paſtoralem ambiunt, ut ſe ipſos paſcant. Conſtat totum opuſculum octo tantum foliis impreſſis, & in fine hanc habet ſubſcriptionem: *Explicit epiſtola de miſeria curatorum ſeu plebanorum. Impreſſum* (ſic) *Auguſte per Anthonium Sorg.* Illuſtris Zapfius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte hujus opuſculi non meminit.

CXII. Jacobi Magni, Ord. Eremit. S. Aug. Sophologium, ſeu Libri X. de inquirenda divina ſapientia. Lugduni per Nicolaum Philippi de Benſsheim, & Marcum Reinhart de Argentina. in Fol.

Operi præmiſſa eſt tabula, ſeu index ſingulorum cujusque libri capitulorum brevia argumenta exhibens, in duabus columnis firmiſſimæ, & albæ chartæ, ampliſſimos margines habenti, gothico charactere paulo minori impreſſus, ut ipſum opus, & in prima folii impreſſi ſecundi columna terminatus. In prima folii tertii columna auctoris epiſtola dedicatoria *Sereniſſimi atq3 chriſtianiſſimi principis franco4 regis confeſſori. d. Michaeli! diuina*

*promi-*

*prouidente gracia epiſcopo antiſiodorenſi!* cujus auctor ſe capellanum adpellat, inſcripta legitur. In ſecunda paginæ ejusdem columna opus ipſum incipit ſine ullo titulo. aut inſcriptione. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, numeri, & inſcriptiones paginarum. In averſa pagina folii 14, columna quarta, linea 24 *Sophologii liber pmus deſinit.* Mox vero *Sophologii liber ſecundus (qui eſt de iuentōne ſcientia4) feliciter icipit.* Ejusmodi ſubſcriptiones & inſcriptiones ceteris etiam libris adjectæ ſunt. Ad calcem vero libri decimi, hoc eſt, in averſa pagina folii 118, columna 4 poſt lineam 11 gothico charactere magno hæc tantum leguntur impreſſa: *Jacobi magni ſophologium finit feliciter.* In prima folii 119 pagina gothicis pariter characteribus magnis impreſſa leguntur ſequentia:

*Epigramma ad huius opis conſpectorem.*
*Illuc claro4 cōtendunt dogmata patrum!*
*Doctos atq3 bonos vt faciunt* (ſic) *homines.*
*At quom nō leuiter poſſit percurrere quiſquā|*
*Auctores cunctos multa neglecta manent.*
*Omnia docto4 quo ergo documenta legant⁹!*
*Hunc iacobus magni condidit ecce librum.*
*Tu quoq3 ſi bonus eſſe velis, ſapienſq3 videri!*
*Quod manibus tractas diſce Sophologiū.*
*Quidquid em̄* (ſic) *veter4 tetigit preceptio digna,*
*Mille voluminibus clauditur hoc opere.*
*Impreſſum lugduni per Nicolaū Philippi de benſſheym & Marcū Reinhart de Argentina.*

Auctor operis tribus prioribus Sæculi XV. decenniis floruit. Fuit natione Hiſpanus, patria toletanus, religione Ord. Eremit. S. Aug. & Carolo ſexto Francorum Regi a concionibus. De eo poſt Poſſevinum narrat Oudinus, quod, cum Carolo VII. Francorum Regi a ſecretis confeſſionibus eſſet, Burdigalenſem Archiepiſcopatum ultro ſibi oblatum recuſaverit circa annum 1425, obieritque Pariſiis in Eccleſia ſui ordinis ſepultus. Iidem Jacobi noſtri eruditionem in veterum præcipue theologorum, ſacrarumque ſcripturarum libris magnopere extollunt, quod ante eos jam fecerat Trithemius. Præſens ejus opus ſæculo decimo quinto eſt ſæpius typis excuſum. Exſtant ejus tres editiones loci, anni, typographi indicio deſtitutæ & a ſe diverſæ in Bibliotheca Cann. Regg. Rebdorfenſi. Conf. *Monumenta Typograph. Biblioth: Rebdorf.* pag. 38 — 40. Nulla etiam ex hisce tribus cum noſtra concordat. Orlandi pag. 84. Pariſinam citat editionem ab Udalrico Gering & ſociis curatam circa annum 1471. Ejusdem meminit De Bure N. 349. Idem Orlandi pag. 86. & Maittaire Tom. 1. pag. 372. alterius meminerunt editionis pariſinæ ab iisdem typographis curatæ anno 1477. Poſteriori hac editione certe non multum recentior noſtra hæc Lugdunenſis eſſe videtur. Nihil de ea habent Orlandi, Maittaire, De Bure, aliique Bibliographi, qui ad manus mihi ſunt. Maittaire Tom. I. pag. 779. meminit quidem editionis Lugdunenſis, ſed

anno

anno 1485 non adjecto nomine typographi factæ. Idem pag. 415. 429. & 430. nec non Orlandi pag. 90. & 122 tres excitarunt libros, a noſtris typographis impreſſos, nimirum Guidonis de monte Rocherii Manipulum curatorum, & Biblia latina anno 1482 excuſa Argentinæ, nec non la *Traduction* du Miroir de la vie humaine Pariſ. 1482. Uterque eosdem typographos Lugduni quoque libris excudendis operam dediſſe, ignoraſſe videntur. Iidem *pro Benſsheym* ſcripſerunt *Gernſsheym*. Conf. dicta ad N. XI. ann. 1480.

## CXIII. Pſalterium latinum *Ingolſtadii impreſſum*. in Fol min.

Incipit pſalterium hoc ſine ullo titulo aut inſcriptione. Carent Pſalmi ſinguli numeris, & titulis, quemadmodum paginæ cuſtodibus, ſignaturis, numeris, & inſcriptionibus. Deſunt quoque initiales litteræ non tantum Pſalmorum, ſed & verſuum ſingulorum. Litteræ ſunt miſſales magnæ, luculentæ, & elegantes. Paginæ ſingulæ lineas novendecim impreſſas continent. Pſalmus quartus: *cum invocarem* &c. in averſa folii ſecundi pagina, linea 10; Pſalmus decimus: *In domino confido* &c. itidem in averſa pagina folii ſeptimi, linea 5 terminatur. Pſalmis partim inſerta, partim in fine adjecta ſunt cantica alia, quorum publicus, isque frequentior eſt in officio eccleſiaſtico uſus. Pſalmus centeſimus quinquageſimus, isque ultimus terminatur in averſa folii centeſimi vigeſimi ſexti pagina, linea tertia. Tum immediate ſine ullo titulo ſequitur canticum ex Iſ. cap. XII. deſumptum, quod incipit: *Confitebor tibi dñe qm̄ irat⁹ es mihi: cōuerſus ē furor tu⁹ & conſolatus es me.* Hoc alia excipiunt cantica, quæ uſum habent frequentiorem in choro. Poſtremum eſt: *Te Deum laudamus* &c. quod terminatur in prima folii centeſimi trigeſimi ſexti pagina, linea decima nona. In eadem linea typis iisdem, quibus hoc opus, impreſſa leguntur verba: *Impreſſū Ingolſtat.* Averſa hujus folii pagina vacua eſt.

Quin Pſalterium iſtud ſæculo XV. impreſſum fuerit, vix, puto, in dubium vocari poterit. Equidem nullus dubito, quin ante annum ſaltem 1480 prælo exierit. Locus impreſſionis, *Ingolſtat*, aperte in ſubſcriptione indicatur: nec de alia, quam Bavariæ noſtræ civitate hujus nominis quis merito iſtud vocabulum interpretari poterit. De typographo non habeo, quæ proferam. Typographum quemdam jam ſeptimo vel octavo Sæculi XV. decennio Ingolſtadii fixam habuiſſe ſedem, vix crediderim. Videtur igitur tranſeuntis, & ad tempus forte apud nos commorantis typographi monumentum eſſe hoc Pſalterium, de quo omnes, quod ſciam, Bibliographi ſilent. In faſciculo tertio aliud occurret monumentum typographicum, nimirum Pauli Leſcherii Rhetorica — *diligētiſſime cōpoſita & correcta - a magiſtro paulo leſcher & ideo rethorica leſcherii nuncupetur In almo gimnaſio ingoldtſtat Anno.* (omiſſus eſt millenarius, & centarii) *Lxxxii.* Si revera, ut conjicere licet, Ingolſtadii impreſſum eſt hoc opuſculum, eſt certe omnium, quæ hacte-

nus

nus quidem a Bibliographis excitata ſunt monumenta typographica Ingolſtadienſia, antiquiſſimum, ſcilicet inter ea, quæ notam anni adjectam habent. Pſalterium, a me nnnc deſcriptum, ſed nota anni carens, me quidem judice, anno 1487 anterius eſt.

## CXIV. Biblia Aurea. Theodiſce. Auguſtæ. in Fol.

Eſt verſio Theodiſca operis, cujus editionem latinam ad annum 1475. N. V. recenſui. In prima primi folii impreſſi pagina legitur: *Ein Vorred diez buchs genant die Guldin Bibel. Innhaltend belonung der tugennt vnnd ſtrouf der laſter.* In averſa folii ejusdem pagina ſinguli ordine ſcripturæ libri latine & germanice enumerantur. Folio ſecundo incipit regiſtrum alphabeticum materiarum, quinque foliis comprehenſum. Folio ſeptimo incipit *Von abbruch vnnd vaſten Das erſt Capitel.* Litteræ gothicæ ſunt oblongæ, atque eædem omnino, quibus Ludovicus Hohenwang anno 1477 impreſſit ſummam Hoſtienſis, recenſitam ad h. a. N. XXVI. Initiales litteræ florentes, ligno inciſæ eædem quoque ſunt, quæ tum in ſumma Hoſtienſis, tum in Gloſſario Salomonis, recenſito *Faſc. I. N. XCVI.*, occurrunt. Quin igitur ſumma Hoſtienſis, & aurea hæc Biblia ab eodem typographo impreſſa fuerint, nullus equidem dubito (*a*). Cuſtodes, ſignaturæ, numeri, & inſcriptiones paginarum deſunt In fine legitur ſubſcriptio ſequens: *Hie endet die guldin Bibel gedruckt zů Augſpurg.* Eſt quidem & hæc ſubſcriptio impreſſa typis, ſed videtur mihi ſerius demum, & forte ab alio, quam qui opus ipſum impreſſit, adjecta fuiſſe. Eſt enim litteris impreſſa crudioribus, quam ſunt litteræ ipſius operis, licet ad harum imitationem ſint effictæ. Atramentum eſt etiam oppido diverſum ab atramento, quo impreſſum eſt opus ipſum, & ipſæ lineæ operis immediate præcedentes, huic ſubſcriptioni arctiſſime adhærentes. Videtur ergo mihi ſuſpecta eſſe hæc ſubſcriptio. Quod ſi tamen vera continet, diſcimus inde, Ludovicum Hohenwang Auguſtæ officinam habuiſſe typographicam, quod ante quidem & mihi, & omnibus, quod ſciam, Bibliographis erat incognitum. Idem Typographus verſionem Theodiſcam Flavii Vegetii, ſine nota loci & anni impreſſit, cujus initium eſt: **Dem wohlgebohrnen herren**

(*a*) Cum in Gloſſario Salomonis laudato magnæ litteræ florentes plane eædem ſint adhibitæ, quæ in Summa Hoſtienſis, & aureis hisce Bibliis occurrunt, haud abs re forte ſuſpicari liceret, Gloſſarium illud ab eodem typographo impreſſum fuiſſe, quamvis litteræ ipſius textus ſint oppido diverſæ. Sunt vero litteræ textus in Gloſſario Salomonis prorſus eædem, quibus impreſſa eſt Hiſtoria Friderici I. & parentelæ ejus recenſita Faſc. I. N. LXXXIX. nec non aurea Biblia latina inferius in claſſe tertia N. CXXVIII. a me recenſita. Quod ſi igitur Ludovicus Hohenwang Gloſſarium Salomonis impreſſiſſet, tribui eidem hi duo quoque libri non immerito poſſent.

herren, herren Johanſen Graven von Lupffen landgraven zu Stielingen und herren zu Hewen Entbeut ich ludwig Hohenwang von Tal Elchingen gehorſam mit dienſten — Conf. Neue Nachrichten von Künſtlern und Kunſtſachen. 1. Thl. S. 248 ſeqq. Narrat Clariſſimus harum relationum auctor, Dominus de Heinecken, ſe Elchingam eo fine migraſſe, ut certiora ibidem de typographo, Ludov. Hohenwang, intelligeret: nihil vero ibidem memoriæ proditum ſe accepiſſe.

## CLASSIS II.

### LIBROS COMPLECTENS, QUI PROPTER CONVENIENTIAM TYPORUM, ALIASQUE RATIONES PROBABILES UNI ALICUI EX TYPOGRAPHIS JAM COGNITIS VIDENTUR ADSCRIBENDI.

*UDALRICI ZELL eſſe videtur opuſculum ſequens.*

**CXV.** *Publii virgilii maronis poete optimi moretū Incipit.* Accedit Carmen Rhytmicum Alani, quo probatur, virgines, & non mulieres ducendas eſſe ad matrimonium. in 4to min.

Verba *Publii virgilii* &c. leguntur in fronte opuſculi, quod, num virgilium habeat auctorem, adhucdum dubitatur. Terminatur idem in averſa folii tertii pagina, linea 6, cui ſubjecta leguntur:

*Publij maronis virgilii moretū explicit*
*Epitaphiū virgilij*
*Mantua me genuit. calabri rapuere. tenet nūc:*
*pertenope* (ſic) *cecini paſcua. rura. duces;*
*carmē rigmicū* (ſic) *Alani cpbās ỽgines & nō*
*mulieres ad mrimoniū ēē ducēdas.*

Carmen hoc terminatur in averſa ſexti folii pagina, linea 18. Ut de ingenio poetæ noſtri lector judicare poſſit, recitabo verſus quatuor poſtremos:

*Ergo nō vlterius, queſtio cpcedat*
*Cū ſe parti virginū racio ɔcedat*
*Ergo nupta virgini. in amore cedat*
*Et inupta mulier. nuptā antecedat.*

His ſubjecta ſunt ſequentia:

*Explicit carmē ricmicum Alani*
*Epitaphiū Alani.*
*Alanum breuis hora tumulo ſepeliuit*
*Qui duo. qui ſeptē. qui totū ſcibile ſciuit;*

Litteris impreſſa ſunt hæc duo opuſcula plane iisdem, quibus opuſcula Faſciculo I. N. I — V. ſine nota loci & typographi, annique recenſita. Quare nul-

lus

lus dubito, quin hæc quoque ex Udalrici Zellii typographia circa annum 1467 — 1470 prodierint. Alanus, cujus hic exſtat carmen rhytmicum, abs dubio eſt Alanus ab inſulis, S. Bernardo cnntemporaneus, & familiaritate conjunctus. De hoc paſſim agunt ſcriptores hiſtoriæ litterariæ, utpote plurium operum auctore. Caſimirus Oudinus in *Commentar. de Scriptor. Eccleſ.* Tom. II. Col. 1488 & ſeqq. de eo fuſius egit, & ſingulari diſſertatione probare conatus eſt, non duos, ſed unum exſtitiſſe Alanum, eumque anno circiter 1162 diem obiiſſe ſupremum.

*JOHANNI MENTELIO duo ſequentia opera attribuo.*

## CXVI. Pauli Burgenſis Scrutinium Scripturarum. in Fol. min.

Inter exemplar iſtius operis, quod mihi mihi nunc præ oculis eſt, & alterum illud, quod *Faſc. I. N. XXI.* inter libros nota anni carentes deſcripſi; tanta eſt, quod externam attinet formam, ſimilitudo, & convenientia, ut ambo exemplaria aliquoties fugitivo oculo intuenti mihi eiusdem editionis eſſe viderentur. Litteræ enim (quæ ſculptæ videntur, non fuſæ) alphabeti minoris eædem ſunt, uti etiam abbreviaturæ utrinque adhibitæ. Idem etiam, pauciſſimis exceptis paginis, eſt numerus linearum in quavis pagina, idem numerus foliorum in utroque exemplari. Deſunt etiam ſignaturæ, cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum, nec non initiales litteræ. Sola quippe littera initialis parva p in exemplari jam deſcripto in primo faſciculo, quod liceat A adpellare, expreſſa eſt in averſa ſecundi folii pagina ad vocem *preſens:* deeſt vero eadem in exemplari B, quod jam præ oculis mihi eſt. Poſtquam vero exemplar utrumque adcuratius alterum cum altero comparavi, eas inter utrumque differentias obſervavi, quæ diverſas editiones, ab eodem tamen typographo, Joanne nimirum Mentelio Argentoratenſi, curatas mihi prodere videntur. Primo enim litteræ Alphabeti majoris B, I, P, & R in exemplar B eædem ſunt cum litteris, quas b. Steigenbergerus in der litterariſch-kritiſchen Abhandlung über die zwo allerälteſte gedruckte deutſche Bibeln &c. Tab. I. n. 3. æri inciſas, ac Mentelio proprias, exhibet. At vero litteræ eædem in exemplari A differunt linea horizontali ad ſiniſtram vergente, quæquidem notabiliter brevior eſt, præſertim in littera P. Differunt etiam duo hæc exemplaria quoad orthographiam. Exempla occurrunt ſtatim in ſex prioribus primæ primi folii paginæ lineis. In exemplari A linea 1. legitur *dyalogus*, in exemplari B *dialogus*, lin. 2. in exempl. A *compoſitus*, in exempl. B *compoſit⁹*, in eadem linea exemplar A habet *patrem*, B *patreȝ*. Linea 3 in exempl. A *archicancellas* in exempl. B *archicācellas* legitur. Linea 6 exemplar A habet *domini*, B *domī*. Atque ejusmodi quidem differentiæ paſſim occurrunt. Nulla quoque eſt pagina in exemplari A, quæ non plures, paucioresve in eadem linea vel voces, vel ſyllabas complecteretur,

tur, quam ſunt in exemplari B. Sic in exempl. A prima linea primi folii averſi clauditur voce *ſumi* (ſic) in exempla B ſyllaba ejusdem vocis ultima *mi* ſecundam lineam inchoat. In exemplari A linea trigeſima quarta paginæ primæ folii 130 clauditur his verbis *Explicit pma pars*: in exemplari B his: *Explicit pma*, ita ut vox *pars*, eaque ſola lineam occupet trigeſimam quintam. Linea penultima averſæ ultimi folii paginæ in exemplari A clauditur his verbis: *cui honor & gloria ē*, in cxemplari vero B ſyllaba *ho:* vocis *honor*. Puto dicta hactenus ſufficere ad probandum, duas exiſtere diverſas ejusdem operis editiones nota anni, loci, typographi deſtitutas, quæ tamen ambæ ex typographia Joh. Mentelii, forte non diu altera poſt alteram prodierint.

## CXVII. Poſtilla Nicolai de Lyra cum additionibus & correctionibus Pauli Burgenſis. Tomi III. in Fol. magn.

Tomus I. complectitur Pentateuchum cum libris Joſuæ, Judicum, Ruth, & 4 Regum: Tomus II. Proverbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum, Sapientiam, Eccleſiaſticum. Inſuper vero Prophetas Iſaiam, Jeremiam, (cum Threnis, & Baruch) Ezechielem, Danielem, duodecim minores, & 2 Machabæorum Libros. Attamen hi quidem libri a præcedentibus ſeparari, & ſeorſim haberi poſſunt. Tomus III. totum complectitur Novum Teſtamentum. Non eſt igitur integrum apud nos hujus editionis exemplar, utpote in quo deſunt libri duo Paralippomenon, 2 libri Eſdræ, Tobias, Judith, Eſther, Job, & Pſalmi uno forſan volumine comprehenſi. Id maximopere dolendum eſt, cum editio hæc ſit antiquiſſima, forte omnium prima, & probabiliſſime a Joh. Mentellio ante annum 1471 excuſa. Litteris quippe impreſſa eſt rudibus, ſculptis, non fuſis, & parum ſcite in voces compoſitis, quarum pleræque maximam habent ſimilitudinem, quin eædem videntur cum litteris Johannis Mentellii, quas æri inciſas exhibuit b. Steigenbergerus in literariſch-kritiſchen Abhandlung über die zwo allerälteſte gedruckte deutſche Bibeln &c. Tab. I. n. 2. & 3. Interpunctionis ſignum nullum occurrit, niſi punctum. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. In fine nulla legitur loci, anni, typographi notitia. Charta eſt firmiſſima, miræ tamen albedinis, diverſis notata chartarii ſignis, inter quæ tamen frequentius occurrit Roſa. Singulæ paginæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. Columna quævis, quotquot numeravi, lineas complectitur 62. Atque hæc quidem tribus voluminibus ſunt communia. Notabo nunc quædam, quæ ſingulis ſunt propria, ut quis unius, alteriusve voluminis copiam nactus judicare poſſit, eandemne, an a noſtra diverſam habeat editionem. *Tomo primo* præmiſſus eſt duplex prologus, & quidem in prima columna primæ paginæ *Prologus pm⁹ Venerabil' fratris Nicolai de lira In teſtamētū vet⁹ De recōmendacōnē ſacre ſcripture in generali Incipit*, idemque terminatur in averſæ paginæ

co-

columna ſecunda, linea 53. Hunc excipit *ꝓlogus ſcd'z de ītēciōe auctoris & modo procedendi.* Circa finem columnæ ſecundæ in averſa folii ſecundi pagina *Incipit liber geneſis. Capitulum primum.* Finita poſtilla Nicolai de Lyra in librum Geneſis *Incipiunt addiciones ad poſtillā magiſtri Nicolai de lira ſup biblia. editea* (ſic) *reuerendo patre domino paulo de ſancta maria. magiſtro ī theologia. Epiſcopo burgenſi. Archicancellario ſereniſſimi principis domini Johannis Regis caſtelle & legionis. — quas venerabili viro. Alphonſo. legum doctori. decano compoſtellano filio ſuo ex legitimo matrimonio genito direx^t premittens ꝓlogum ſub forma ſequenti. finiuit autem eas. Anno domī.* M°ccccxxix. Additiones iſtæ ſunt ſingulis libris adjectæ. Conſtat tomus hic primus foliis impreſſis 303. *Tomus ſecundus* a Proverbiis Salomonis incipit, & in fronte quidem hæc verba exhibet impreſſa: *Poſtilla venerabilis fratris nicolai de lira ſup ꝓuerbia ſolomonis* (ſic) *Incipit feliciter.* Liber Eccleſiaſticus terminatur folio 94 pagina prima, columna ſecunda, linea 34, cui adjecta eſt ſubſcriptio ſequens: *Poſtilla venerabil' fratris Nicolai de lira ſup eccleſiaſticum finit feliciter.* Ex errore typographi adjecta eſt linea huc non pertinens:

*vaciū ꝑniciosū & ī ꝯſpectu aſtancium ſ. an*

Averſa hujus folii pagina vacua eſt. Folio autem 95 *Poſtilla Nicolai de lira ſup Yſaiam incipit.* Terminatur iſte tomus in averſa pagina folii 372 columna prima, linea 52, cui ſubjecta tantum ſunt ſequentia: *Poſtilla ſuper libros machabeorū finit.* Novum teſtamentum integrum *Tomo Tertio* continetur, & quidem in prima primi folii columna *Poſtilla ſuper matheū fratris Nicolai de lira ordinis fratrum minorum Incipit.* In averſa pagina folii 156, columna ſecunda, linea 48 terminatur poſtilla cum additionibus in Evangelium Johannis adjecta hac ſubſcriptione: *Addicōes veneabil'* (ſic) *pauli burgenſ epī ad poſtillā Nicolai de lira ſup euāgelia io fiunt.* (ſic) In prima autem columna folii ſequentis *Poſtilla ſuper paulū fratris Nicolai de lira ordinis fratrum minorum Incipit.* Volumen hoc folia impreſſa complectitur 348. In fine Apocalypſeos, quæ terminatur in prima pagina folii 348, columna ſecunda, linea 58, nulla prorſus legitur ſubſcriptio, linea vero quinquageſima octava ſequentis eſt tenoris:

*& in futuro ꝑ gloriam Amen.*

Editionem hanc Bibliographi omnes ignoraſſe videntur. Nullus certe, de quibus agunt hujus operis editionibus nota loci, anni, typographi deſtitutis, eas ita deſcripſit, ut vel una ex iſtis cum noſtra conveniat. Forte Weislingerus in *Catalogo Librorum Impreſſ. Biblioth. Argentorat. Ord. Equit. Hieroſolym.* pag. 135 noſtram deſignavit editionem.

cleſiaſtica. 5) De informatione ſtudioſæ juventutis. 6) De informatione religioſorum. 7) De informatione hominum, ut ſint parati ad mortem. Patet hinc libri materia, & œconomia. Ejusdem duas alias editiones, Auguſtanam Antonii Sorg ann. 1475. & Argentinenſem anni 1489. Weislingerus in Catalogo Libr. Impreſſ. Biblioth. Argentin. Ord. S. Joh. Hieroſol. ſub voce *Galenſis* excitavit. Præſens hæc noſtra a Joh. Zainer, & quidem jam ante annum 1480 excuſa videtur. Typi enim prorſus iidem ſunt cum typis, quibus idem typographus impreſſit libros Faſciculo I. NN. XXX, XXXI. ſeqq. recenſitos. Deſunt quoque initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. In ſuperiori tamen margine notantur diſtinctiones ſingularum partium, e. g. *Diſtinctio Prima.* Præter punctum occurrunt etiam, licet rarius, duo puncta. Charta & firma & alba eſt, ſed minus polita. Folia impreſſa numeravi 186. In fine ſequens legitur notitia: *Vigore motoris primi immobilis: nullam magnitudinem habentis axplicit* (ſic) *Galenſis ſumma venuſtiſſima atq3 lepidiſſima: ſūma collationū alio nōie ſiue cōmuniloquiū vocitata. dogmatū varios microcoſmi gradus ac ſtatus reſpicientiū cōplexiua ob dei gloriam amplioremq3 eccleſie fructificationē artificialiter effigiata. legis gracia* (ſic) *anno* 1281. *finit feliter.* Annum in ſubſcriptione inſinuatum eſſe annum, quo opus ab auctore ſuo primo editum eſt, per ſe patet. Editio eadem exſtat in Bibliotheca Cann. Regg. Rebdorfenſium. Conf. *Monumenta Typograph. quæ exſtant in Bibliothec. Cann. Regg. in Rebdorf* &c. pag. 22. & 23. De auctore operis fuſius agit Oudinus Tom. III. de Script. Eccleſ. Col. 495 ſeqq. Ego id unum adnoto, auctorem *Gualenſem*, ſeu Wallenſem recte dici, non *Galenſem.* Unde appellatio, Summa Galenſis.

**CXXII.** Alberti M. *Abundantia*, ſeu Collectio *Exemplorum.* in Fol. min.

In averſa pagina primi folii *Incipit Regiſtrum iſtius libri* in ſeptem partes diviſi, quarum 1) eſt de timore, 2) de Inferno, 3) de Purgatorio, 4) de divino Judicio, 5) de timore mortis, 6) de timore peccati, 7) de timore periculorum. Dicta exemplis partim ex Sacra Scriptura, partim ex eccleſiaſtica & profana hiſtoria illuſtrantur. Folii ſecundi pagina prima incipit auctoris prologus, qui terminatur in prima pagina folii tertii, linea 20. Tum immediate *Incipit de timore.* Typi iidem ſunt cum typis, quibus impreſſum eſt opus immediate præcedens. Sunt nempe Joh. Zainer. Deſunt ubivis initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri. Præter punctum occurrunt etiam duo puncta. Videtur & hic liber ante annum 1480 excuſus. Ad calcem primæ paginæ folii ultimi 66 ſequentia leguntur: *Finit liber de abundantia exemplorum magiſtri Alberti magni Ratiſpa.* (ſic) *epiſcopi ad omnem materiam.* Hæc quoque editio exſtat in Bibliotheca Cann. Regg. Rebdorfenſi. Conf. *Monumenta Typograph - Rebdorf.* &c. pag. 42 & 43.

**CXXIII.** *Sermones diſcipuli ſuper epiſtolas dñicales* (quæ ſequitur vox, legi non poteſt) *per totius anni circulum collecti ex ſermonibꝫ Wilhelmi lugdunenſis & ex dictis ſancti Thome & dictis Johannis nider & aliorũ doctorum catholicorum incipiunt feliciter.* in Fol. min.

Argumentum ex verbis modo recitatis, quæ in fronte primæ paginæ leguntur, abunde intelligitur. Sunt univerſim ſermones 51, typis Johannis Zainer impreſſi, ut eorundem adcuratiſſima comparatione inſtituta manifeſtiſſime deprehendi. Caret hæc editio cuſtodibus, paginarum numeris, & initialibus litteris. Habet vero ſignaturas. In margine quoque ſuperiori ſermonum numeri adnotantur, e. g. *Sermo Primus*, vel *Sermo XXV*. Ad calcem voluminis ſequens legitur notitia: *Expliciunt ſermones diſcipuli ſuper epiſtolas dñicales per circulum anni collecti ex ſermonibꝫ Wilhelmi lugdunenſis epi. & ex dictis Joh'is nider doctoris & ex dictis aliorum doctorum catholicorum & ex ſermonibus Senſati.*

*CHRISTOPHORO VALDARFER, vel GEORGIO RYSER (conf. Faſc. I. pag.* 111. *not. (a)) opus ſequens videtur adſcribendum.*

**CXXIV.** *Officii miſſe| ſacriqꝫ canonis expoſicio. ꝛ ſignoꝝ que inibi quotidie fiũt miſtice rep̄ſentacõnis declaratio. cũ periculoꝝ contingere potentiũ obuiacione. in alma Vniuerſitate lipczenſi edita. incipit feliciter.* in Fol. min.

Hæc verba tituli loco leguntur in fronte primæ paginæ, quæ mox excipit auctoris ad *Reuerendos patres & dominos* academiæ Lipſienſis Epiſtola quaſi dedicatoria præſentis operis, in duos libros diviſi. In primo, qui ſine ulla ſubſcriptione in averſa pagina folii 48 terminatur, auctor agit de diſpoſitionibus ad ſumptionem Euchariſtiæ, deque ipſo hoc ſacramento generatim. Iu ſecundo autem ceremonias & preces in miſſa adhiberi ſolitas explicat, illarumque myſticum pandit ſignificatum. Terminatur ſecundus liber in prima folii 178 pagina ſine ulla ſubſcriptione. Averſa vacua eſt. At folio 179 *Incipit tabula* (ſumma capitum) *huius libri*, eaque, ſine ulla pariter ſubſcriptione terminatur in prima pagina folii 180. linea 29. Typi ſunt prorſus iidem cum typis librorum, quos, tanquam a Valdarfero, vel Georgio Ryſero impreſſos recenſui *Faſc. I.* inter libros nota anni carentes N. X — XVI. Interpunctionum quoque eadem occurrunt ſigna, punctum ſcilicet, & linea oblongior inſtar commatis. Deſunt ubivis litteræ initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Charta ſatis eſt firma, ſed mi-

nus alba & munda. Chartarii ſignum frequentiſſime occurrens eſt caput bovis, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. Pagina quævis integra lineas impreſſas 35 continet.

# CLASSIS III.

## LIBROS COMPLECTENS, QUORUM LOCUS IMPRESSIONIS, ET TYPOGRAPHUS AUT INCOGNITI MIHI SUNT, AUT MINUS CERTI. ADFERAM TAMEN HINC INDE DE ILLIS CONJECTURAS PROBABILES.

### CXXV. Pſalterium latinum cum Canticis Eccleſiaſticis. in Fol.

Hoc Pſalterium litteris miſſalibus, ſed longe minoribus, ac Ingolſtadienſe N. CXIII. recenſitum, impreſſum eſt. Incipit ſine ullo titulo, aut inſcriptione a Pſalmo primo. Nec reliquis etiam Pſalmis, canticisue (excepto Cantico Simeonis, quod inſcriptionem habet: *Canticū ſymeonis*) præfixi ſunt tituli. Deſunt initiales litteræ tam Pſalmorum, quam verſuum ſingulorum. Paginæ numeris, inſcriptionibus, ſignaturis, cuſtodibus carent. Illarum quævis integra lineas complectitur viginta novem; non niſi una alterave vice lineas tantum 28 deprehendi. Sæpe tamen inter Pſalmos ſpatium vacuum reperitur, quod unam, duas, tresve caperet lineas impreſſas. Integrum volumen ſexaginta quatuor foliis impreſſis conſtat. In fine hæc tantum leguntur: *Finit foeliciter*. Charta, cui impreſſum eſt, miræ eſt albedinis. Exemplar quoque noſtrum optime conſervatum eſt atque initialibus litteris partim cæruleis, partim rubris a miniatore ornatum. Patet ex deſcriptione a me facta, octavo ſaltem ſæculi XV. decennio hoc Pſalterium fuiſſe typis impreſſum.

### CXXVI. *Incipit pſalteriū iuxta uſū alme eccl'ie Ratiſponeñ.* in Fol.

Hæc in fronte leguntur primæ primi folii paginæ charactere miſſali magno, ſed minus pingui, ac eſt character Pſalterii Ingolſtadienſis, (N. CXIII.) impreſſa. Eodem charactere impreſſi ſunt etiam Pſalmi, aliaque cantica. Antiphonæ, verſus, & rubricæ plerumque ſunt minoribus litteris impreſſæ. Pſalmis præfixi ſunt numeri, & canticis aliis nomina auctorum, e. g. *Canticū yſaie*, *Can. Anne.* Deſunt initiales litteræ non modo Pſalmorum, ſed ſingulorum etiam verſuum, quemadmodum etiam cuſtodes, & ſignaturæ. In margine ſuperiori primæ cujusvis folii paginæ folii numerus romano eſt charactere impreſſus. Primum vero folium numero caret. Conſtat totum volumen foliis impreſſis nonaginta octo. Paginæ ſingulæ lineas impreſſas continent viginti duas. Meminit hujus editionis Cl. Gemeiner in Nachrichten

von

von den in der Regensburgiſchen Stadtbibliotheck befindlichen Büchern &c. pag. 276. Eſſe hoc Pſalterium Sæc. XV. impreſſum, nullus dubito: attamen & Ingolſtadienſi, & immediate præcedenti recentius eſſe, æque certum videtur.

## CXXVII. S. Brunonis Epiſcopi Herbipolenſis Sæc. XI. Pſalterium latinum cum Expoſitionibus Patrum antiquiorum ab eodem collectis. in Fol.

Præmiſſa eſt editoris anonymi Præfatio, qua hujus Pſalterii præſtantia, uſus atque œconomia exponitur, octo conſtans foliis, quorum ſingulæ paginæ in duas columnas diviſæ ſunt. Folio nono ipſum incipit Pſalterium. Columnam unam Pſalmorum textus, charactere miſſali magno elegantiſſimo impreſſus, alteram vero columnam antiquorum patrum Hieronymi, Auguſtini, Caſſiodori aliorumque expoſitiones a S. Brunone collectæ occupant. Harum ſingulis nomen præfixum eſt auctoris per litteram initialem rubram, e. g. *A*, *H*, i. e. Auguſtinus, Hieronymus. Porro expoſitiones iſtæ charactere minori pereleganti, quo etiam editoris præfatio impreſſa eſt, ſunt impreſſæ. Iisdem expoſitionibus, data occaſione, inſertæ ſunt orationes litteris impreſſæ gothicis longe majoribus. Atque hæ quidem litteræ, pauciſſimis exceptis, aut eædem ſunt, aut ſimillimæ litteris, quibus Chriſtophorus Valdarfer, & Georgius Ryſer alias uſi ſunt. Conf. *Faſc. I. pag.* 110. *N. X. & pag.* 111. *not.* (*a*) Inde probabilis admodem conjectura mihi ſubnaſcitur, aut ex Chriſtophori Valdarfer, aut ex Georgii Ryſer typographia hoc Pſalterium prodiiſſe. Pſalmis præfixi ſunt tituli, & brevia argumenta, nunc ex Hieronymo, nunc ex Auguſtino, nunc ex aliis deſumpta Patribus & charactere miſſali eodem, quo textus Pſalmorum, impreſſa, ſed rubro colore, quo, etiam impreſſæ ſunt initiales litteræ magnæ tam Pſalmorum, quam verſuum ſingulorum. Textui Pſalmorum inſerti ſunt obeli, & aſteriſci, quibus S. Hieronymus in emendando ex verſione ſeptuaginta interpretum pſalterio latino eſt uſus. Conf. *Prolog. S. Hieronymi ad Paulam & Euſtochium in Pſalterium ſecunda vice a ſe emendatum.* Ceterum deſunt in hac editione paginarum numeri, inſcriptiones, ſignaturæ, & cuſtodes. Poſt Pſalmum CL. ſequens legitur ſubſcriptio, colore rubro, & charactere pariter miſſali impreſſa: *Finit liber pſalmo4. numero centum quinquaginta.* In eadem columna incipit pſalmus Davidi falſo adſcriptus: *Puſillus eram inter fratres meos* &c. Hunc excipiunt cantica alia, quorum frequentior eſt in officio eccleſiaſtico uſus. Conſtat volumen integrum foliis impreſſis 278.

Vir Clariſſimus, M. Georgius Wolfgangus Panzer in Geſchichte der Nürnberg. Bibelausgaben ann. 1778. pag. 63 ſeqq. eandem deſcripſit editionem, adfirmatque, a nullo Bibliographo ejus factam eſſe mentionem. Putat ante annum 1480 vel Moguntiæ, vel Argentorati excuſam eſſe. Quod tempus

attinet editionis, facile quidem crediderim, ante annum 1480 factam eſſe hanc editionem. De loco autem impreſſionis paulo ante probabilem conjecturam meam expoſui. Cur Argentorato, vel Moguntiæ hoc opus adſcribendum ſit, nullam Panzerus, hac in materia, ſiquis alius, judex certe idoneus, allegat rationem. Exquo laudata Panzeri hiſtoria prodiit, duo alia, præter Ingolſtadienſe hoc, innotuerunt exemplaria, quorum alterum in Bibliotheca Ratisbonenſi civica, alterum in Bibliotheca Cann. Regg. Rebdorfenſi adſervatur. Conf. Gemeiner loc. cit. pag. 278. n. 291. & Monumenta Typograph. Rebdorf. pag. 15.

## CXXVIII. Antonii Rampigolli, Ord. Eremit. S. Aug. Sæc. XV. Biblia aurea. Accedunt Sermones Quadrageſimales. in Fol.

De operis hujus argumento ſcitu neceſſaria dixi ad annum 1475. N. VI. Auctor in editione ibi recenſita Ampigollius dicitur, rectius vero in præſenti, Rampigollus. Conf. de eo *Oudin.* de *Scriptor. Eccleſ.* Tom. III. col. 2310. ſeqq. Præmiſſa eſt in hac quidem editione auctoris ad confratres ſuos Auguſtinianos conventus Neapolitani Præfatio, ſeu dedicatio, quæ incipit ſine ullo titulo: *Religioſis atque honeſtis viris in xpo dilectis fratribus ſtudentibus Neapolim* (ſic) *cōuentus ordinis* &c. Ad calcem paginæ ejusdem *Sequitur tabula in Reportatoriū Biblie aureum ordine alphabeti deſignata, & primo de his que ab a littera incipiunt agitur fauſtū felixq3 exordium.* In averſa ejusdem folii pagina tabula incipit, & terminatur in prima pagina folii ſequentis. In averſa pagina ipſum incipit reportatorium a voce *Abſtinentia.* Articulis ſingulis argumentum & diviſio præmittitur, & quidem hac ratione; e. g.

| | |
|---|---|
| | *Meriti augmentativa* |
| | *Sapientie acquiſitiua* |
| | *Religioſitatis oſtenſiua* |
| *Abſtinentia eſt* | *Carnis refrenativa* |
| | *Vindicte impeditiva* |
| | *Orationis auxiliativa* |
| | *Indulgentie obtentiva* |
| | *Exempli demonſtrativa* |

Litteræ ſunt rotundæ, & perelegantes, atque eædem omnino, quibus impreſſa ſunt opera *Faſc. I.* pag. 178. N. LXXXIX. & pag. 183. N. XCVI. recenſita. De typographo conjecturam ſupra ad N. CXIV. in not. (a) expoſui. Abbreviaturæ minus frequentes ſunt. Pro æ ubivis eſt e. Signum interpunctionis unicum occurrit, nempe punctum. Initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri deſunt. Charta alba eſt & nitida: chartarii ſignum caput bovis, cujus inter cornua ſtilus, ſæpe duplex, exurgit in Roſam, ſeu, ſi mavis, polygonum deſinens. Reportatorium terminatur in prima folii 116 pagina, linea 14, cui hæc tantum ſubjecit typographus:

*Explicit reportatoriū biblie.*

Quod

Quod reliquum eſt hujus folii ſpatium, vacuum eſt. In ſequenti autem folio incipiunt ſermones (neſcio cujus auctoris) tempori quadrageſimali adcommodati, iique latini, qui foliis impreſſis quadraginta ſeptem comprehenſi ſunt. Atque his quidem nulla præmiſſa eſt inſcriptio, aut titulus omnibus conveniens. Singulis vero præfixa eſt dies, cui ſunt accommodati. Sunt vero ſermones iſti nihil aliud, quam expoſitiones Evangeliorum, & Epiſtolarum, quæ ſingulis per quadrageſimam diebus publice leguntur. Externa forma horum ſermonum, quoad chartam, typos, aliaque eſt prorſus eadem cum præcedenti Reportatorio, quocum eodem tempore exiit in lucem. In fine legitur: *Deo autem omnium donanti cuius dictioni* (ſic) *cuncta ſunt ſubiecta. gratiarum infinitas referimus actiones.* Editionem hanc, quæ ſaltem circa annum 1480 prodiiſſe videtur, a nullo Bibliographo excitatam memini.

## CXXIX. Guilielmi Poſtilla in Epiſtolas & Evangelia de Tempore, Diebus Dominicis, Sanctis, Communi Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & pro defunctis. in Fol. min.

In fronte operis ſine ullo titulo auctoris incipit præfatio *Itam* (Vitam) *bonam & exitum beatum. Ego frater Givillermus* (ſic) *ſacre theologie epſeſſor minim⁹ pariſius* (ſic) *educatus* &c. Finita præfatione in eadem pagina nominantur ſcriptores, ex quibus auctor ſua deprompſit. In averſa autem pagina legitur notitia de iis *Ad quos ſanctus Paulus ſcripſit Epiſtolas.* Folio ſecundo ipſa incipit Poſtilla in Epiſtolas, & primo omnium occurrit poſtilla in Epiſtolam, quæ legitur *Dñica prima in aduentu dñi.* Epiſtolæ non integræ adferuntur, ſed tantum earum primæ voces. Poſtillæ in Epiſtolas terminantur in averſa pagina folii 71. Folio 72 *Incipit poſtilla ſup euãgelia dñicalia ſ:m ſenſum litteralẽ Evãgeliũ ꝓ textũ in prima dñica aduent⁹ dñi.* Ad calcem operis in prima ſcilicet pagina folii 215 circa finem ſequens legitur ſubſcriptio: *Explicit poſtilla ſup euãgelia dñicalia| & ſup euãgelia de ſanctis ſ:m ſenſum litteralem collecta.* Evangeliorum textus integer eſt impreſſus. Porro litteræ, quibus impreſſa ſunt tam evangelia, quam Epiſtolæ, nec non Rubricæ, ſunt prorſus eædem cum litteris, quibus Chriſtophorus Valdarferus, & Georgius Ryſer alias uſi ſunt. Conf. Faſc. I. libros ſine nota anni N. X — XVI. Litteræ, quibus impreſſæ ſunt poſtillæ ſunt multo minores, formæ gothicæ. Deſunt ubivis initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Videtur opus excuſum anno 1478. Nam in Poſtilla in Evangelium de Virginibus: *Simile eſt regnum cælorum decem virginibus* &c. ad illa verba: *moram autem faciente ſponſo* &c. hæc adnotantur: *Mora iſta eſt decurſus temporis ab aſcenſione Chriſti usque ad diem iudicii. Quod tempus propter longitudinem vocatur mora. Jam enim duravit per mille quadringentos & LXXVIII. annos.* Porro annos hic loci a Chriſti nativitate computatos eſſe, monui Faſciculo

ſciculo I. pag. 171. ubi aliam ejusdem operis editionem recenſui pariter nota anni deſtitutam. Eadem occaſione quædam dixi de operis auctore.

## CXXX. Idem opus cum immediate præcedenti. in Fol. min.

In præfatione hujus editionis auctoris nomen eſt, *Guillermus.* Ceterum folium primum hujus editionis eadem continet, quæ folium primum editionis præcedentis. Folio ſecundo poſtillæ in Epiſtolas incipiunt, eædemque terminantur in prima folii 54 pagina, linea 35. Tum immediate in eadem pagina ſequitur *Dominica prima aduentus Euangeliũ ſcdm math. xxx.* Finito in averſæ paginæ linea 14 hoc evangelio *Incipit poſtilla ſuper euangelia & primo dñicalia ſcdm ſenſum literalem, iuxta concordan cias euangeliſta4.* Ad hujus calcem in prima ſcilicet pagina folii 128 circa medium ſequens legitur ſubſcriptio: *Poſtilla ſuper euangelia dominicalia & ſuper euangelia de ſanctis ſcdm ſenſum litteralem collecta explicit.* Patet, diverſam eſſe hanc editionem a præcedenti. Attamen in utraque editione Evangelia cum initiis Epiſtolarum, & Rubricis ſunt iisdem litteris impreſſa: typi vero, quibus impreſſa eſt poſtilla, ſunt diverſi. Sed hoc non obſtat, quo minus ab eodem typographo ambæ editiones excudi potuerint. Præſens hæc præcedenti junior videtur. Nam in poſtilla in Evangelium de Virginibus, loc. ad N. præced. laudato, legitur *durauit - - & LXXX. annos.* videtur ergo anno 1480 facta eſſe. Ceterum hic quoque deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones.

## CXXXI. Johannis de Turrecremata Tractatus de Efficacia Aquæ Benedictæ. in 4to min.

Libellus iſte, octodecim conſtans foliis impreſſis, charactere non ineleganti gothicæ formæ impreſſus eſt. Caret initialibus litteris, cuſtodibus, ſignaturis, paginarum numeris, & inſcriptionibus. Interpunctionis ſigna duo occurrunt, nempe puncti loco talis figura (⁓) & comma, quod eſt linea oblongior, e. g. *deo auerſus| diuina iuſtitia derelictus| a dyabolo inuaſus|* Quævis pagina lineas impreſſas 27 continct. In fronte libelli hæc verba leguntur: *Incipit tractatus de efficacia aque benedicte| per venerãdum magiſtrum Johannem de turrecremata| ſacre theologie ꝓfeſſorem| ordinis ꝑdicatorum| tempore concilij baſilienſis cõpilat⁹ cõtra petrũ angelicum hereticorũ defenſorem in bohemia.* Quamvis ob characterem plane ſingularem de typographo, & loco impreſſionis nihil auſim adfirmare, id tamen, puto, certum eſt, libellum hunc ſaltem ante annum 1480 eſſe typis exſcriptum.

## CXXXII. Alberti Magni tractatus de Secretis Mulierum. in 4to.

Tractatum hunc Alberto M. auctori falſo olim adſcriptum fuiſſe, hodie quidem fere concors eſt criticorum ſententia. Verus auctor exſtitit Henricus de Saxonia, Alberti M. diſcipulus, cujus etiam ſub nomine aliquoties prodiit. Sunt vero editiones iſtæ, veri auctoris nomen præferentes, rariſſimæ. Conf. *Freytagii Analecta Liter. pag.* 13 & 14. Præſens editio eſt gothico charactere crudæ admodum chartæ impreſſa. In fronte opuſculi absque ullo titulo aut inſcriptione legitur auctoris præfatio quæ in averſa primi folii pagina, linea 20 terminatur. Tum ſequentia leguntur impreſſa:

*Titulus*

*Incipiunt ſecreta mulierum & virorꝝ ab Alberto*
*magno ꝯpoſita.*

Deſunt cuſtodes, & paginarum numeri, ac inſcriptiones. Opuſculum totum foliis impreſſis, iisque ſignatis a. b. c. d. e. f. quadraginta quatuor conſtat. Terminatur autem in prima folii ultimi pagina, ad cujus calcem hæc tantum leguntur:

*Finis huius tractatuli vene-*
*rabilis Alberti magni.*

## CXXXIII. *Simonis* Fidati (vulgo *de Caſſia*) Ord. Eremit. S. Auguſtini liber ſuper totum corpus Evangeliorum, ſeu, ut vulgo adpellantur, Libri XV. de Geſtis Domini Salvatoris. in Fol. maj.

Præmiſſa eſt tabula, ſeu index evangeliorum de Dominicis & Feſtis per annum diebus, hancque præcedit *Prologus* ſeu inſtructio ad expeditum hujus indicis uſum. Atque hæc ſunt quinque foliis impreſſa. Folio ſexto *Incipit liber venerabilis fra* (hæc majuſculo charactere impreſſa ſunt, non item ſequentia) *tris Simonis de Caſſia ordinis fratrum heremitarū ſancti Auguſtini ſuper totū corpus euangelioꝝ. quem librum incepit ad inſtantiam & petitionem ſui chariſſimi amici dn̄i Thome de Korſinis. legū doctoris de Florentia Anno dn̄i* M. ccc.xxxviij (1338, non M. ccc. xxviij - 1328 - ut habet Freytagius loco infra citando) *die ſexta mēſis ſeptēbris apud almam vrbē. Sed ibidē anno dn̄i* M. ccc. xlviij. *in vigilia aſcenſionis dnice infirmatus: & ſequēti anno die ſecunda februarij defunctus: nec ipſum librum relegere & ordinare, vel corrigenda corrigere ſi q̄ eſſent. nec in aliquibus tractatibus & capitulis hujus libri pficienda perficere potuit vel complere.* Poſt hæc verba *Incipit prologus primus generalis in libros de geſtis domini ſaluatoris.* Hunc excipit *Prologus ſecundus*, cui ſubjecti ſunt ſingulorum ordine librorum tituli, terminati in averſa ſexti hujus folii pagina, columna prima, linea 10. Demum *Incipit primus liber de verbo increato pro nobis in tp̄e incarnato ſcd̄m Johannē ſolū. Capitulū I.* In ſuperiori

mar-

margine cujusvis paginæ librorum numeri, & tituli majuſculo charactere impreſſi leguntur, e. g. *Liber Primus De miſteriis Verbis incarnati — Liber quintus De miraculis Salvatoris.* Opus gothico charactere ſatis luculento in duabus columnis chartæ firmiſſimæ impreſſum eſt. Habet ſignaturas, & initiales literas parvas. Caret vero cuſtodibus, & paginarum numeris. Præter punctum etiam duo puncta, licet rarius, occurrunt. Ad finem voluminis hæc leguntur: *Explicīūt vndecimus duodecimus terciuſ decimus quartuſ decimus & quintuſ decimus libri de geſtis domini ſaluatoris. Quos edidit divini flaminis doctor Symon de caſſia: ordinis heremitaꝛum beati Auguſtiui epiſcopi.* Vix dubito, quin Freytagius in *Analectis Liter.* pag. 863 ſeqq. eandem præ oculis habuerit editionem, quam adpellat *rariſſimam*, & *forte omnium primam.* Nam paucis exceptis, quæ de hac editione commemorat Freytagius, eadem omnino ſunt in utroque exemplari noſtro. In quibus vero diverſa ſunt Freytagii, & noſtra exemplaria, in his forte Freytagius, quod humanum eſt, erravit. Sic in inſcriptione, quæ legitur initio folii ſexti, pro *Anno M. ccc. xxxviij.* Freytagius habet *M. ccc. xxviij.* In ſubſcriptione pro *beati Auguſtini epiſcopi* legit *beati Epiſcopi Auguſtini.* Videtur idem etiam in aſſignando foliorum numero erraſſe. Bina enim, quæ apud nos exſtant, exemplaria foliis conſtant impreſſis 385, ut ex iterata utriusque collatione adfirmare poſſum. Aſt Freytagius folia numeravit 388. Ceterum unum ex duobus exemplaribus noſtris Johannes Blueml, Acad. noſtræ olim Profeſſor, jam anno 1492 poſſederat, ut ipſe manu ſua in margine inferiori primæ paginæ adnotavit. Sed videtur hæc editio antiquior eſſe anno 1492.

## CXXXIV. *Incipit liber Beati Auguſtini Epiſcopi de fide ad Petrum. Vtilis valde legentibus.* in Fol. min.

Verba hæc leguntur in fronte opuſculi, quod 23 foliis impreſſis continetur, & in fine hæc habet ſubſcripta:

*Beati Auguſtini. Liber. De. Fide ad*
*Petrū. Dyaconū. Explicit feliciter.*

Deſunt ubivis cuſtodes, ſignaturæ, litteræ initiales, numeri, & inſcriptiones paginarum. Nullum etiam occurrit diſtinctionis ſignum niſi punctum. Litteræ gothicæ ſunt, admodum luculentæ, & pingues. Charta minus firma eſt, & minus alba, polita tamen. Chartarii ſignum eſt caput bovis non nihil majus cujus inter cornua ſtilus exurgit in polygonum deſinens. Quævis pagina 31 lineas continet. Editionem circa annum 1470 factam eſſe, nullus dubito: de loco autem impreſſionis, & typographo nihil habeo ſatis probabile.

**CXXXV.** *Tractatus de periculis contingentibus circa ſacramentum Eucariſtie & de remediis eornudem* (ſic) *ex dictis ſancti Thome de Aquino feliciter incipit.* in 4to.

Hæc leguntur in fronte opuſculi, cujus plures jam editiones loci, & anni nota carentes hactenus recenſui. Tum ſequitur immediate ipſe textus gothico charactere pereleganti, & admodum luculento chartæ minus politæ, ne dicam ſordidæ impreſſus, & ſex tantum foliis conſtans. Caret initialibus literis, cuſtodibus, ſignaturis, numeris, & inſcriptionibus paginarum. In fine majuſculo charactere hæc habentur impreſſa: *Tractatus de periculis circa ſacramentuз Eucariſtie contingentibus ſelicit' finit.*

**CXXXVI.** *Stella clericorum.* in 4to.

Sic legitur in prima primi folii pagina. In averſa ipſum incipit opuſculum, in quo de obligationibus Paſtorum auctor anonymus, cordatus ille, & gravis, agit. Literæ videntur eædem cum literis opuſculi immediate præcedentis. Cetera quoque omnia, quæ ad externam ſpectant formam, ſunt prorſus eadem. Eandem etiam apud nos compacturam habent. Conſtat vero Stella Clericorum foliis octodecim impreſſis, & in fine nihil aliud adjectum habet, quam vocem majuſculo charactere impreſſam,

*Finis.*

**CXXXVII.** Anonymi *Oratio queruloſa contra Inuaſores Sacerdotum,* in 4to.

Auctor hujus opuſculi, quod gothico charactere chartæ firmæ & albæ impreſſum eſt, & foliis comprehenſum impreſſis ſeptem (adnumerato etiam folio, quod verba tituli loco recitata, & nihil aliud, continet) vehementer conqueritur de injuſta Clericorum ſua ætate perſecutione in Germania. Scripſit opuſculum non diu poſt annum 1492. Nam Alexandrum VI. ſummum Pontificem hoc eodem anno III. Idus Auguſti electum ita alloquitur: *Romana ſedes, quam tu Beatiſſime pater ſuperioribus diebus pro meritis tuis aſcendiſti* &c. De Friderico quoque tertio, qui anno 1493 obiit, ut jam defuncto loquitur. De perſecutione vero adverſus clericos & monachos poſt ejus mortem excitata hunc in modum diſſerit: *Nunc uero poſt eius lachrimabilem caſum. ſiue temporum malicia. ſiue ſecreto dei iudicio vaſtantur eccleſie. cenobia ſpoliantur. monachorū granaria frumentis onuſta exuruntur. Clerus obruitur. Clerus offenditur. Clerus nouo penarum genere a latronibus attrociter impugnatur. & torquetur. Latrones eos vocamus. quoniā nonnulli ſacerdotum (quibus hoc nouum tormenti genus inflictum eſt) miſere necati ſunt. immo latronibus eos longe*

 *iudi-*

*iudicam⁹ deteriores. Siquidem latronibus eſt ut cunq3 ſcelerū ſuorū aliqua verecūdia. nam illi occultas montium fauces & abſtruſas nemorū cauernas. deſertaſq3 ſolitudines diligunt atq3 ita illic ab eis delinquitur út tamen delinquentiū facinus tenebris & nocte veletur. hij vero. impuri ſacerdotum tortores palam ſeuiunt. & in audacia ſua tuti media luce ferocitatis ſue arma paſſim proſtituunt.* De inventione artis typographicæ hoc in opuſculo occurrit quoque teſtimonium ſequens: *Conſtat - - noſtris temporibus Cachographiam* (ſic) *hoc eſt impreſſoriam artem in nobiliſſima germanie Urbe Maguncia fuiſſe repertam.* Ceterum deſunt cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. Paginas ſecundam, tertiam, quartam, & quintam typographus ſignavit A ij. A iij. Aiiij. A v. Idem literam initialem parvam initio opuſculi adjecit. In fronte primæ ſecundi folii paginæ hæc leguntur impreſſa: *Flaminū. vatū. Sacerdotū Gymnoſophiſtarū piloſophorū* (ſic) *druidū. In teſtipremos conqueſtio.* In fine autem ſequentes leguntur verſus:

*Impie tu latro quem certe lamia tygris.*
*Quem lea. truxue draco genuit vel cerberus ipſe.*
*Et nutriit quiſnam rogo tam crudelia te dic*
*Supplicia edocuit vetita omni lege. nec ipſi*
*Tormentum ſyculi par inuenere tyranni*
*Quod nunquam auſa fuit ſub celo nacio. ſolus*
*Tu Germane facis. quid enim tibi teſticuliſq3*
*Sacrificum. quos dira nouis tua machina penis*
*Afficit. hoc teſtes vinctus miſer vſq3 ſacerdos*
*Angitur ut properet quo iuſſeris inclite latro*
*Turpia tu faciens nos turpia ſcribere cogis*
*Flereq3. tarthareis tortor ſtringende cathenis.*
*Heu tua mens ſtygia reſtat cruciande palude.*
*Finis.*

Incompertum mihi eſt, ubi, quove auctore, in germania hoc crudelitatis genere, quod auctor hiſce carminibus deſcribit, in clericos ſæculo XV. ad finem vergente ſævitum fuerit. Ceterum celeberrimus *Crevenna* in *Catalogue Raiſonée de la collection de Livres* &c. Vol. I. pag. 85. de hoc opuſculo adfirmat: *eſt inconnu a Tous les Bibliographes.* Nec ego quidem de eo alibi quidquam me legiſſe memini.

## CXXXVIII. *Incipit Auguſtinus De virtute pſalmorum.* in 4to.

Hæc leguntur in fronte opuſculi, quod e diverſis videtur auctoribus compilatum. Compilator ipſe in averſa folii ſecundi pagina lin. 2. & 3. adnotavit: *hec de virtute pſalmorum.* Tum vero adjecit: *Legitᵉ qᵒ beatus hylarius eṗs extraxit hos* (ſequentes) *pſalmos ad ſpūales orationes dicendas.* In eadem pagina & ſequenti aliorum adhuc pſalmorum uſum indicavit, citavitque

que Vincentii, utique Bellovacenſis, Speculum. Paulo ante medium primæ tertii folii paginæ incipiunt brevia pſalmorum, aliorumque canticorum, quorum hodie adhuc in choro frequentior eſt uſus, argumenta. In fine vero hujus compilationis ad calcem averſæ decimi folii paginæ ſubſcriptio legitur: *Explicit Auguſtinus de virtute pſalmorum.* Impreſſum eſt opuſculum nitidæ & albæ chartæ gothico charactere ſingularis formæ, & juſtæ magnitudinis. Folia quinque priora typographus ſignavit. Deſunt vero cuſtodes, initiales literæ, numeri, & inſcriptiones paginarum.

**CXXXIX.** *Determinacō duarū ſubiectarū queſtioūn* (ſic) *Sifridi epi Cireñ. ad archiepm maguntinū. Veritur* (Queritur) *in foro ↄſciētie pura ſimplexq3 ſb'iectarū queſtionū veitas quātū ad ſalutē aīe reqrītur om̄i ſimulacōe poſtpoſita. Utrū pñceps catholicus pſertim ecciaſticus: poſſit iudeos bona ↄſciētia ad exercendū publice vſurā ptege'. & manutene' in terra ſua. Scd'o vtrū pñceps poſſit ob bon̄ ↄſsuacōʒq3 principatus ſui iuſte liberum inhibere ſubiectis contractum matrimonij.* in 4to.

Hæc verba leguntur in prima primi folii pagina, in eademque immediate incipit ipſum opuſculum gothico charactere paulo majori impreſſum. Deſunt initiales litteræ, cuſtodes, ſignaturæ, numeri, & inſcriptiones paginarum. Signum interpunctionis eſt punctum, rarius duo puncta occurrunt. Singularum literarum ſatis regularis eſt figura, illarum vero in voces compoſitarum ſæpe irregularis admodum ſitus eſt. Paginæ ſingulæ, quotquot numeravi, viginti octo lineas continent. Conſtat totum opuſculum foliis 26 impreſſis, & in fine hæc habet ſubſcripta: *Reuerendiſſimi in xpo patris & dñi. dñi Sifridi quondam cyreñ. epiſcopi ſacre theologie pfeſſoris eximii ordinis fratrum pdicatorum duarum queſtionum determinacōnes ad archiepiepreſulem* (ſic) *metropolis maguntine Theodoricum* (cujus auctor vicarius in ſpiritualibus generalis erat) *feliciter finiunt.*

**CXL.** *Reſponſio ad quatuor queſtiones dñi ſifridi epiſcopi cirenenſis.* in 4to.

Exterior hujus opuſculi facies eſt prorſus eadem cum immediate præcedenti. Videtur ergo ex eadem typographia & eodem circiter tempore in lucem prodiiſſe. Conſtat decem tantum foliis impreſſis, & in fine hæc habet ſubſcripta: *Determinatio dñi Sifridi quondā cireñ epi quatuor qſtionū ſibi oppoſitarū pmo vbi ſic querebatur. An liceat abſolucōis bñficiū impendere & eucariſtie ſa-*

*ſacram̄tū miſtrare illi. qui iudeo de vſura dūtaxat viueti ſuam locauit domum ꝛc. Scdo. An cōtractus vendicōis frumentorū ſpēm fraudis habeat. vel ꝑuitatis: & hmōi vendentes ſint abſoluēdi & cōmunicandi. ꝛc Tercio. Vtrū ꝓhibendi ſint a ꝯmunione q̄ vtuntur ꝯtractibꝰ empcōis reddituū. cū pacto de reuēdēdo. ꝛc. Quarto. Vtrū in foro conſcientie res rapte poſſint in ſuos vel in pios uſus conuerti. vel ad reſtitutionem teneantur ꝛc. feliciter finit.*

CXLI. *Incipit modus vacandi| beneficioꝝ.* in 4to.

Hæc in fronte leguntur opuſculi, quod gothico charactere ſatis eleganti impreſſum tribus conſtat foliis, nec iis quidem integris, cum tertii folii averſa pagina quoad partem majorem ſit vacua. Folii quarti prima pagina *Incipit modus acceptandi* ſc. beneficia. Hic lineis quindecim, & parte decimæ ſextæ abſolvitur. Subſcriptionis loco ſola vox *Finis* legitur. Deeſt initialis litera P; deſunt etiam cuſtodes, ſignaturæ, numeri, & inſcriptiones paginarum. Editiones duas opuſculi ejuſdem, a noſtra hac diverſas, ut videtur, excitavit Cl. P. Audiffredi loc. cit. pag. 462.

CXLII. *Sermones aurei de ſanctis fratris Leonardi de vtino ſacre theologie doctoris ordinis predicatorum. Prologus.* Editio a non nullis Bibliographis olim ad annum 1446 relata. in Fol.

In averſa primi folii pagina impreſſa exſtat tabula, ſeu index ſingulorum ordine ſermonum: in fronte autem folii ſecundi verba leguntur tituli loco recitata, & auctoris prologo præfixa. Terminatur hic prologus in prima tertii folii pagina, linea 33. Tum incipit *In feſto glorioſiſſimi confeſſoris ſancti Leonardi. Sermo.* Deſunt ubivis initiales literæ, cuſtodes, ſignaturæ, numeri, & inſcriptiones paginarum. Diſtinctionis ſignum nullum occurrit, niſi punctum, ſtellæ quadratæ formam habens. Charta eſt omnino firmiſſima: atramentum vero nigerrimum. Literæ gothicæ ſunt, eæque fuſæ, non ſculptæ, ſaltem quæ alphabeti minoris ſunt, juſtæ magnitudinis, & ſatis luculentæ. Paginæ ſingulæ, quotquot numeravi, lineas 41 complectuntur. Folia vero impreſſa numeravi 360. In prima folii 360 pagina poſt lineam 16 ſequens legitur ſubſcriptio:

*Expliciunt ſermones aurei de ſanctis ꝑ totū annū. quos compila uit magiſter Leonardꝰ de vtino ſacre theologie doctor ordinis fra trum ꝑdicatorum. Ad inſtantiā ꝛ complacentiā magnifice cōmunita tis Utinenſis. ac nobiliū viroꝝ eiuſdē. Mccccxlvj. in vigilia beatiſſi mi patris noſtri Dominici ꝯfeſſoris. Ad laudem ꝛ gloriā dei omni potentis ꝛ totiꝰ curie triumphantis.*

Non

Non defuerunt, qui ſiniſtra horum verborum interpretatione decepti opus iſtud anno 1446. impreſſum fuiſſe adfirmarunt. Conf. Denis in Merkwürdigkeiten der garell. Bibliotheck pag. 46. Verum hodie quidem Bibliographi conſentiunt, notam anni 1446. in ſubſcriptione intelligendam eſſe de tempore, quo auctor hoc opus ſuum ita expoliverat, ut emitti in lucem, & manuſcriptum ſaltem vulgari poſſe judicaret. Hinc in editionibus poſterioribus, e. g. anni 1474, quam recenſet Cl. Gemeiner loc. cit. pag. 18 ſeqq. eadem ſubſcriptio legitur. Videtur mihi tamen noſtra hæc editio octavo ſaltem ſæculi XV. decennio adornata, & anno 1480. anterior. De auctore qui præter hosce ſermones de tempore, locos communes concionatorum, & ſermones quadrageſimales ſcripſit, atque ubivis vaſtiſſimam eruditionem in ſacris non tantum, ſed & profanis ſcriptoribus monſtravit, plura habet Cl. Denis in Merkwürdigkeiten der garell. Bibliotb. pag. 46 & 47. Fuit verbi divini præco ſua ætate famoſiſſimus, quod Utinæ, Bononiæ, Venetiis, Florentiæ, & alibi prædicavit. Obiit anno 1469.

**CXLIII.** *Speculum ſapiencie beati Cirili epiſcopi alias quadripartitus apologieticus vocatus. In cuius quidem prouerbiis omnis & tocius ſapiencie ſpeculum claret. feliciter incipit.* in Fol. min.

Quæ modo recitavi, verbotenus leguntur in fronte primæ paginæ, His ſubjectus

*Hic prologus.*

qui terminatur in averſa pagina, linea 24. Opus eſt moralis argumenti. Explicantur enim per fabulas ingenioſe excogitatas quatuor virtutes principales, Prudentia, Magnanimitas, Juſtitia, & Modeſtia, agiturque de vitiis quæ his virtutibus ſunt oppoſita. Hinc in quatuor partes ſeu libros auctor opus diviſit. Quis vero Cyrillus iſte fuerit, mihi quidem incompertum eſt. Videtur opus medio ævo protruſum in lucem, & Cyrillo vel Hieroſolymitano, vel Alexandrino ſuppoſitum. Atque hæc de auctore & argumento operis. — Litteræ gothicam habent formam, ſuntque non nihil pinguiores. Initiales, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones deſunt. Interpunctionis ſignum occurrit unicum, nempe punctum. Hinc inde tamen occurrit linea, quæ ſupra, & infra lineam impreſſam prominet, & ſenſum inſtar commatis, aut duorum punctorum determinat. Pagina quævis impreſſa lineas complectitur triginta quatuor. Plagularum faſciculis opus integrum conſtat ſeptem. Tres priores ſunt quinterni, quatuor reliqui quaterni. Opus terminatur in ultimi quaternionis folio ſexto, pagina averſa, linea 8. Adjecta vero eſt ſequens ſubſcriptio: *Speculum ſapiēcie beati cirilli epiſcopi Alias quadripertitus apologieticus vocatus. In cuius quidem ꝓuerbiis omnis & tocius ſapiencie ſpeculū claret. Finit felicit'.* Tum ſequitur index ſingulorum cujusvis

libri

libri capitum, qui terminatur in prima ultimi folii pagina, linea 23. In eadem pagina legitur *Explicit Tabula* &c. & explicatio quid ſit *Appologus* (ſic) Meminerunt hujus editionis Auctor *du Catalogue des libres de feu M. le Duc de la Valliere* N. 391. & Cl. Straus in *Monument. Typograph. Rebdorf.* pag. 31.

## CXLIV. Vocabularium latino - germanicum ab incerto auctore compilatum. in Fol. min.

Auctor in præfatione operi, ſine ullo titulo, aut inſcriptione, præfixa operis ſui œconomiam ſequentibus verbis expoſuit: *Nos - - vocabularium ex diffuſioribus majorum dogmatibus ad pauperum ac ſimpliciorum philoſophiæ amatorum profectum ſecundum alphabeti ordinem abbreviare multo labore ſtuduimus in rarioribus non omiſſis terminorum derivationibus, in communioribus planas eorum ſignificationes appoſito vulgari theotonico deſcripſimus. In his & illis partium orationis generum declinationum tam nominum quam verborum notas litteris prænotantes.* Ex his verbis, quis fuerit auctoris ſcopus, lector intelliget. Cum plura & diverſa ſine auctorum nomine Sæculo XV. prodierint lexica latina, difficillimum eſt, ſingulorum aſſignare auctores. Nec ſane multum intereſt. Quamvis enim laudanda ſit induſtria, minus tamen probanda ſunt ipſa opera, his præſertim temporibus, quibus ejusmodi lexica longe meliora ſuppetunt. Servire tamen illa poterunt gloſſaria germanica medii ævi adornaturis. Et in hunc finem minus frequens illorum uſus hactenus quidem fuiſſe videtur. Quod præſentem attinet editionem, ea quidem gothico eſt charactere impreſſa chartæ firmiſſimæ, at minus albæ & politæ. Litteræ initiales raro deſunt. Deſunt vero ubique cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones, Totum volumen foliis conſtat impreſſis 258. Ut diſcerni hoc vocabularium ab aliis poſſit, quædam ex eo juvat excerpere. *Fanaticus id eſt ydolatra vel cuſtos ſani. Et dicitur a fanus a fane id eſt apparere ſantaſmata. — geometricus ain Kinſtiger der meſſung. — merenda mittag eſſen. — pnmiſare bimſen. — punire pinigen. — raſorium eſt cultellus quem hn̄t raſores vel tonſores in balneō qui alio noīe dicitur raſioſum ſcharſach — ſpilingus eſt arbor quedam ſoiuling boum* (Baum) *tinea d'r ueſtim̄toriū vermis dicta ſic eo qꝫ teneat vel tineat.*

## CXLV. Dictionarium latinum, *Vocabularius Breuiloquus*, adpellatum, in Fol.

Paginæ ſingulæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. In prima columna auerſæ primi folii paginæ ſine ullo titulo legitur editoris, non ipſius auctoris, præfatio, ex qua diſcimus, Baſileæ omnium primo typis excuſum fuiſſe hoc vocabularium. An vero hæc noſtra editio ſit illa ipſa prima Baſileenſis, non auſim adfirmare. Potuit enim præfatio primæ editioni præfi-

xa

ſta aliis etiam, ſaltem quæ ſine nota loci & typographi prodierunt, editionibus præfigi. Poſt præfationem ſequuntur Guarini Veronenſis 1) Ars diphtongandi. 2) Dialogus de arte punctandi. 3) Tractatus de accentu. Atque hæc quidem omnia ſex foliis impreſſis ſunt comprehenſa. Septimo demum folio ipſum incipit vocabularium, quod in tres partes diviſum eſt; quarum *prima* alphabetico ordine nomina, *ſecnnda* verba, *tertia* voces indeclinabiles complectitur. Ad calcem partis tertiæ hæc leguntur impreſſa: *Finit vocabularius breuiloquus triplici alphabeto diuerſis ex auctoribus nec nō corp utriuſq3 iuris collect? ad latinū ſermonē capeſſendū utiliſſimus.*

*Laus deo.*

Cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri & inſcriptiones deſunt. Charactéres ſunt gothici, ſatis æquabiles. Volumen integrum conſtat foliis impreſſis 356. De aliis editionibus cum nota anni conf. dicta ad annum 1480. N. XXIX.

## CXLVI. Stephani Fliſci de Sontino Synonima, ſeu ſententiarum latinarum variationes. in 4to.

Præmiſſa eſt, ſine ullo titulo aut inſcriptione, auctoris dedicatio ad Johannem Meliorantium, civem vicentinum, Cancellarium Paduanum. In prima pagina folii ſecundi incipit ipſum opus, quod auctor in ſex partes diviſit. In 1ma) exponit variationes ſententiarum, quæ conveniunt orationis exordio. In 2da) quarum uſus eſt frequentior in narratione. In 3tia) quæ diviſionibus inſerviunt. In 4ta) quæ ad confirmationem. In 5ta) quæ ad confutationem. In 6ta) demum, quibus variantur concluſiones. Præmiſſa eſt ſententia Theodiſce. Tum eadem pluribus phraſibus latine expreſſa eſt. Cum auctor natione Italus fuerit, videntur ſententiæ Theodiſce tum primum fuiſſe præmiſſæ cum hoc opus primo omnium in germania excuderetur. Characteres præſentis editionis ſunt gothicæ formæ, juſtæ magnitudinis, ſine multis abbreviaturis. Interpunctionis ſignum occurrit unicum, nempe punctum, quod plerumque quatuor apices habet. Charta eſt plane firmiſſima, ſed minus polita & alba. Chartarii ſignum caput bovis eſt, cujus inter cornua ſtilus exurgit in ſtellam deſinens. Initiales literæ dedicationis, & procemiorum, quæ partibus ſingulis auctor præmiſit, quemadmodum etiam Epilogi, deſunt. Deſunt etiam ubivis cuſtodes, ſignaturæ, numeri, & inſcriptiones paginarum. Conſtat volumen foliis impreſſis 131. & ad calcem hæc habet ſubſcripta: *Finit ſtephan⁹ fliſcus de ſontino vir deſertus* (ſic pro *diſertus*) *& mira eloquii dignitate fulgens feliciter.* Illuſtris Zapfius in Augsburgs Buchdruckergeſchichte pag. 138 hujus operis editionem excitavit nota loci, anni, & typographi carentem, quam, ex literarum ſimilitudine Gunthero Zainer attribuit. Oblitus vero eſt formam, qua excuſa eſt, indicare. Noſtra, ut ex ſubſcriptione a Cl. Zapfio recitata patet, diverſa eſt. Literæ quoque a Zainerianis, quas plurimas videre mihi contigit, diverſæ ſunt. Cl. P. Audiffredi

fredi loc. cit. pag. 397. aliam excitavit, pariter nota anni, loci, & typographi carentem in 4. quæ foliis tantum 72 conſtat.

CXLVII. S. Joh. Chryſoſtomi 1) Homiliæ in Pſalmos quosdam, nec non & aliæ numero XLI. 2) Libri duo de compunctione. 3) Liber de reparatione Lapſi, cui adnexa eſt narratio de adoleſcente quodam pupillo relicto. 4) De Sacerdotio libri ſex. 5) Homiliæ in Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos Muciano Scholaſtico interprete. 6) Sermones 25 noviter e græco in latinum Traducti. in Fol min.

Omnia hæc opera ſunt iisdem typis impreſſa. Quare ex eadem typographia eodem circiter tempore prodiiſſe videntur. Impreſſa ſunt gothico charactere juſtæ magnitudinis chartæ admodum firmæ & albæ, ſed minus politæ Literas initiales magnas ligno inciſas typographus plerumque adjecit; ſæpe tamen omiſit, & interdum parvas adhibuit. Cuſtodes, paginarum numeri, & inſcriptiones deſunt. Paginæ ſingulæ in duas columnas diſtinctæ ſunt. Prima primi folii impreſſi pagina vacua eſt, averſa autem capitulorum, ſeu Homiliarum, aliorumque operum, quæ numeris 1. 2. 3. comprehenſa ſunt, indicem exhibet. In noſtro exemplari ex errore Bibliopegi opera N. 2. & 3: ultimum voluminis locum occupant; & quæ in indice ultimo loco indicatur Homilia de Herodiade, præmiſſa eſt ſine ullo titulo libris comprehenſis ſub NN. 2. & 3. ſeu immediate annexa Homilis aliis. Homiliæ N. 1. tredecim plagularum faſciculis comprehenſæ ſunt, ſignatis A — N. Sunt omnes quaterni, excepto ultimo, qui ſexternus eſt. Libri de Sacerdotio foliis 36 comprehenſi carent ſignaturis. Prima pagina ſequentis operis vacua eſt, averſa autem tabulam exhibet materiarum. Atque hoc quidem folium pariter caret ſignatura. Sequentia vero tria ſignata ſunt numeris 1. 2. 3. Folia nonum, decimum, undecimum & duodecimum numeris 4. 5. 6. 7. & ſic deinceps. Ad calcem operis hujus leguntur ſequentia: *Explicit Omelia xxxiiij. Et per conſequens totalis cōmentatio ſancti Johannis epiſcopi Cōſtantinopolitani cognomento Criſoſtomi in epiſtolam beati Pauli apoſtoli ad hebreos.* Sermonibus viginti quinque noviter e græco translatis nullus omnino præfixus eſt titulus aut inſcriptio. Terminantur autem hac ſubſcriptione: *Expliciūt ſermones Johannis Criſoſtomi nnmero XXV. nouiter de greco in latinum traducti.*

**CLXVIII.** *Secuntur* (ſic) *cōcluſiones de diuerſis materiis moralibꝫ utiles valde. poſite p mgr̄m Johānem de gerſona doctorem eximiū in theologia. ac cācellariū eccleſie beate marie paryſienſs.* in Fol. min.

Hæc verba, quæ in fronte leguntur opuſculi charactere luculento, magnam cum literis Guntheri Zainer pinguioribus adfinitatem habente, impreſſi, immediate excipit auctoris prologus. In fronte cujusvis paginæ numerus folii notatur, e. g. *Folium - - iiii.* Conſtat volumen integrum foliis 25, quorum duo poſteriora non ſunt numerata. Literas initiales magnas ligno inciſas, excepta prima parva, typographus adjecit. Deſunt cuſtodes, & ſignaturæ. Concluſiones ipſæ terminantur in prima folii xxiij. pagina. In eadem pagina legitur *Regiſtrum in librum preſcriptum.* Sed hoc regiſtrum, ſeu index materiarum incipit in averſa ejusdem folii pagina, & terminatur in averſa pagina folii 25. Ad ejus calcem hæc leguntur adnotata: *Scias etiam inſuper qꝫ multa inuenies notabilia in proceſſu regularum quæ non continet regiſtrum p̄ſcriptum.*

**CXLIX.** Guilielmi Pariſienſis Rhetorica divina, ſeu de Oratione liber. in Fol. min.

In prima pagina paulo ante medium ejusdem majuſculo charactere gothico impreſſus legitur operis titulus: *Rhetorica Diuina de Oratione domini Guilermi Pariſieñ.* In averſa pagina folii ejusdem decem leguntur diſticha in laudem præſentis operis. Folio ſecundo incipit tabula, ſeu index alphabeticus materiarum ſex foliis comprehenſus. Folio octavo legitur *Cōmentatio preſtantiſſimi & incompabilis doctoris magiſtri Guilermi pariſieñ. actoris* (ſic) *ſequētis libri. qui Rethorica diuina pretitulatur.* In averſa pagina legitur index ſingulorum ordine capitum. Nono demum folio opus ipſum incipit gothico charactere pereleganti in duabus columnis præſtanti chartæ impreſſum. Caret cuſtodibus, & numeris paginarum: habet vero ſignaturas, & paginarum inſcriptiones, nec non initiales literas parvas. Conſtat foliis impreſſis 58, & in fine hæc tantum habet ſubſcripta:

*Explicit Retorica diuina de ora*
*tione domini Guilermi parienſis.* (ſic)

**CL.** S. Ephrem opuſcula plura. in Fol. min.

Hæc opuſcula ſunt eodem charactere eidemque chartæ impreſſa, quibus opuſculum immediate præcedens. Cetera quoque omnia, quæ ad ex-

ternam ſpectant formam, ſunt prorſus eadem. Titulus in prima primi folii pagina majuſculo charactere impreſſus ejusmodi eſt:

*Libri Sancti Effrem De* *Compunctione cordis*<br>*Judicio dei & Reſurre. ꝛc*<br>*Beatitudine Anime*<br>*Penitentia*<br>*Luctamine ſpirituali*<br>*Die Judicii.*

Folio ſecundo *Ingenioſi| acutiſſimi Sanctiqꝫ uiri Effrem Ediſſene eccleſie diaconi: De compunctiõe cordis: Liber primus incipit.* Omnia autem opuſcula in titulo indicata foliis impreſſis novendecim ſunt comprehenſa. Ad calcem ultimi hæc leguntur ſubſcripta:

*Sancti ac deuoti uiri Effrem diaconi*<br>*Liber de die Judicij feliciter explicit.*

## CLI. *Tractatus Anſʒhelmi de planctu Marie.* in 4.

Hæc tantum leguntur in prima primi folii pagina charactere gothico majuſculo impreſſa. Folio ſecundo ipſum incipit opuſculum ſine ullo titulo, aut inſcriptione, impreſſum gothico charactere perpulchro, qui idem eſſe videtur, quo Conradus Zeninger opuſculum ad annum 1481. N. XXXVIII. recenſitum Norimbergæ impreſſit. Eadem etiam utrinque adhibita eſt charta. Quare ex eadem typographia ambo prodiiſſe videntur opuſcula. Præſens octo tantum conſtat foliis impreſſis, quorum ſingulæ paginæ 41. lineas continent. Deſunt cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum. Initialem literam parvam in fronte opuſculi typographus expreſſit. Idem folii tertii primam paginam ſignavit litera b. Reliquæ omnes paginæ ſignaturis carent. In fine ſola legitur vox:

*Finis.*

## CLII. *Inſtitutio vite ſacerdotalis dñi Johãnis tritemij abbatis ſpanheimenſis ordinis diui patriarche benedicti mogũtinenſis dioceſis Ad nicolaum preſbyterum mernicenſem Treuerenſis dioceſis.* in 4to.

Hæc tantum leguntur in prima primi folii pagina. Folio ſecundo *Thomas ruſcher de gamũdia ſacrarũ lraꝝ cpfeſſor. in eccleſia magũcienſi euangelici verbi indignus p̄dicator — Nicolao mernicenſi ſalutē* dicit *cppetuã.* Commendat nimirum opuſculi hujus lectionem tum Nicolao, tum omnibus ſacerdotibus quam & ſibi maxime proficuam fuiſſe teſtatur. Scripta eſt hæc epiſtola *Anno ſalutis noſtre Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo qrto. Menſis octobris. Die vero eiuſdē. xxii.* Videtur opuſculum hoc anno eodem, vel ſequenti Mogun-

guntiæ per Perrum Fridbergenſem fuiſſe impreſſum. Certe typi & numerus linearum in quavis pagina ſunt iidem, quibus typographus iſte anno 1495 Trithemii opuſculum de vanitate & miſeria humanæ vitæ impreſſit. *In Bibliotheca Moguntina Libris Sæc. XV. Moguntiæ impreſſis inſtructa a Stephano Alex. Würdtwein*, anno 1787 edita, Opuſculum hoc *de vanitate & miſeria* &c. pag. 132 dicitur eſſe in octavo: habet vero certe, haud ſecus, ac præſens inſtitutio vitæ ſacerdotalis, quam Reverendiſſimus Würdtwein ibid. pag. 131. ad annum 1494 recenſuit, formam in 4to. Hinc apud nos ambo opuſcula eandem habent compacturam. Porro litteræ gothicæ ſunt, ſatis elegantes. Charta firma quidem, ſed minus alba & polita eſt. Tractatus Trithemii incipit folio tertio, & terminatur in prima folii vigeſimi pagina. In fine locus & annus notantur, quibus hunc tractatum auctor celeberrimus ſcripſit: *Ex Spanhem kalendis aprilis. Anno* M. cccc. lxxxvi. His ſubjecta eſt ſequens notitia:

*Explicit libellus dñi Johãnis tritemij*
*abbatis ſpanhemenſ: de vita ſacerdotũ.*

Paginæ ſignatæ ſunt literis A & B. Initiales vero literæ, cuſtodes, numeri, & inſcriptiones paginarum deſunt.

## CLIII. *Manuale ꝓchialiũ ſacerdotum*, in 4to.

Hæc in fronte primæ primi folii paginæ gothico charactere majuſculo impreſſa leguntur. In averſa ejusdem folii pagina exſtant impreſſa *Capita in libello illo contenta*, numero ſedecim, quorum I. eſt de ſancta ſinodo. II — VIII. de ſeptem ordine ſacramentis. IX. de negotiis & officiis clericorum. X. de immunitate Eccleſiarum, & rerum ad Eccleſias pertinentium. XI. de obſervatione Jejuniorum. XII. de feſtivitatibus. XIII. de biſexto. XIV. de die Paſchæ. XV. de jejuniis quatuor temporum. XVI. de ſententia excommunicationis. Folio ſecundo *Incipit manuale ꝓchialiũ ſacerdotũ*, impreſſum gothico charactere minus pulchro chartæ firmæ & nitidæ. Deſunt ubivis initiales literæ, cuſtodes, ſignaturæ, numeri & inſcriptiones paginarum. Manuale terminatur in prima pagina folii 15, linea 25, cui hæc ſubjecta ſunt:

*Explicit Manuale parrochialiũ* (ſic) *ſacerdotũ*
*actũ* (compoſitum) *Anno dñi MCClv.*

Accedit vero inſtructio, qua ratione ſacerdos mutum inducere poſſit ad confitendum, deque caſibus Epiſcopo & Papæ reſervatis. Atque hi quidem leguntur impreſſi in fronte folii decimi ſexti:

*Iſti caſus ſeruandi ſunt pape.*
*Ad papam clerum feriens falſarius vrens*
*Eccleſiam. ſymon audens celebrareq3 miſſas:*

& nihil amplius.

**CLIV. Hermanni de Saldis Ord. Eremit. S. Auguſtini Speculum Sacerdotum de Sacramentis Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ. in 4to.**

In fronte opuſculi, quod charactere gothico chartæ firmiſſimæ, ſed minus albæ & politæ impreſſum foliis conſtat impreſſis ſeptendecim, hæc leguntur: *Icipit ſpeculum clarum nobile & p̃tioſuȝ ipo̅4 ſacerdotū in quo reſulgēt & repn̄tantu² aliqua utilia ſpeculanda circa tria. baptiſmi eukariſtie* (ſic) *& pn̄ie ſacram̄ta.* Ex ſubjecta præfatione auctoris nomen, & vitæ conditionem diſcimus. Deſunt initiales literæ, cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. Interpunctionis ſignum aliud non occurrit, quam punctum. Ad calcem opuſculi, quod terminatur in prima pagina folii 17, linea 16, nihil aliud legitur, quam *Deo gracias.* Pagina quævis, nullo interrupta titulo, lineas triginta complectitur.

**CLV. Statuta provincialia in duobus Conciliis Moguntinenſibus anno 1310, & 1451 celebratis condita, partim innovata, & confirmata. in Fol. min.**

Præmiſſa eſt ſine ullo titulo introductio brevis in hoc opus, quæ incipit: *aTtendāt vniuerſi p̄lati clerici ac xp̄i fideles religioſi nec nō ſeculares* &c. In fine legitur, *pro faciliori cōmunicatiōe & oim vtilitate* .... ſtatuta hæc *impſſorie artis literulis eſſe effigiata.* Vix dubito, in ipſa urbe Moguntia id factum eſſe. In eadem pagina interjecto exiguo ſpatio, leguntur ſequentia: *Hec ſunt ſtatuta ꝓuincialia cōcilii Moguntinen̄. a dn̄o Petro Archiep̄o ſub anno dn̄i Milleſimo tricenteſimo decimo.* Accedunt breves duæ admonitiones de uſu & auctoritate horum ſtatutorum. In averſa autem pagina incipit repertorium materiarum alphabetico ordine concinnatum, quod terminatur circa finem primæ paginæ folii tertii. Statuta concilii Mogunt. anno 1310 celebrati in averſa pagina folii impreſſi 31 hac clauduntur ſubſcriptione: *Finiunt ſtatuta ꝓuincialia vetera.* In ſequentis autem folii prima pagina repertorium incipit alphabeticum ſtatutorum novorum, quæ ſcilicet ſacta ſunt in concilio Moguntinenſi anno 1451 ſub Theodorico Archiep. celebrato, terminatum in averſa pagina ejusdem folii. Inter hæc ſtatuta primo omnium legitur ſtatutum Baſileenſis concilii de Synodis Provincialibus & diœceſanis celebrandis. Huic ſubnexus eſt libellus S. Thomæ Aquinatis de articulis fidei, & Eccleſiæ Sacramentis, quem in ſingulis conciliis legi, & parochis communicari præcepit idem Baſileenſe concilium. Confirmantur demum ſtatuta vetera, & nova adjiciuntur. Poſt medium primæ paginæ folii 50 hæc leguntur: *Finiunt ſtatuta ꝓuincialia Moguntina noua.* In averſa pagina folii ejusdem legitur ſtatutum de Indulgentiis feſti Corporis Chriſti a tribus pontificibus conceſſis populo promulgandis, & commendandis, datum anno 1451. Habet hæc editio

tio inſignes antiquitatis notas. Deſunt enim ubivis cuſtodes, ſignaturæ, numeri, & inſcriptiones paginarum: nullum etiam occurrit ſignum interpunctionis, niſi punctum. Literæ gothicæ ſunt, charta eſt firmiſſima, ſed minus alba, & polita, nullo chartarii ſigno notata.

CLVI. *Incipit variloquus Idem vocabulū diuerſimode acceptū varie theutuniſando exprimēs. Predicatoribus ꝯſolabile enauigiū cōpilat⁹ ꝑ uenerabilē mgr̄m Johannē melber de gerolocʒhofen* (ſic) *ex ſermonib⁹ auditis & ꝑ eundē ꝯſcriptis ſub venerādo uiro mgr̄o Jodoco eychman de kalw eximio doctore ac famoſiſſimo vbi dei ꝑdicatore in heidelberga.* in 4. min.

Operis argumentum, & auctorem, de quo non habeo, quæ addam, Titulus in fronte operis exſtans, modo recitatus manifeſtat. Hunc titulum in eadem pagina immediate ſine ullo interſtitio excipit ipſe variloquus, ſeu lexicon latino-germanicum alphabetico ordine concinnatum, quod incipit a voce *Abba*. Proferam exempla quædam, ut lector ipſe de operis œconomia judicare poſſit. *Euāgeliū gut verkūdūg. euangelij. criſtelich warheit. gut botſchafft. — Hoſpes ein huſʒwirt. vel ein gaſt. ł ein gaſthalter. — Prodere. verraten. verderben. vmbringen. durch verraterij.* (ſic) Characteres, quibus impreſſum eſt hoc opus, gothici ſunt. Vox, quæ prima occurrit ad quamvis literam, caret initiali. Deſunt ubivis cuſtodes, ſignaturæ, paginarum numeri, & inſcriptiones. In fine nulla quoque legitur ſubſcriptio. Folia impreſſa numeravi 213. Cl. Panzer in noviſſimo opere Annalen der ältern deutſchen Litteratur pag. 449. N. 1012. eandem hujus operis excitavit editionem, quantum quidem ex titulo colligo, in quo tamen voces quædam, forte per errorem typographi aliter expreſſæ ſunt, quam in noſtro exemplari, e. g. *euanigium*, loco *enauigium*. — *conſolabile* loco *ꝯſolabile*. Ibidem n. 1013. operis ejusdem editio altera ſub titulo: *Vocabularius predicantium* indicata eſt.

CLVII. *Clariſſimi doctoris ſubtilis Joannis Scoti queſtiones incipiunt ſuper uniuerſalibus porphyrii ac libri predicamentoꝝ ꝑiermenias Ariſtotelis. Quibus ſui diſcipuli Antonii Andree queſtiones ſex principiorum connectuntur.* in Fol.

Verba hæc in fronte leguntur primæ primi folii columnæ rubro colore impreſſa. Literæ ſunt gothicæ minores perelegantes, habentque maximam ſimilitudinem cum literis operis ad annum 1483. N. XVI. deſcripti. Quævis etiam columna utrinque 56. lineas continet. Quare ex eadem typographia ambo hæc opera & eodem circiter tempore prodiiſſe videntur. In ſuperiori margine typographus quæſtionem notavit, e. g. Q. VI. Deſunt initiales

tiales literæ, cuſtodes, paginarum numeri. Signaturas typographus adjecit. In fine leguntur ſequentia: *Finis queſtionum libri ſex principiorum. Antonii Andree doctoris ſb'tilis diſcipuli feliciter adē* (ſic)

CLVIII. *Tractatus ſolennis de arte & vero modo predicandi ex diuerſis ſacrorum doctoꝝ ſcripturis & principaliter ſacratiſſimi chriſtiāe eccleſie doctoris Thome de Aquino ex paruo ſuo quodam tractatulo lectus vbi ſcd'm modum & formam materie pſentis ꝓcedit. Una cū tractatulo eximij doctoris Henrici de Haſſia de arte pdicādi ſequitur vt infra.* in 4to.

Hic titulus legitur in prima primi folii pagina. In fronte primæ folii ſecundi paginæ idem fere totus repetitur, tumque immediate opuſculum primum incipit charactere gothico chartæ ſatis quidem firmæ & albæ impreſſum. Terminatur idem in averſa decimi folii pagina. In fronte folii undecimi epilogus legitur, cujus exordium eſt: *Fine clauditur ars ſiue modus predicādi a ſancto Thoma* &c. Finito epilogo in eadem pagina incipit tractatulus de formanda arbore prædicationis, ſeu de methodo diſponendi materias pro ſacris ſermonibus. Terminatur idem in prima folii 12 pagina, linea 14. Huic lineæ ſubjecta hæc leguntur:

*ſequitur arbor.*

Verum hæc quidem deeſt in noſtro exemplari. Paginas typographus ſignavit litteris A & B. Cuſtodes vero, initiales literæ, numeri, & inſcriptiones paginarum deſunt.

# INDEX I.

## ALPHABETICUS TYPOGRAPHORUM.

Numerus Rom. Faſciculum, Arabicus paginam deſignat. Signum * Arabico numero præfixum denotat librum illo numero deſignatum carere quidem Typographi nomine impreſſo: probabiliſſime vero eidem tribuendum eſſe.

### A.

*Alakraw* Joh. Paſſavii. II. 113.
*Alexandrinus* Barth. Venetiis. II. 129. 130. 131.
*Amerbach* Joh. Baſil. II. 81.
*Andreas* Jac. Catharenſ. I. 98.
*Annuntiata* Joh. de. de Auguſta. II. 32.
*Aſula* Andr. de Venetiis II. 129. 130. 131.

### B.

*Bämler* Jo. Auguſt. I. 42. 43. 73. 74. II. 28. 96.
*Bartholomæus* Ant. Venet. I. 89.
*Baſilea* Leonhard. de Vincentiæ. II. 41.
*Beckenhub* Joh. Argent. I. 47. * 108. 109. 147.
*Bensheim* Nicol. Piſt. de II. 52. 142.
*Bertholdus* (forte Roth. Baſil. I. 140.
*Butſchbach* Paul. Joh. de Mantuæ. II. 37. 73.

### C.

*Cæſaris* Petrus. Pariſ. I. 81.
*Canozius* Laur. Patavii. I. 43. 51. 55. bis.
*Caſtillione* Petr. Ant. de. Mediolani. II. 76.
*Celerius* Bernhardinus Tarviſii II. 50. 128.
*Cerdonis* Matthæus de Windiſchgretz. Paduæ II. 135.
*Clerici* Congr. Dom. virid. Roſtock. I. 96.
*Colonia* Joh. de Venetiis. I. 56. 60. bis 77. 91. 99. 100. II. 12. 14. 15. 19. 20. bis 22. 29. 35. bis 44. 47. 52. 54. 58. 66. 68. 86. 87.
*Comitibus* Marc. de. Venetiis. I. 92.
*Confalonerius* Barth. Tarviſii. II. 70.
*Corallus* Steph. Parmæ. I. 77.
*Creuſsner* Frid. Norimberg. I. 145. II. 9. 23. 27. 42. 140. 141. * 150. 151.

### D.

*Dauvome* Joh. Perſan. Venet. II. 124.
*Dionyſius* de Paraveſino Comi. I. 56.
*Drach* Petrus. Spiræ. I. * 148. II. 2. 29. 63. 82. 83. 110. 117.
*Dunkmut* Conr. Ulmæ II. 120.

### E.

*Eggeſtein* Henr. Argent. I. 32. * 136. usque 140 quinqu.

### F.

*Forlivio* Joh. de. Venet. II. 119.
*Foſſato* Baldeſar. de. Comi. II. 13.
*Francford* Joh. de Venet. I. 61.
*Friſner* Andr. Norimb. I. 76. 93. II. 26.
*Fromolt* Erh. II. 93.
*Fuſt* Joh. Mogunt. I. 1. * 134.
*Fyner* Conr. Eſslingæ I. 62. * 116. 118. II. * 150.

### G.

*Gallus* Udalr. Romæ. I. 20. 61. 62. * 142.
*Gensberg* Joh. Rom. I. 118.

*Gerar-*

*Gerardinus* Morellus. Tarviſii II. 70.
*Gerardus* Alex. Venet. I. 92.
*Geretsheim* Joh. de. Venet I. 56. 60. bis. 77. 91. 99. 100. II. 12. 14. 15. 19. 20. bis. 22. 29. 35 bis. 44. 47. 52. 54. 58. 68.
*Girardengis* Fr. de. Papiæ II. 51. 137.
*Girardengis* Nicol. de. Papiæ II. 125. 162.

## H.

*Hahn* Udalr. V. Gallus.
*Heilbrun* Fr. de. Venetiis I. 61. II. 133.
*Herbort* Joh. Magnus de Seligenſtat. Patav. & Venet. II. 34. 39. 46. 62. 75. 77. 84. 86. 99. 103. 121. 131.
*Heroldt* Georg. de Bamberg. Romæ. II. 71.
*Hochenwang* Ludov. II. 18. 140. * 145.
*Homborch* Conr. de. II. 53.
*Honetis* Andr. de. Venet. II. 125.
*Huſner* Georg. Argent. I. 47. * 108. 109. 147.

## I.

*Jenſon* Nicól. Venetiis. I. 21. 36. 86. 87. II. 8 bis. 16. 30. 31 bis. 48. 66. 77. 87. 139.

## K.

*Koelhof* Joh. Coloniæ. I. 97. II. 122.
*Keller* Ambr. Auguſtæ. II. 43 ter. 44.
*Koburger* Ant. Norimb. I. 78. II. 24 bis. 25 bis. 33. 38. 59. 69. 71. 72. 74 bis. 80 bis. 83. 91. 100. 101. 107. 116. 117. 136. 137.
*Kunne* Albert. de Duderſtat. Memmingæ. II. 107. 134.

## L.

*Lapis* Dom. de. Bononiæ II. 87.
*Lavagnia* Philip. de. Mediol. I. 68 bis. 79. 84. * 144. II. 1.
*Lauer* Georg. Romæ. I. 57. 75. 98. II. 32. 39. 46.
*Lichtenſtein* Herm. Vicent. II. 54. 119. 124.
*Lignamine* Philip. de. Romæ. I. * 52. 53 bis.

## M.

*Mair* Bened. Paſſav. II. 113.
*Mauthen* Joh. V. Geretsheim.
*Manzolinus* Mich. Tarviſii. II. 48.
*Mauſer* Petr. Patav. II. 30. 38. Veronæ. 57.
*Mentellius* Joh. Argent. I. * 6. 119. usque 123 quater. 134. 146. II. *. 147 - 148.

## N.

*Nicolai* Simon. Romæ I. 62.
*Novimagio* Renald. de. Venet. II. 6. 8. 81. 120.

## O.

*Orcho* Ambr. de Comi. I. 56.

## P.

*Pannartz* Arnold. Romæ. I. 11. 13. 19. 78.
*Petri* Philip. Venetiis II. 45. 61.
*Petzenſteiner* Henr. Bamb. II. 112.
*Pezanis* Fr. de. Ticini. II. 130.
*Philippus* Mag. II. 58.
*Pictor* Bernh. Venet. II. 5.
*Plank* Steph. Romæ. II. 99. 114. 134.
*Plaſiis* Petr. Cremonenſ. de Venet. II. 102.
*Preuſs* Joh. Argent. II. 118.

## Q.

*Quentel* Henr. Colon. II. 64.

## R.

*Ratdolt* Erhard. Venetiis. II. 5. 75. 90. 94. 108. 113. 132. 136.
*Reinhardi* Marcus Argentinæ. II. 52. 142.
*Reinsburch* Theod. de. Venet. II. 6. 8.
*Rieſinger* Sixt. Neap. I. 29 bis. 30. 135.
*Richelius* Baſileenſ. I. * 66. II. 20.
*Rot* Adam. Romæ I. 43.
*Rot* Berthold. Baſil. I. * 140.
*Rubeus* Jac. Venet. I. 67. 74. 97. II. 13. 31.
*Rugerius* Hug. Bonon. I. 58 bis.
*Ryſer* Georg. II. 127. * 153.

S.

## S.


*Santriter* Lucilius. Venet. II. 56.
*Schall* Joh. Mantuæ. I. 81. II. 40.
*Schoiffer* Petr. Mogunt. I. 1. 9. 16. 33. 45. 49. * 134. II. 7.
*Schönſperger* Joh. Auguſt. II. 81. 95. 110.
*Schüſsler* Joh. Auguſt. I. 22. 26. 34. 37. 40 bis.
*Schweinheim* Conr. Romæ. I. 11. 13. 19.
*Scotus* Octav. Venet. II. 87. 89. 103. 126.
*Seligenſtat* V. Herbort.
*Senſenſchmid* Joh. Norimb. I. 76. 93. II. 26. 112.
*Severinus* Fer. Ferrariæ. I. 71.
*Sorg* Ant. Aug. I. 70. 71. 72. 87. 88. * 94. 132. II. 66. 101. 132. 133. 142.
*Spira* Joh. de. Venet. I. 9.
*Spira* Vindel. de. Venetiis. I. 24 bis. 25. 30. 31 ter. 32. 38. 44. 50 bis. 133.
*Stagninus* Bernh. Venet. II. 129.
*Stoll* Joh. Pariſiis. I. 81.
*Stratta* Ant. de. Venet. II. 90.


## T.


*Theodorus* herbip. Venet. II. 56.
*Tortis* Bapt. de. Venetiis. II. 68. 108. 111.


## U.


*Valdarfer* Chriſt. Venet. I. * 29. 35. a 110 usque 115. Septies. Mediol. 85. 95. II. 12. * 153.
*Venetiis* Philip. de. Venetiis. II. 97.
*Vercellenſis* Joh. Tarviſii. II. 105. 136.
*Vurſter* Joh. I. 57.


## W.


*Wenſsler* Mich. Baſileæ. I. 93. II. 36. 85 bis.
*Weſtphalia* Joh. de. Lovanii. II. 86. 116.
*Wider* Paulus de Hornbach. Erford. II. 114.
*Wiener* Joh. de. Vien. II. 10.
*Wild* Leonh. Ratisb. Venetiis. II. 49. 61.
*Wolfius* Cephal. Argent. I. 54.


## Z.


*Zainer* Gunth. Auguſt. I. 14. 15. 26. 33. 39. 48. * a 123. usque 128. quinqu.
*Zainer* Joh. de Reutl. Ulmæ. I. 46. 68. * a 128. usque 132 ſexies. II. 53. 59. 64 bis. * 151. 152. 153.
*Zarottus* Ant. Mediol. I. 70. II. 14. 130.
*Zell* Udalr. I. * a 102. usque 108. quinquies. II. * 146.
*Zeninger* Conr. Norimb. II. 91.

# INDEX II.

## AUTORUM, ET LIBRORUM ANONYMORUM

### QUI IN PRIMIS DUOBUS FASCICULIS RECENSITI SUNT.

Numerus Rom. Faſciculum; Arabicus Paginam deſignat.

## A.

*Abano* ſeu Apono Petri de. Expoſitio Problem. Ariſt. II. 103.
*Abbas* Siculus V. de Tudeſchis.
*Accoltis* Fr. de. Conſilia juri. II. 130.
*Ægidii* Rom. Comment. in ll. poſt. Ariſt. II. 30. quæſt. quodl. 87. de Regim. Princip. 99.
*Æneæ* Silvii poſtea Pii II. R. P. Bulla retract. item Lib. de Miſeria Curial. I. 105. Dialog. de S. Comm. & Epiſt. ad Machom. 107. Hiſtoriæ rerum. ubique geſt. II. 20. Epiſtolæ 74. 116.
*Alani* dicti Mag. Lexicon. I. 157. Carmen Rhyt. II. 146.
*Albertani* Cauſid. Brix. de Doctr. tacendi. I. 110.
*Alberti M.* de Miſt. Miſſæ. I. 46. de arte intell. doc. 129. ll. XXVI. de Animalibus. II. 37. Comment. in ll. Ariſt. de anima. 81. De Secret. Mul. 93. 159. de Abundant. Exempl. 152.
*Alberti* de Padua Sermones de Dom. II. 53.
*Alcinoi* Epitome I. 38.
*Ales* Alex. de. Summa Theol. II. 91. 107.
*Alfonſus* hiſp. Litteram Sam. R. Jud. Latine vertit. I. 81.
*Alfontii* Tabulæ Aſtron. II. 136.
*Ambroſii B.* Hexameron. I. 40. Explanat. Ev. S. Luc. 87.
*Ampigolli* Aurea Biblia. I. 68. II. 156. Theodiſce. 145.
*Andreæ* Joh. qq. Mercur. I. 75. Add. ad Spec. Dur. 108 Declar. arb. conſang. 145. De arboribus Conſ. af. II. 23. qq. Mercur. 130. item XV. in Præf.
*Andreæ* Nic. de Miſſa I. 183.
*Andreæ* Siculi V. Barbatia.
*Andreæ* Ant. qq. Metaph. II. 90.
*Anni* ſeu Nanni Joh. de futuris Chriſt. triumphis. II. 141.
*Anſelmi S.* Cur Deus homo. I. 109. De Planctu Mariæ II. 170.
*Antonini S.* Summæ P. 2. I. 61. tract. de Excomm. 177. Summæ P. 2. II. 2. De Excomm. 58. De Eruditione Confeſſ. cum aliis variis. 134. de Indulgent. 140.
*Anton.* de S. Georgio tract. de Appell. I. 56.
*Appiani* Alexandr. Hiſtor. II. 5.
*Apulei* Lucii Opera I. 11.
*Aquila* Petri de. Comment. in 4. l. Sent. II. 63.
*Ariminenſis* Greg. Lectura in I. L. Sent. II. 109.
*Ariſtotelis* ll. Metaph. cum Comm. Averrois. I. 51. De Gen. & Cor. 55. de Meteoris. 55. ll. decem mor. octo Polit. Duo Oecon. ſecundum interpret. Lat. Leonardi Arretini. 146. Phyſicorum ll. octo. II. 43. Ejuſdem plura opera. 43. Elench. II. 2. ibid. De Gen. & Corr. cum expoſ. Ægidii R. 62. plures Libri 97.
*Arretio* Angeli de. Comment. in ll. IV. Inſtit. II. 32.
*Aſtexani* Summa de Caſibus Conſc. I. 51. II. 49. 101.
*Auerbach* Joh. de. Summa I. 14. Proceſſus jud. 164.
*Averrois* Comm. in ll. Ariſt. de anima. Lat. I. 43. Metaph. 51. Gen. 55. Meteor. 55.
*Avicena* L. I. II. & IV. Canon. a Gerh. Cremon. Latine verſi. I. 172. Can. II. V. II. 37.

Augu-

*Auguſtini S.* ll. XV. de Trinit. I. 34. De Civit. Dei cum Comment. Thomæ Val. 49. 120. & ll. 36. Lib. quinquaginta I. 70. Lib. de Conflictu, vit. 109. de XII. abuſivis Sæculi, item de Origine animæ & de Divinit. 109. de Meditat. 112. Expoſitio Symb. 155. Enchiridion 156. Sermo ſuper Orat. dom. Expoſ. ſymboli & de ebrietate Cav. 163. de Spiritu & litt. 191. Opuſcula de Vanit. Sæculi & Vita Chriſtiana II. 150. de fide ad Petrum 160. de Virtute Pſalm. 162.
*Auguſtini* Dati Senenſ. V. Dati.
*Auguſtini* triumphi vulgo de Ancona. Summa de Eccleſ. pot. I. 46. II. 42.
*Aureola* ſeu Flores S. Hieronymi ab incerto Authore excerpti. I. 156.
*Aureoli* Petri Compend. Litt. ſenſus. I. 110.

## B.

*Baiiſii* Guidonis (dicti alias de Baiſio vel Bayſo.) Roſarium Decretorum. I. 119. II. 75.
*Baldi* de Peruſio. Comment. de uſu Feud. & de Pace Conſtant. I. 77. Lectur. in V. VIII. & IX. L. Cod. 95. Peculium 118. Comm. in I. P. Digeſt. II. 14. Lectur. ſuper VI. VII. VIII. IX. L. Cod. 15. ſuper VI. L. C. 66. ſuper quinque ll. Cod. 77.
*Baptiſta* de S. Blaſio. tract. de Act. II. 75. Varia juridica. 94.
*Barbatia* vulgo Andr. Siculus. Super titulis quibusdam Decret. I. 56. Repetit. rubricæ de Fide - Inſt. 58. Johannina 84.
*Bartoli* de Saxoferrato. Lectur. VI. VII. VIII. IX. Cod. I. 29. in tres ll. reliqu. Cod. 29. Aureæ quæſt. 30. Prima P. ſuper Dig. nov. 31. Prima P. ſuper Infort. 32. Super Part. Sec. Dig. Vet. 50. item ſuper Part. Sec. Dig. Nov. 50. Super P. Sec. Infort. 77. Lect. in P. Prim. Dig. vet. 135. Super Authenticis II. 12. in ll. XII. — XXIV. D. V. 16. in ll. XI. D. V. 30. D. n. 31. in P. Sec. Infort. 31.
*Bartholomæi* anglici de Propriet. rerum ll. XIX. I. 171.
*Bartholomæi* de S. Concord. vulgo Piſani. Summa Caſ. Conſc. dicta Piſanella. I. 133. 148. II. 24.
*Beneficiorum* vacandi modus. II. 164.
*Bergamo* Petri de. Tabula Mater. Op. S. Thomæ. II. 20.
*Bernhardi S.* Tract. de Planctu B. M. I. 102. Contemp. de interiori hom. 132. Epiſtolæ 139. plura opuſcula 139. Sermones 148.
*Bernhardi* J. C. Caſus longi. I. 81.
*Bernhardini S.* de glorioſa B. V. M. I. 104. De Contract. & Uſur. 115.
*Berthorii* Petri Reduct. moral. I. 54.
*Biblia* aurea I. 68. II. 156. Theodiſce. 145.
*Biblia* germ. vulgo Mogunt. I. 2. Argent. 6. Auguſt. II. 3. Norimb. 137.
*Biblia* lat. Mog. I. 1. ſine loco 65. Vulg. Ed. Venet. 87. II. 33. 59. duo. 78. 106. Venetiis 121. 133.
*Bonaventura S.* Speculum B. V. M. I. 88. Breviloquium. 132. In L. I. Sent. 168. in L. II. Sent. II. 8.
*Bonifacii* VIII. Lib. VI. Decret. cum Gloſſa Joh. Andr. I. 45. Vid. Decretales.
*Brack.* Vocabularium. II. 115.
*Breviarium* Euſtettenſe. II. 127.
*Breviarii* Friſing. P. H. II. 112.
*Bruni* Leonhardi Aretini, Interpret. Ariſt. I. 146.
*Brunonis S.* Epiſ. Herbip. Pſalterium II. 155.
Buch der Natur. I. 73.
*Burlei* Gualt. Vitæ Philoſoph. I. 38. Expoſit. Ariſt. II. 89. 99.
*Butrio* Ant. de. Repet. C. Veſtra, I. 58.

## C.

*Caldrini* Repert. Jur. I. 57.
*Capreoli* Joh. in II. Sent. II. 126.
*Caraccioli* Rob. de Licio. Sermones. II. 42. 103.
*Caſſia* Simon. Fidati de. Lib. de Geſtis Dom. Salv. II. 159.
*Caſtrenſis* Pauli Conſil. jurid. a Cepolla Collecta. I. 80.
*Catonis* Dionyſii Ethica. I. 72.
*Catonis* Marci Lib. de re ruſtica. I. 36.
*Cepolæ* Barth. de Imp. militum. I. 59. de Contract. 59. de Servitut. 66.
*Chyni* alias Cyni vel Cini de Piſtorio Lect. in Cod. I. 136. II. 137.
*Chryſoſtomi* S. Joh. Sermon. XXV. cum Epiſt. ad Theod. I. 174. Homiliæ in Pſalm. & plura alia II. 168.

*Ciceronis* M. T. Epiſt. ad Fam. I. 20. De Officiis. Paradoxa &c. II. 61. Rhetoricorum Vet. II. 2. &c. 68. Epiſt. ad Fam. 111. De Dictlon. Propr. 135.
*Cirilli* B. Speculum ſapient. II. 165.
*Clementis* V. R. P. Conſtitut. cum Comm. I. 32. Conſtit. cum Apparatu Joh. Andr. II. 35. 83. 130.
*Cuſa* Jacobi de. Tract. de Apparitionibus I. 69.
*Columellæ* Lucii Junii II. XIII. rerum ruſt. I. 36.
*Compendium* de Vita Antichriſt. I. 151.
*Conſuetudines* Feudorum. I. 137.
Cronik aus der Geſchichte der Römer. II. 81.
*Curatorum* Miſeria de. II. 142.
*Cypriani S.* Epiſtolæ. I. 25.

## D.

*Dati* Auguſt. Senenſ. Iſagog. Libell. in Eloquentiæ Præcepta. I. 68.
*Deciſiones* Rot. Rom. I. 75. II. 7.
*Decretales* Greg. IX. I. 57. II. 84. 100.
*Decretalium* L. VI. I. 45. 61. II. 82. 129.
*Digeſtum* N. II. 38.
*Digeſtum* V. II. 13. 180.
*Diodori* Siculi Hiſt. II. 6. a Joanne Fr. Poggio Lat. verſi. I. 98.
*Dionis* Chryſ. Oratio de regno. I. 17.
*Dionyſii* Halicarn. II. XII. Rom. Antiqu. II. 50.
*Diſputatio* inter Clericum & militem de Poteſtate Præl. Eccleſ. & Princip. Commiſſa. I. 151.
*Dominici* de S. Gemin. Lect. ſuper VI. L. Decr. I. 97. Lectur. in 2dam P. L. VI. Decr. II. 19.
*Dominici* de Viſencia. Tract. ad Inſtit. Notar. I. 164.
*Dondis* Jac. de. Aggregator. II. 94.
*Donati* Acciaioli Flor. Expoſ. II. Ethic. Ariſt. II. 27.
*Durandi* Guill. Speculum judic. I. 47. Index ſpec. Judic. 62. Repertor. aureum. 181. Repertorium. II. 34. Speculum judic. 39.

## E.

*Ephrem*, Sancti Opuſcula plura. II. 169.
*Epiſtolæ* & *Evang.* in Dom. & Feſt. I. 50. II. 120.
*Euclidis* Elem. Geom. II. 108.
*Euſebii* Chronicon. I. 79. II. 132. de Præpar. evang. I. 45. II. 48. Hiſtor. Eccl. II. Nov. 40.
*Eybe* Albert. ab. de Vitæ Conjug. Commodis &c. II. 95.

## F.

*Fabri* Joh. Breviar. ſuper Cod. II. 52.
*Faſciculus* temporum. II. 64. 90. 107.
*Ferrariis* Joh. Petri de Practica Juris I. 137. bis.
*Floriani* de S. Petro Lectura. I. 30.
*Formularium* Inſtrument. in curia rom. II. 114.
*Formularium* Procuratorum. II. 134.
*Fortalitium* Fidei contra Jud. I. 152.
*Franciſci* de Platea. Opus de Reſtitut. Uſur. I. 60. II. 12.
*Friderici* Petrucii Conſilia. II. 39.
*Fulgineo* Gentilis de. Carmina de Urin. II. 135.

## G.

*Galuani* de Bononia. Different. Leg. & Can. I. 165.
*Gazæ* Theod. Lat. Interp. II. Ariſt. de animal. I. 91.
*Gellii* Auli Noctes Aticæ. I. 13.
*Gerhard* Crem. II. Avic. Lat. vertit. I. 172.
*Gerſon* Joh. Tract. Varii. I. 105. Item 106. 189. Alphabetum div. amor. 111. de Præcept. Dec. 188. De Confeſſ. & Abſol. II. 113. Operum Voll. 4. 122. Donatus. 150. Concluſiones de diverſis Materiis. 169.
*Gorichem* Henr. de. Quæſtiones I. 116. Tract. de Caſ. quibusd. ſuperſt. & de Celebr. Feſt. 118.
*Gratiani* Decretum. II. 8. 35. 85.
*Gregorii* M. R. P. Moralia in Lib. Job. I. 27. 188. Lib. Dial. 41. 173. Theodiſce. 90. regul. paſt. 149.
*Gregor. IX.* Vide Decretales.
*Gritſch* Joh. Quadrageſimale. II. 10. 38.
*Guillelmi* Poſtilla in Ev. I. 170. II. 80. 157. 158. Pariſienſis Rhetorica divina. 169.


H.

## H.

*Harentals* Petr. de. Expoſitio Pſalm. II. 53.
*Haſelbach* Thom. de. Sermones in Epiſt. S. Pauli. II. 21.
*Henrici* de Haſſia Expoſ. Orat. Dom. I. 105. 154. Expoſ. Ave Mar. 155. Tract. de arte predicandi. II. 174.
*Hentisberdi* Guil. Expoſit. regul. Solvendi Sophiſm. II. 125. 126.
*Heroldt* Joh. Sermones, Diſcipuli Dicti. II. 117.
*Herp* Speculum aureum. II. 74.
*Hieronymi* S. Epiſt. & Tract. Varii I. 89. 98. Aureola ſeu flores. 156. Vitæ Patrum. 128. & II. 25. Epiſtolæ & alia opuſcula II. 46. Varia opuſc. S. Hieron. Concernentia. I. 84.
*Hiſtoria* Eccleſiaſt ll. XII. ex Socrate, Sozom. & Theodoret. I. 37.
*Hiſtoria* Frid. I. Henr. VI. Phil. Ottonis IV. & Frid. II. Imp. I. 178.
*Holkot* Rob. Com. in l. Sap. II. 117.
*Homiliæ* a Paulo Diac. Collectæ II. 110.
*Honorii* Auguſtod. de Imag. Mundi, I. 179.
*Horatii* Opera. II. 119.
*Hoſtienſis* Summa in tres ll. Decr. II. 18. Pars 2da & 3tia. 140. in quinque ll. Decr. 61.
*Hugonis* a S. Vict. ll. 7. Didaſcalicon. cum aliis Opuſculis. I. 112.

## I.

*Jacobi* Carthuſ. Sermones notabiles. I. 155.
*Jacobi* de Cluſa. V. Cluſa.
*Jacobi* Forolivienſis Expoſ. in Can. Avic. II. 45.
*Jacobi* Januenſis ſeu Genuenſ. Legendæ Sanct. II. 24. 72. 115.
*Janua* Joh. de. Catholicon. I. 15. II. 119.
*Imola* Joh. de. Comm. in Clementin. I. 74.
*Innocentii* R. P. Tract. de Except. I. 164. Comment. in Decr. II. 86.
*Johannina.* V. Barbatia.
*Johannis* Andreæ. V. Andreæ.
*Johannis* Anglici Comment. de Univerſal. II. 124.
*Johannis* Canonici Quæſt. in ll. Ariſt. phyſ. II. 87.
*Johannis* de Fonte in monte Peſſulano. Compend. Libr. Sent. I. 127.
*Johannis* de Francoford. Sermones breves. I. 131.
Johannes von Freyburg. Summa aus dem Decretenbuch. I. 42. II. 28.
*Johannis* de Janduno Quæſt. in ll. Ariſt. de anima. II. 54.
*Johannis* Junioris. Scala Cæli. II. 64.
*Johannis* Magiſtri. Quæſt. philoſ. II. 89.
*Joſephi* jud. Libri Antiqu. jud. & de Bello jud. I. 22. II. 57.
*Iſidori* Hiſpal. Libri XX. Etymol. I. 39. 172.
*Juridica* Varia uti Modus Legendi abbreviaturas &c. I. 164. eadem opera. 165.
*Juſtini* Comp. hiſt. ex Trogo Pomp. I. 21. item II. 45.
*Juſtiniani* Imp. Cod. repet. præl. I. 76. Libri IV. Inſt. 9. 93. II. 31. 85.
*Juvenalis* Satyræ. Cum Com. Calderini. I. 67.

## L.

*Lactantii* Firmiani. plura opera. I. 96. II. 22.
*Laudivii* Equit. Hieroſ. Epiſt. M. turci ſeu Machom. 2. Lat. edidit. I. 161.
Legend von Kaiſers Karls Streit. II. 141.
*Licio* Rob. de. Sermones. II. 103. Vid. Caraccioli.
*Litigatio* Satanæ contra genus hum. I. 168.
*Livii* Titi. Hiſtor. Decad. II. 105.
*Lotharii* Diac. poſtea Innocent. III. R. P. De Miſeria human. Condit. I. 151. 167. II. 9.
*Ludolphi* Carthuſ. Vita Chriſti I. 60.
*Lulli* Raymundi Ars Gen. ultima. II. 58.
*Lumen* animæ. II. 11.
*Lutrei* Quæſt. in ll. Ariſt. de anima. II. 114.
*Lyra* Nicol. de. Moralia. II. 73. Poſtilla in Univ. Script. 69. 148.

## M.

*Magni* Jacobi Sophologium. II. 142.
*Mammotrectus* ſeu Expoſitio &c. I. 113. 185.
*Manuale* parochialium Sacerdotum II. 171.
*Maraſchis* Barth. de Oratio coram Paulo II. R. P. I. 52.
*Martialis* Epigr. II. 108.


*Mat-*

*Turnout* Joh. de. Caſus breves. I. 187.
*Turrecremata* Joh. de. Expoſ. Pſalm. I. 20. Contemplationes. 44. Quæſtiones ſup. Evang. II. 27. de Efficacia Aquæ Bened. 158.

## V.

*Valla* Laur. de Libero Arbitrio I. 147. De Elegant. Ling. lat. 68. 78. II. 1. 121.
*Valeis* Joh. Summa Galenſis II. 151.
*Valerii* Max. Libri Nov. Dict. & Fact. memor. I. 60. 70. 122. Item cum Comm. Omniboni. 174.
*Variloquus.* Vid. Melber.
*Varronis* M. Ter. rerum ruſtic. II. III. I. 36. de Lingua lat. II. 67.
*Ubaldis* Angeli de. Tract. Varii. I. 63.
*Udonis* Magdeburg. Vita. I. 151.
*Victoris* Aurelii. de viris illuſtr. I. 160.
*Viola* Sanctorum ſeu Martyrolog. II. 111.
*Vincentii* Bellovac. Varia II. 81. Speculum 136.
*Virgilii* Opera. Cum Comm. Servii. II. 41. Moretum 146.
*Vitæ* Philoſophor. I. 58.
*Vocabularium* Lat. germ. I. 123. Breve. II. 64
*Vocab.* Lat. Breviloquus dict. II. 65. 166. Latino - germ. 166.
*Vocabularius* Utr. Jur. II. 29. 80.
*Utino* Leonhard. de. Sermon. de Sanct. II. 25. 164. Sermones Quadrag. Vide Præf. ad Faſc. II. pag. IV.

## W.

Weg zum H. Grab. I. 126.
*Wilhelmi* Ep. Lugd. Tract. de Vitiis I. 154. 166.

## X.

*Xenophontis* Cyripædia Latine verſa a Fr Philelpho. I. 144.

## Z.

*Zabarella* Fr. Lectura ſup. Clement. II. 77.
*Zoemern* Henr. de. Epitoma Dialogi de hæreticis. II. 86.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

This book is under no circumstances to be taken from the Building

| | | |
|---|---|---|
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |

form 410

ED [illegible]